BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
2
NAPOLI

B - 2

Digitized by Google

Digitized by Google

XVIII
B-2

Digitized by Google

IO. FRANCISCI BVDDEI

P. P.

SELECTA

IVRIS NATVRAE ET GENTIVM.

B. R. NEAPOLIS

EDITIO SECVNDA.

HALAE SAXONVM,
Sumptibus ORPHANOTROPHII.

ANNO M DCC XLIIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

NICOLAO BARTHOLOMAEO

LIBERO BARONI

DE DANCKELMANN,

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO STATVS INTIMO, ET REGIMINIS IN DVCATV MAGDEBVRGICO PRAESIDI SVPREMO, ET RELIQVA,

hocce obseruantiae suae & deuoti cultus monumentum statuit

IO. FRANCISCVS BVDDEVS.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME DOMINE,

SOlet praeclara indole atque virtute praeſtantes viros ſubinde excitare ſupremum Numen, quos hominum ſingulorum, imperantium cumprimis integrarumque gentium, immo humani generis, commodis procurandis admoueat. Horum vt diuerſi ſunt ordines, virtutum dignitate, laborum vtilitate, ac operum pretio diſtincti: ita eminere prae ceteris, & ceu ſplendidiſſima effulgere ſidera videmus, quibus gentium ipſarum ſalus,

quam

quam ſapientiſſimis conſiliis ſuis ſtabiliant, perpetuamque reddant, eſt concredita. Atque eos quidem venerantur merito, & deuoto animi cultu proſequuntur omnes, qui & diuini ordinis rationem intelligunt, & curarum vigiliarumque, quibus, vt aliis bene ſit, conficiuntur quotidie, grauitatem perſpectam habent ac exploratam. Sed ad eos hoc peculiari ratione pertinet, qui in diuinae humanaeque ſapientiae ſacris tractandis occupantur, quod prae ceteris diuini beneficii introſpicere magnitudinem, ciuiumque haud ignorare officia cenſeantur: ne dicam, quod illis ſolis, latitantes animi proferre affectus, & publicorum monumentorum teſtimonio, magnorum virorum illuſtriora quodammodo reddere in rempublicam merita, conceſſum ſit. Ego quidem mearum

haud ignarus virium, quam exiguum illud ſit, quod laude mea accedere ad famam etiam infimi ordinis hominum queat, probe ſcio: nolo tamen vltimus in iis eſſe, qui ſummorum virorum in ſe collata beneficia grato recolunt animo, praedicantue. Saltem ne erga TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, eiusmodi quid admitterem, diſpiciendum mihi fuit, & enixe elaborandum. Non expers ſum illius felicitatis, quam ducatus Magdeburgicus quacunque patet, quam academia noſtra, quam vrbes omnes, omnes ciues, TVAE merito imputant prudentiae, curae, labori. Nec iſta quantacunque ſunt, quantumuis ſint maxima, quae in omnes redundant, nunc commemorare libet, etſi honeſto ac ſapienti viro haec quoque maximum, quo ad TVI venerationem illius ſe animus concitet, praebeant argumen-

Digitized by Google

mentum. Propria & ad me ſpectantia ſunt, quae me impulerunt, ad quiduis potius arripiendum, quo meum teſtarer animum, ſignificarem voluntatem, ſtudiumque declararem, quam vt neſcire alios vellem, me inter eos eſſe, qui plures ſingularesque cauſas, ſubmiſſa veneratione, TVVM, ILLVSTRISSIME DOMINE, nomen colendi, habent. Cum in eam ingreſſus eſſem ſententiam, in ſublimiori loco conſtitutos ignorare prorſus hominem, ſuarum ſatagentem rerum, ceterum rudem prorſus illarum artium, quibus gratiae procerum adrepere, illorumque conciliare ſibi fauorem decet, TVA mihi ſubito pateſacta eſt voluntas, conſtititque ſententia, & adprobari TIBI meos conatus, nec labores in iuuenum animis erudiendis displicere. Mox fructus luculentos iſtius TVI fauo-

ris ampliſſimosque percepi, ac mirifice confirmata eſt, quam iam pridem de TE animo conceperam, opinio, non vtique per TE ſtare, ILLVSTRISSIME DOMINE, quo minus ordine cuncta fiant, rectèque facta iuſtis condecorentur praemiis, nec negligantur prorſus, qui ſme ſtrepitu ea agunt faciuntue, quae vtilia aliis ſint, commodumque patriae, ciuitati, regi, afferunt. Id vero cum hoc tempore contingeret, quo leues quasdam commentationes ad iuris vniuerſalis, quo vita moresque omnium hominum diriguntur, diſciplinam ſpectantes, collectas in vnum fasciculum, prodire iuberem, temperare mihi profecto non potui, quin ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO ſacras eas eſſe iuberem. Nec, quae me deterrere ab hoc inſtituto poterant, tanti erant, vt animi, ſuum cul-

Digitized by Google

cultum, ſuum obſequium, pietatemque ſuam, TIBI demonſtrare geſtientis vim, rationibus quoque cauſisque iuſtis ſubnixam, reprimere potuiſſem. Sufficere namque, & humanitatem TVAM, & voluntatem ſummam erga omnes, qui litteris, vt decet, operantur, conſideranti videbatur, non velle eſſe ingratum, nec diſſimulare, aut tacere TVA, in commune publicumue bonum, merita. Aliquid tamen animi addebat ipſa argumenti ratio, ab eo, quo magna cum laude ſubinde munere functus es, haud prorſus alieni. Cui enim, ILLVSTRISSIME DOMINE, notius eſt, quam TIBI, qui gentium regumque controuerſiis componendis interfuiſti, immo praefuiſti, quanta in his omnibus earum legum, quas non a Romanis accepimus, ſed a natura ipſa, viam praemonſtran-

te ratione, didicimus, efficacia ſit, quanta neceſſitas? Non ita mihi placeo, vt exiſtimem, quae in ſcholis docentur, ad perfectam iſtam prudentiae ac ſapientiae, quae in ciuilium rerum adminiſtratione conſpicitur, laudem ſufficere: ſcio probe, quanto interuallo diſtent, diſputare in vmbra de iuribus principum, & in ipſa orbis luce, & publico omnium conſpectu, ea tueri ac conſeruare prudenter: nec tamen vel TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, ſuffragante, aſſerere dubito, ad conſummatam iſtam ciuilis viri ſapientiam longe facilius patere viam, ſi recti iuſtique, eorumque omnium, quorum in vita vſus eſt, ſemina rite concipiant tenerae mentes, quae, ſi experientia accedat, & exercitatio, ſe proferant atque erumpant, certiſſimamque vitae & agendorum

dorum normam vbique ſuppeditent. Ad doctrinam enim, quam ſapientum praeceptiones conferunt, ſi vſus & ciuilis vitae conſuetudo accedant, tum vero eximium quid, & ex omni parte conſummatum, inde efflorescere neceſſe eſt. Quod itaque illuſtria TVA in omnes merita mihi imperabant, quod maxima beneficia efflagitabant, quod ſine ingrati animi crimine a me diutius differri non potuit, pietatis in TE officium, dum ea, qua poſſum ratione perago, leuiſſima haecce ingenii induſtriaeque meae monumenta ad pedes TVOS deponendo, nihil eſt, quod magis a TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, peto, quam vt more TVO ea ſuſcipias, humanitatisque TVAE in iis diiudicandis potius habeas rationem, quam aut elegantiae, aut eruditio-

tionis, quae aut nulla, aut exigua ea in ſcriptione eſt, quam ad vtilitatem, & veritatem ſine oſtentatione proponendam, vnice comparatam volui. Deus TE ſeruet quam diutiſſime, & cuncta proſpere ac feliciter euenire TIBI iubeat. Halae d. XVI. Kalend. Septembr.

A. MDCCIV.



LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

S.

CONstitutum mihi, decretumque esse, qualescunque dissertationes meas academico more habitas, in certos collectas fasciculos, publicae exponere luci, iam indicatum a me, commemoratumque est, cum eas, quae historico-theologici argumenti sunt, prodire superiori anno iuberem. Et eius quidem consilii vt me nondum poenituit, ita nunc eas, quae ad ius naturae & gentium spectant, vnico comprehensas volumine, sisto. De illarum vero nonnullis itidem quaedam monenda censui, quae quidem, ne lectorem fugiant, mea maximopere refert.

Historiam iuris naturalis, quae primo loco comparet, iam ante aliquot annos Philippi Reinhardi Vitriarii, clarissimi viri, institutionibus iuris naturae & gentium, cum hic recuderentur, comitem dederam, cum id a me maximopere efflagitaret, cuius sumtibus liber iste prodibat. Nunc autem

tem cum reuoluerem mecum, accuratiusque perluſtrarem, quae de naturae iure commentatus quondam eram, facile deprehendi, ſua non prorſus carere vtilitate qualemcunque iſtam hiſtoriam, modo adiicerentur, quae deeſſent, & nonnulla minus commode dicta emendarentur. Non itaque indignam cenſui, quae hac ratione adornata, & ad plenioris tractationis ſpeciem compoſita, cum reliquis eiusdem generis monumentis lucem iterum adſpiceret. A quo me inſtituto deterrere non potuit, quod iam alios ea in re elaboraſſe viderem. Namque nec infrequens eſt in litterato orbe, vt plures idem argumentum occupet: & tanta hic efflorescit rerum varietas, vt dici ab vno queat, quod dictum ab altero non ſit, ſaltem ratio modusque tractandi diverſus, nouam quoque aut iucunditatem, aut vtilitatem, pariat.

Ad ea vero, quae emendanda in hac iuris naturalis hiſtoria cenſui, quod attinet, princeps inter ea caput eſt, ſententia de Platonicorum, Stoicorumque philoſophia. Cum primum hanc hiſtoriam conderem, praeclare nimis atque magnifice ſentiebam de porticu, abiecte nimis de academia atque Platone. Mutaui vero deinceps ſententiam; mutaui etiam ideo quodammodo iſta, quae de vtraque ſecta in hac hi-

historia in medium protuleram. Sed nunc cum commodus hic se offerat hac de re dicendi locus, paucis mentem meam aperiam. Praeclara extare Stoicorum de officiis hominum effata, adeo, vt reliquis philosophis omnibus dubiam hac in re reddere palmam videantur, negari nulla ratione potest. Summam doctrinae Stoicae ita complexus est THOMAS GATAKERVS: *„Numen „caeleste rerum humanarum curam gere„re; nec vniuersi tantum, sed hominum „etiam singulorum & rerum quoque sin„gularum: rebus humanis praesto esse, ge„nerique humano, non ad bona vere sic „dicta duntaxat, sed & ad vitae huius com„moda, & adminicula, suppetias ferre. Deum „itaque ante omnia colendum, ad omnia „inuocandum, per omnia cogitandum, in „omnibus agnoscendum & comproban„dum, de omnibus laudandum & celebran„dum, huic vni in omnibus negotiis simpli„citer obsequendum, ab ipso, quicquid ob„venerit, animo prompto & lubenti exci„piendum, atque amplexandum; nihil con„venientius, nihil conducibilius, nihil op„portunius aut tempestiuius, quam id, quic„quid existat, quod ipse voluerit, existi„mandum; quocunque ducere visum fue„rit, citra tergiuersationem aut murmura„tio-

* *praefat. in M. Aurelium Antoninum.*

„tionem ſponte ſequendum: locum ſta-
„tionemque, quemcunque is aſſignauerit,
„ſtrenue tuendum, enixe tenendum, etiam-
„ſi mortem oppetere millies oporteret.
Et haec quidem, de officiis erga Deum, Stoi-
corum erat ſententia. De iis autem, quae
erga alios praeſtare tenemur, ita differe-
bant, vti mentem illorum iterum idem GA-
TAKERVS exprimit: „Hunc (hominem ali-
„um) & cordicitus diligere & curare, & ſus-
„tinere; iniuriaque, (vt quae impietatis et-
„iam notam inurat) abſtinere, & benefi-
„centia proſequi, nec ſibi ſoli genitum
„cenſere ſe aut viuere, ſed in commune
„bonum, ac beneficum cunctis pro facul-
„tate viribusque ſemet exhibere, reipſa
„reique geſtae conſcientia (nec hac etiam
„ipſa quadantenus reputata) citra teſtem
„aut mercedis ſpem, commodiue proprii
„intuitum, contentum agere, a beneficio
„vni praeſtito ad aliud tranſire, nec vn-
„quam benefaciendo defatiſci: ſed vitae te-
„lam, tanquam viuendi fructus is ſit, be-
„nefactis ſibi inuicem continenter anne-
„xis, ita totam pertexere, vt nusquam in-
„terueniat hiatus vllus vel minimus: be-
„neficii loco, quod benefecerit, habendum,
„ſibique profuiſſe exiſtimandum, ſi alii
„cuiquam vſui eſſe potuerit: nec extra ſe
„proinde quicquam vel laudis humanae,
vel

„vel lucelli, aut aucupantem aut expeten„tem. Ad haec nihil mentis cultu antiqui„us, nihil honesti studio potius aut pretio„sius habere, ab eo denique, quod officii „sui esse nouit, nulla vel vitae, nedum ali„us rei cuiuspiam cupidine abducendum, „nulla mortis cruciatusue vllius, nedum „damni, aut detrimenti formidine, abigen„dum se permittere„ Haec sunt, fateor, Stoicorum splendida effata, quae in illorum scriptis passim occurrunt, id quod, subiectis magno numero testimoniis, idem GATAKERVS etiam comprobat. Quae sane eiusmodi esse videntur, vt haud immerito Stoicos reliquis philosophis omnibus praetulisse, & illorum philosophiam ad christianorum scita quam proxime accedere, recte asseruisse, censeri queam. Suffragaturque mihi, qui idem, de veterum philosophorum iurisprudentia naturali, argumentum pertractandum sibi sumsit, vir clarissimus IO. NICOLAVS HERTIVS.** Cum enim & ille ex GATAKERO Stoicae doctrinae summam retulisset, recte Hieronymum pronunciasse, contendit, Stoicos in plerisque cum christianorum placitis consentire. Nec tamen in omnibus eos cum christianis facere, idem monet, cum incestus, impurasque adprobaverint commixtiones, aeque ac Epicuraei:

** *de Iurisprudentia vniuersali sect. I. §. XXXIII, in opusculis eius selectis &c.*

Digitized by Google

ti, quicquid de virtutibus & officiis hominum tam magnifice Stoici praecipiunt. Caput cauſae in eo conſiſtit, quod docent, Deum eſſe imitandum, hunc fontem felicitatis, hunc ſummam officiorum deſignant, hinc reliqua deriuant. Quem vero tandem Deum? Ipſi hoc, credo, neſciebant Stoici, tam dubie, tam obſcure de Deo ſuo loquebantur. Omnia tandem eo redibant, eſſe Deum animam mundi, cum materia arctiſſimo vinculo colligatam, eundem fati ineluctabilis legibus ſubiectum. Hunc ſequi & imitari hominem, ſi & ipſe conſtanti animo ferat, quae declinare, ſi vel maxime vellet, non poteſt. Haec vera & genuina eſt Stoicorum ſententia, vt alibi demonſtraui pluribus; ** per quam vt reuera mundum Deo, ita hominem libertate ſpoliant, & a maxima ſe haud procul abeſſe impietate, quae noſtra aetate ſub noua ſpecie in ſcenam prodiit, oſtendunt. Nec aliunde, quam ex hac ipſa opinione, oppido peruerſa, deducas ſplendidiſſima illa decreta, omnes homines tenerrimo affectu amandos, benefaciendum ſemper & vbique omnibus, nec iniuria vlla quenquam laceſſendum. Vltima enim horum omnium ratio eſt, quia homo pars mundi eſt, mens quidem

** *in diſſert. de erroribus Stoicorum in philoſoph. morali §. II. add. diſſertat. noſtra de Spinoziſmo ante Spinozam §. XVIII.*

Dei, corpus materiae, ex quibus mundus hic confletur atque componatur: partem autem seu membrum corporis, cum altera parte seu membro, tam arcto vinculo coniunctum esse, vt conseruari totum sine amica partium atque membrorum conspiratione, atque harmonia, nequeat. Et ita de reliquis censendum effatis, quae seorsim spectata non placere nequeunt? ast ad fontes & principia, vti par est, reducta, horrorem incutiunt, summaeque impietatis arcana produnt.

Hoc vero obseruare accurate debebant, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, qui de placitis veterum agunt, vt de sensu illorum quoties disquirunt, toties systematis, vt ita loquar, ex quo deprompta sunt, habeant rationem. Etenim si effata quaedam in eum detorqueant sensum, vt ex domesticis illius sectae principiis non fluant, non possunt amplius illorum sententiam referre, quibus tribuuntur. Si quis nonnulla Epicuri placita defendenda sibi sumat, eum simul necesse est, vt & Numinis prouidentiam tollat, & immortalitatem mentis neget, & summam hominis felicitatem in dolorum & curarum omnium absentia, quam animi tranquillitatem dixit, collocet. Hinc enim reliqua omnia fluunt. Contra si quis aliquod Epicuri assertum, missis ceteris, assumat, ille qui-

quidem hoc ipso a mente Epicuri discedit, nec quod docet, pro Epicuraeo dogmate venditare potest. Id quod Petro Gallendo contigit, qui Epicuraeus videri voluit, cum tamen praecipua Epicuri decreta reiiceret atque refelleret: quo ipso peccauit quidem, sed minus tamen, quam si detorquere in alienum sensum veterum dogmata annisus esset, quod Iustus Lipsius fecit, ineptissimus potius Stoicorum adulator, quam Stoicae philosophiae restaurator dicendus. Et ea quidem in re cumprimis peccatum etiam ab illis est, qui iurisprudentiam naturalem veterum philosophorum tradere adgressi sunt. Hi si decreta quaedam, sententias, effata philosophorum referrent, mentem quoque eorum se assecutos putarunt. Id quod doctissimis etiam viris contigit, qui ceteroquin erudite in hoc argumento versati sunt. Quanquam & hunc morem omnes fere sequantur, qui historiam philosophicam tractant, pessimo exemplo & plane vituperando: cum de mente philosophi sententiaque non nisi integri systematis, quo doctrinam suam conclusit, compage ac nexu, perspecto & explorato, statuere liceat. Ego quidem ipse in hac historia iuris naturalis indicaui potius illos, apud quos iurisprudentiae naturalis vestigia occurrunt, quam vt mentem sententiamque illorum

edissererem: nec enim instituti ratio hoc permisit. Potui tamen etiam hoc labore hic supersedere, quod iam alibi praecipuarum sectarum dogmata, ea quidem ratione, prout necessario systematis nexu inter se deuincta sunt, in compendio exhibui, & alibi etiam vberiori haec omnia commentatione, si DEVS annuerit, prosequi, animus sit.

Sed vt eo redeam, vnde digressus sum: cur non amplius de Stoica philosophia tam magnifice sentiam, omnes iam intelligunt. Platonicam contra cur illi praeferendam censeam, paucis indicandum est. Summa Platonicae philosophiae, a qua non multum abit Pythagoraea, huc redit: summam hominis felicitatem in eo consistere, si iustitia, sanctitate, aliisque virtutibus homo Deo similis fiat, quod ei contingit, si per amorem cum Deo quam arctissime vniatur: vniri autem non posse, nisi animo probe a vitiis omnibus atque prauis affectibus purgato. Hinc porro concludebant, vt ad felicitatem summam sufficeret, cum Deo vnitum esse, ita ad summam miseriam satis esse, ab eo separatum esse: in mente nil nisi caliginem esse, nisi a Deo collustretur; nec precari homines rite Deum posse, nisi ab eo hoc condoceantur; pietate nihil solidius, nihil praestabilius; satius esse,

Digitized by Google

se, mortem oppetere, quam peccare; quo pacto moriendum sit, id semper discendum esse, vitam interim conseruandam, vt Numini noſtrum probemus obsequium; qui inimicum laedat, hunc grauí se obstringere crimine, non minus ac si quis illatas vlcisci iniurias velit; iniurias si quis accipiat, & aequo animo ferat, hunc demum beatum esse, miserum contra & infelicem, si quis alios iniuria afficiat, & quae alia sunt eiusdem commatis. * Aut me omnia fallunt, aut haec ita comparata sunt, vt Stoicorum decretis nulla ratione cedant: reliquorum enim philosophorum scitis quin multum praestent, dubitari nullo pacto potest. Sed hoc nunc Plato peculiare habet, quod longe solidiora fundamenta philosophiae suae substernat, quam reliqui gentilium philosophi. Non is sum, qui Platonem vbique laudandum, aut defendendum, existimem: scio, multa ab eo perperam dicta, & nonnulla eius placita, securius quam decebat, in religionem christianam recepta, grauissimos peperisse errores: sed hoc quoque scio, ab illis, apud quos tam male audit,

* *conf. Dacerius in dissertatione gallica lingua scripta de vita & praecipuis dogmatibus Platonis, quam Tomo I. operum Platonis, in linguam gallicam a se conuersorum, praemisit.*

ſententiam eius ſubinde peruerti, & in alium detorqueri ſenſum. Quicquid huius ſit, id conſtat, ipſa decreta ſeu concluſiones, quae ad ius naturae moralemque philoſophiam ſpectant, ita comparatas eſſe, vt in ſe conſideratae, longe praeſtantiſſimae merito habeantur: ad principia & fontes reductae, hactenus etiam praeſtant reliquorum philoſophorum ſcitis, quod de Deo, de quo recte ſentire caput cauſae eſt, in toto hoc negotio, longe melius Plato docuerit, quam reliqui. Etenim cum quatuor ſectae Graecanicae praecipuae, Platonica, Ariſtotelica, Stoica, & Epicuraea, materiae quidem maximam neceſſitatem darent, Deo libertatem tanto minorem quaeque tribuebat, quanto arctius cum materia connecteret, aut immergeret profundius. Hinc & quaeque tanto propius ad eum errorem accedebat, quem noſtra aetate reuocauit Spinoza, quanto minus libertatis Deo dedit, quantoue arctius cum materia Deum colligauit. *Platoni vero*, inquit vir harum rerum, ſi quis alius, longe peritiſſimus, IACOBVS THOMASIVS** *maxime, ſed vt inter gentiles philoſophos, liber Deus*. Plato ergo ab iſta reliquorum philoſophorum impietate quam longiſſime re-

** *de exuſtione mundi Stoica, diſſert. II. p. 29. add. noſtra diſſert. de Spinoziſmo ante Spinozam §. XIII.*

receſſit, adeoque & morali ſuae philoſophiae longe ſalubriora fundamenta, quam reliqui, ſpeciatim Stoici, ſtatuere potuit. Id quod demonſtrandum nobis erat. Hoc tamen, ne quid diſſimulem, rurſus praecipui habuerunt Stoici, quod in decretis ſuis atque ſcitis expoliendis, acuendisque, & ad ſpecialiores vitae rationes accommodandis, magis quam reliqui philoſophi, ſolliciti fuerunt. Paucis, in genuinis iuris naturae & moralis doctrinae fontibus recludendis, Plato neminem habuit inter gentiles philoſophos ſuperiorem: inter eos vero, qui in rem praeſentem ſcita iſta deducerent, & ad vſum hanc ſapientiae partem vitae humanae variis caſibus ſollicite attemperando, & officiorum rationes deſignando, transferrent, Stoici forte eminuerunt, vt, ſi non ſuperarent omnes, praeſtantiſſimos ſaltem adaequarent. Et haec quoque ratio eſt, cum iſta Stoicorum praecepta hoc modo adornata animum ſtatim feriant, cur facile quis palmam iſtis adiudicet, quod & a me olim factum.

Hiſtoriam iuris naturalis, in hoc volumine, excipit diſſertatio de expeditionibus, quas vocant, cruciatis, ſeu bellis, quae religionis propagandae cauſa geruntur. Eam inter diſſertationes iuris naturalis relatam a me, mirari quis poſſet. Sed tractandi, quam in ea tenui, ratio, recte hoc a me factum, euincet.

Hiſtoriam equidem iſtarum expeditionum inſimul attigi, ſed caput diſſertationis in eo verſatur, an recte fuerint ſuſceptae. Omnia vero cum eo tandem redeant, ad religionis chriſtianae conſeruationem, ac propagationem, iſtas expeditiones ſpectaſſe, hanc quoque ex inſtituto mihi ſub examen reuocandam fuiſſe quaeſtionem, quilibet facile intelligit. Conſtat autem, initio aduerſus Saracenos, gentesque quas infideles vocant, hoc eſt, chriſtianorum ſacris non imbutas, fuiſſe inſtituta haec bellorum genera; deinde vero Romanos Pontifices ad eam, quam vſurpabant in chriſtianum orbem, auctoritatem ſtabiliendam, his chriſtianorum armis vſos fuiſſe. Et id quidem in ipſa diſſertatione indicaui, ſed paucis: video autem, ampliſſime & eruditiſſime hoc argumentum pertractatum eſſe a clariſſimo viro, PHILIPPO A LIMBORCH, dum in ſua inquiſitionis hiſtoria, de bellis contra Raymundum patrem & filium, Comites Tholoſanos, agit. Hunc ergo adeat, qui & reliqua ſcire cupit, quae forte, ad pleniorem huius inſtituti hiſtoriam, hac in parte in noſtra deeſſe diſſertatione videntur.

Sequitur diſſertatio de ſucceſſionibus primogenitorum, in qua hanc cauſam, multorum ſcriptis agitatam, ita diſceptaui, vt firmis ac luculentis rationibus euincerem, non

non esse primogenitorum successionem illicitam, nec tamen praeceptam aut iure naturali, aut vllo diuino vniuersali, nisi quousque generatim ad ea, quae humano generi, integrisque gentibus conducibilia sunt, obseruanda, sumus obstricti: hoc est, pendere primogenitorum successionem a voluntate quidem parentum in priuatis, in regnis autem &, qui ad horum indolem accedunt, principatibus, partim a voluntate vltimi regis seu antecessoris, si quidem illa patrimonialia fuerint, partim a voluntate populi, si ad illorum classem pertineant, quae legitima in politicorum scholis dicere moris est. Eandem itidem quaestionem sub incudem reuocaui, in dissertatione de comparatione obligationum &c. quae in hoc fasciculo penultimum locum occupat, vbi ad SCHARROKII argumenta, quibus contra primogenitorum successionem disputat, respondi. Haec si quis inter se conferre voluerit, forte non poterit quid in nostra Dissertatione desiderare. Quemadmodum vero nunquam tanto studio cuncta conquiri possunt, vt non aliorum industriae aliquid relinquatur: ita abunde hoc suo exemplo demonstrauit vir longe doctissimus, & quem honoris causa nomino, GEORGIVS MELCHIOR LVDOLPHVS, Consiliarius Saxo-Isenacensis aulicus, in elegantissima commentatione, quae anno superiore

periori MDCCIII. ſub titulo: *De introductione Iuris primogenituræ tractatus Nomico-politicus*, prodiit. Neque vero tantum, quae generatim ad ſucceſſionem primogenitorum, horumque iura pertinent, ſed & quo pacto in imperio noſtro Germanico, ſtatibusque eius ſingulis, & ad iuris diuini, rectaeque rationis, & ceterarum legum, ex quibus talia diiudicari ſolent, normam, cuncta, quae de primogenitis in disceptationem veniunt, componenda ſint, diligenter & exquiſito iudicio hic expoſita, legere licet.

De pietate philoſophica, ſeu religione naturali, de iure belli circa res ſacras, de cultura ingenii, de officio imperantium circa conſcribendum militem, in iis quae ordine exhibentur diſſertationibus, ita praecepi, vt, quod addi vel emendari debeat, non occurrat. Si quis vero in iis deprehendat, quae a recepta forte multorum discrepent ſententia, is ſecum cogitet, veritatem ſupremam ſemper & vbique mihi fuiſſe legem, hanc vbique pro viribus me fuiſſe conſectatum, inſuper habitis receptis opinionibus, quantumuis magnorum nominum auctoritate, aut vſu etiam atque conſuetudine, munitis. Quare nunc ad eam accedo diſſertationem, qua de teſtamentis ſummorum imperantium, ſpeciatim Caroli II. Hiſpaniae regis expoſui: ad quam etiam vlterior diſquiſitio de iure gentis Auſtriacae in regnum Hispaniae acceſſit. Ni-

Nihil mè feciſſe, quod non pietas ipſa erga imperatorem noſtrum inuictiſſimum iubet, dum iſtam conſcripſi diſſertationem, res ipſa docet. Nec irritum prorſus hunc meum fuiſſe conatum, ex eo colligo, quod iisdem, quae ego in medium attuli, innitantur fundamentis ſcripta publica atque priuata, ad tuendam Auguſtae domus iuſtiſſimam cauſam, poſtea edita.* Renunciationem Mariae Thereſiae validam, irritum contra eſſe teſtamentum Caroli II. ponunt, probant, euincunt: haec vtramque vbique paginam faciunt. Nec quidquam, quod momentum trahat, a me praetermiſſum deprehendere potui, ſi forte ab

* *Inter haec praecipua ſunt: Iuſtitia Auguſtae domus Auſtriacae in regna & prouincias Hiſpanicas, veris rerum argumentis illuſtrata, Viennae Auſtriae A. M D CC II. in 4to. Ius Auſtriacum in Monarchiam Hiſpanicam aſſertum; ad exemplar impreſſum Viennae Auſtriae, Ienae A. M DCC III. in 8. Defenſe du Droit, de la Maiſon d' Autriche à la ſucceſſion d' Eſpagne, et la verification du partage du Lion de la fable dans les conſequences de l' intruſion du Duc d' Anjou, avec la refutation des libelles repandus dans le public, en faveur de cette intruſion, à Cologne 1703. in 12.*

ab hoc vnico discedas, quod, ad renunciationem infringendam, Gallicanarum partivm defensores regerunt, vt iuribus suis renunciaret Maria Theresia, dotem, quantam vix vnquam regia secum attulerat sponsa, ei fuisse constitutam: ast ea ab Hispaniae rege nondum tradita, renunciationem ipsam, quae huic velut conditioni innitatur, efficacia omni destitui, nec vlla ratione in censum venire. Huic vt satisfaciat dubio, nonnemo ** omnem mouet lapidem, probatque, penes Galliae regem stetisse hactenus, quo minus dos illa tradi potuerit, cum ille prius vna cum coniuge instrumentum obligationis & adprobationis, iuxta articulum sextum tabularum matrimonialium, exhibere debuerit, id quod tamen ab eo factum non sit. Et est sane haec pactorum omnium atque conuentionum indoles, vt vno, quod facere debebat, detrectante, alter itidem ab omni liber sit obligatione. Inest enim omnibus tacita haec conditio, qua facturos nos pollicemur, si & alter fecerit: idque eo magis, si aut natura negotii, aut expressa declaratio requirat, vt alter prius eam impleat conditionem, cui nostra cumprimis innititur

** *Auctor libri: Defense du Droit de la Maison d' Autriche, &c. Cap. II.*

tur promiſſio. Quicquid huius ſit, probandum etiam erat, huic praecipue fundamento (doti) renunciationem iſtam inniti, quod vix aſſeri poteſt, ſi conſideremus, etiam feminis, quae iuribus ſuis non renunciant, ſplendidiſſimam dotem conſtitui ſolere: & ſi maxime ad qualemcunque compenſationem maior dos illi promiſſa fuit, vt eo facilius ad renunciandum induceretur, hoc tamen magis ex liberalitate, quam ex neceſſitate factum cenſeri debet, cum & ipſa tamen, inuito patre & populo, ſuccedere nullo pacto potuerit. Sed diiudicari haec, vti & cetera eiusdem generis, iam quodammodo ex ipſa diſſertatione noſtra poterunt, in qua fontes aperimus, ex quibus talia facili negotio deriuari & expediri poſſunt.

Id potius miror, nonnullos in hanc ingreſſos ſententiam, ſuperuacaneam eſſe totam hanc diſceptationem, quod nulla vllibi ſint regna patrimonialia, nec eſſe poſſint, vnde & rex nunquam teſtamentum, quod validum ſit, condere queat. Hi, licet aliquid dicere videantur, quod ſpeciem habet, reuera tamen omni illorum ſententia deſtituitur fundamento. Conſenſus gentium & doctiſſimorum virorum eos conticeſcere iubet, immo ſcripta omnia publica & pri-

priuata, in hac cauſa hactenus edita, in quibus teſtamentum hocce Caroli II. Hiſpaniae regis impugnatur. Sed ne cui caligo offundatur, rem paucis explicabimus. Initio quidem conſtat, dominium atque imperium, res toto caelo diuerſas, a ſe ſedulo eſſe diſcernenda. Dominium eſt in res, imperium in homines. Nihil ſolennius eſt in Iureconſultorum ſcholis, quam vt haec inter ſe commutentur & permiſceantur, vt nuper admodum etiam erudite oſtendit vir ſummus IOANNES SCHILTERVS. * Sua ſponte itaque hinc fluit, alios etiam modos eſſe acquirendi rerum dominium, alios acquirendi imperium. Rurſus itaque peccant grauiſſime, qui modos acquirendi rerum dominium transferunt ad imperium, quo nihil ſolennius, ex quo errores grauiſſimi fluunt. Videtur hinc fruſtra quaeri, an imperium praeſcriptione acquiratur, cum praeſcriptio ſit modus acquirendi dominium, non imperium. Et imperium quidem, ſi dicendum quod res eſt, tantum conſenſu populi acquiritur. Iam vero cum in patrimonio eſſe, hereditarium eſſe, notiones ſint, quae ad dominium potius, quam imperium ſpectant, quemadmodum & teſtamentum eſt modus transferendi dominium, non imperium, vide-

* *de condominio circa ſacra, Cap. I.*

videtur & inconueniens esse illa regnorum in patrimonialia & legitima distinctio, & frustra prorsus quaeri, an regna testamento transmitti ad aliquem possint. Nec tamen difficilis admodum ad haec est responsio. Res distinctae sunt & manent, imperium & dominium, si in se considerentur. Praeterquam vero, quod in ipso exercitio & vsu cum imperio coniunctum esse dominium queat, & in regnis etiam semper coniunctum sit, cum regnum praeter homines, quibus imperatur, territorium & bona huc spectantia, adeoque & dominium connotet, fieri potest, vt populus consentiat in eiusmodi acquirendi & transferendi imperium, modum, qui dominii translationi aequipolleat. A consensu populi, vt dixi, pendet omne imperium. Sed idem ille populus, qui consentit, vt imperium sit penes vnum, aut penes integram familiam, consentire etiam potest, ea ratione, vt sit penes familiam, vt principi ex hac familia imperanti integrum sit, ad alium, modo aperte salus populi non negligatur, imperium transferre, siue testamento, siue alio modo hoc fiat. Ergo & imperium in patrimonio esse potest, hoc est, ex consensu populi potestas principi atque facultas adesse potest, abalienandi imperium, ea fere ratione, qua abalienari solent res, quae in

patrimonio ſunt: ergo & teſtamentum condere princeps poteſt. Neque imperium ac dominium hoc modo inter ſe permutantur. Immo diſtinguuntur accurate, & hoc ſaltem dicitur, poſſe ex conſenſu populi eiusmodi modos transferendi imperium oriri, qui aequipolleant modis transferendi rerum dominium. Et ita haec doctrina optime ſibi conſtat.

De iis, quae in hoc faſciculo agmen claudunt, diſſertationibus, quarum altera eſt de comparatione obligationum, quae ex certo hominum ſtatu fluunt, altera vero controuerſiarum iuris naturae & gentium illuſtrium ex hiſtoria Romana conſpectum, exhibet, quod aut moneam, aut addam, non habeo, niſi hoc vnicum, vltimam plane nouam eſſe, & hac vice primum lucem aſpicere, eandemque ex praelectionibus meis publicis A. M DC XCIX. habitis, eſſe decerptam. Mirifice enim ſemper mihi placuit haec ratio tractandi iurisprudentiam naturalem, vt hiſtoria cum ea coniungatur, & plurimum commodi ſecum vehere videtur. Multum profecto refert, vt non tantum rationis ſcita edoceantur iuvenes, ſed vt ad facta quoque illuſtriora ea accommodare, quod cum primis prudentiam auget, & iudicium acuit, & doctri-

ctrinae huius vſum ampliſſimum demonſtrat, diſcant.

Quod ſupereſt, vt hosce noſtros conatus qualescunque, humaniſſime Lector, aeque bonique conſulas, & noſtris laboribus porro faueas, id vero eſt, quod TE obnixe rogamus, eandem omnibus & humanitatem & aequitatem, qua erga nos vſi fuerint, rurſus ſanctiſſime pollicentes.

Digitized by Google

HISTORIA
IVRIS NATVRALIS
AVCTA
ET AD HANC AETATEM VSQVE CONTINVATA.



Σύνοψις.

Ius naturae cum ipſis hominibus natum, §. I. Id primo a parentibus, liberis, deinde ab imperantibus, ciuibus inculcatum, §. II. III. Hinc plerarumque gentium leges ciuiles, praecipua iuris naturalis capita continent, §. IV. Sed haec a ſe inuicem diſcernere, & quid in legibus ciuilibus iuris naturalis ſit, oſtendere, magni laboris opus eſt, §. V. Non tantum iuri ciuili, ſed & theologiae immixtum fuit ius naturae, §. VI. Etiam theologiae corruptae gentilium, vt horum fabulae docent, §. VII. Per theologiam chriſtianam purgatum & reſtitutum fuit ius naturae, §. VIII. Ius naturae patrum eccleſiae, §. IX. Non ſatis ius naturae & theologiam diſtinxerunt, §. X. Seculis barbaris per ſcholaſticos ius naturae obſcuratum fuit, atque corruptum, §. XI. A recentioribus ſcholaſticis nouis erroribus auctum, §. XII. Vti conſtat exemplo doctrinae, de probabilis opinionis vſu, §. XIII. Quam & ipſi cordatiores ex Romanenſibus atque Ieſuitis reiiciunt, §. XIV. Ieſuitarum quorundam doctrinam moralem, multis erroribus refertam, iuri quoque naturali multum nocuiſſe, §. XV. Et haec

quidem ius naturae apud iureconsultos & theologos excepisse fata, quod a philosophis neglectum sit, §. XVI. Quod vt demonstretur, philosophiae moralis origo a Socrate repetitur, §. XVII. Platonicorum de iure naturae doctrina, §. XVIII. Et Aristotelicorum, itemque Stoicorum, §. XIX. De his vlterius disseritur, §. XX. Illorum ex recentioribus qui se Aristotelicos iactitarunt, quam ieiuna fuerit doctrina moralis, §. XXI. Restauratio iurisprudentiae naturalis facta per Hugonem Grotium, §. XXII. Philippi Melanchthonis atque Benedicti Winckleri ausus, Grotiano instituto multum cedere, §. XXIII. De Grotiano opere vlterius, & aulae Romanae in illud censura, §. XXIV. Grotium in hoc genere excepit Ioannes Seldenus, de quo quid censendum, exponitur, §. XXV. Seldenum Hobbesius, in quibusdam laudatus, in multis vituperatus, §. XXVI. Feldeni contra Grotium, & Graswinkelii pro eo conatus, §. XXVII. Martini Schookii, & Io. Henrici Boecleri in ius naturae merita. §. XXVIII. De Io. Philippo Müllero in tabulas, & Iano Klenckio in compendium Grotii opus redigente, §. XXIX. Caspar Zieglerus nouus in Hugonem Grotium commentator: Guilielmus Grotius, cum suis commentatoribus, §. XXX. Danielis Meuii prodromus iurisprudentiae communis, §. XXXI. Ioannis Adami Osiandri commentarius in Grotium, §. XXXII. Samuel Pufendorfius, alter post Grotium iuris naturae restaurator, §. XXXIII. A theologis scholasticam disciplinam

secutis

ſecutis ideo acriter impugnatus, §. XXXIV. De controuerſiis iſtis ἐπίκρισις, §. XXXV. Valentini Alberti ex ſtatu integritatis ius naturae derivantis, ſyſtema, §. XXXVI. Reliqua Pufendorfianae doctrinae fata, §. XXXVII. Quid per Henricum Henniges, Io. Georgium Simonem, Samuelem Rachelium, Valentinum Velthemium ad iurisprudentiam naturalem acceſſerit, §. XXXVIII. Gronouii & Io. Georgii Kulpiſii in Hugonem Grotium merita, §. XXXIX. Opus Grotianum in linguam Gallicam conuertitur a Curtino, §. XL. Pufendorfii doctrina defenditur, & accuratius explicatur a Chriſtiano Thomaſio, §. XLI. Hinc nouae natae controuerſiae, quae tum cum aliis, tum & cum Io. Ludouico Praſchio ei interceſſere, §. XLII. Hypotheſi, de legibus diuinis poſitiuis vniuerſalibus, excolendae, quo pacto controuerſiae de polygamia occaſionem dederint, §. XLIII. Muſaei, Ryſſelii, Ekkii, Henrici Bodini, Becmanni, Spinaei, ad promouendum iuris naturae ſtudium labores, §. XLIV. Philippus Reinhardus Vitriarius, & Ioannes Schefferus, Grotii epitomaſtae laudati, §. XLV. Guilielmus van der Muelen, Ioannes Tesmarus, Vlricus Obrechtus, quid ſuis in Hugonem Grotium commentariis ad ius naturae contulerint, §. XLVI. Henrici & Samuelis Cocceii in illud merita enarrantur, §. XLVII. Quid Michaeli Foertſchio & Io. Ioachimo Zentgrauio haec philoſophiae pars debeat, §. XLVIII. Reliquorum, qui iuris naturalis ſtudium adiuuarunt, ſcripta,

ſummatim indicantur, vt Hugonis de Roy, Cyriaci Lentuli, Feldeni, Lucae Opalenii, Henrici Michaelis, Langii, cumprimis autem Ioannis Nicolai Hertii, & Ioannis Werlhofii, §. XLIX. De ſcriptoribus iuris gentium, Richardo Zouchaeo, Wolfgango Textore, Io. Ludouico Praſchio, Io. Ioachimo Zentgrauio, Io. Iacobo Mullero, Ioanne Groeningio, deque ſpeciali inſtituto Vlrici Huberi, & quam inde lucem ius naturae acceperit, §. L. Per controuerſias illuſtres, & primo quidem ciuium & imperantium inter ſe, momentum inſigne ad iurisprudentiam naturalem acceſſiſſe, quod exemplis demonſtratur, §. LI. Quorſum & ſcripta monarchomachica, & quae his oppoſita ſunt, pertinent, §. LII. Itemque quae de dominio eminenti fuere diſceptata, §. LIII. Vt & de poteſtate ſummorum imperantium circa ſacra, §. LIV. Quam ſolenne ſit, non tantum ad reipubiicae, ſed & religionis ſtatum, iuris naturalis decreta accommodare, oſtenditur, §. LV. De ſucceſſionibus illuſtrium hinc inde ſuſceptae diſceptationes, quantum iuri naturali profuerint, §. LVI. De controuerſiis ſummorum imperantium, ſeu integrarum gentium inter ſe, ſpeciatim de iis, quae de dominio maris diſputata ſunt, & quodnam inde iurisprudentia naturalis incrementum ceperit, §. LVII. Quae generatim iurisprudentiae naturalis hodie facies ſit, hinc concluditur, & quid tum in hac, tum in reliquis practicae philoſophiae partibus expectandum ſit, indicatur, §. LVIII.

§. I. Qui

§. I.

QVi eam philoſophiae partem, quae de officiis hominum, ad omnem honeſtatem componendis, praecipit, quam plerique recentiorum ius naturae appellitant, cum ipſis hominibus natam eſſe, aſſerunt, ita vt par eſt, vtque doctrinae huius & ratio, & antiquitas, exigit, ſentiunt. Quod enim nonnulli, interque eos C. Cornelius Tacitus (a), rerum ſuarum longe conſultiſſimus ſcriptor, tradidere, vetuſtiſſimos mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſine ſcelere, eoque ſine poena, & coercitionibus egiſſe, & ſponte ſua, ſine lege, fidem rectumque coluiſſe, id eiusmodi eſt, vt aut a fide abhorreat penitus, aut principum iuſſis, tabulisque legum, ſcriptisque eos ſaltem caruiſſe monumentis, euincat, condoceatque.

§. II. Parentes vero ſuos erudiuiſſe liberos, rectique & honeſti non minus imbuiſſe elementis, quam vero de Numine ſenſu, id ſi quis in dubium vocauerit, nae! is ſimplicium proborumque, & ſanctiorum, quibus praediti erant cordatiſſimi mortalium,

(a) *Annal. lib. III. add. Ouidius lib. I. Metamorphoſeon, & Lucretius lib. V.*

morum, haud ſane aequus eſt aeſtimator. Aſt, cum aut alienae potentiae metus, aut alia quaeuis ratio iungeret homines, & in maiores coetus, quos ciuitates deinceps appellarunt, coire iuberet, priſtinis moribus eovsque vixerunt; vt a parentibus, quid ius fasque & nefas eſſet, acciperent liberi, rectores autem ciuitatum rerumque domini, ſaltem, quae e re ciuitatis eſſent, ſancirent, ſtatuerentque. Erumpere inde in aeuum omne nefas, hominum prauitas magis magisque ſe prodere, fraudibus, dolis, ſe inuicem conuenire, ſceleribus iniuriisque nec modum nec finem ſtatuere. Qui itaque rerum ſummam tenebant, ruere praecipiti caſu, & collabaſcere ciuitates, intelligebant, ni vitia hominum ſuis circumſcriberentur limitibus, poenisque coercerentur.

§. III. Nimirum & ſpernere rationis imperium, & domeſticam diſciplinam negligere, vt rebus deperditis ac profligatis non aliud quid remedio eſſet, quam publica auctoritate ſanctionibusque, ad obſeruanda ea, quae honeſta ſunt, turpia fugienda, homines rationis rectae contemptores compellere. Sed vero & tunc, vt credo, patuit, quod nunquam fere non experientia eſt comprobatum, clariſſimum illud fulgentiſſimumque lumen, infuſum a ſapientiſſimo Numine, inſitumque mortalium pectoribus, velut

Digitized by Google

velut nubibus quibusdam obductis abscondi, nec cuiuis, quid pulchrum honestumque sit, quid turpe foedumue, semper perspici. Quae ergo praeeunte ac praelucente ratione quiiibet facere debebat, ad ea ciuilibus sanctionibus adigi coepere. Cumprimis quae vt homo homini exhiberet, fas erat, sedulo erant inculcanda, cum procliues valde pronique sint mortales ad se inuicem laedendos, vnde lites, contentionesque & infinita, quibuscum ciuitatibus conflictandum est, mala enascuntur.

§. IV. Sic itaque arbitror, quod gentium aut omnium, aut plerarumque leges, quae ciuiles vocantur, praestantiora simul iuris naturalis capita complectantur, id non aliunde magis esse arcessendum. Faciet pretium operae, qui gentium tum veterum, tum recentiorum, & inter illas earum quam maxime, quae nostram incoluere Germaniam, leges, quae ceu seruatae ex naufragio tabulae magnorum virorum ope ad nos pervenere, excusserit, & huius, quod ratio omnes docet, iuris vestigia luculentissima subinde deprehendet. Romanas enim leges lubens praetereo, quippe in quibus naturales illae, tanto manifestius quandoque se conspiciendas praebent, quanto ceterarum gentium institutis & sanctionibus, eruditissimorum virorum confessione atque iu-

dicio praeſtant. (b) Attici quoque iuris, quod ſecundum a Romano, ſuo merito, occupat locum, non minor eſt praeſtantia, nec obſcuriora huius ſententiae noſtrae ſuppeditat documenta, id quod ne quenquam fugeret, Ioannis Meurſii, atque Samuelis Petiti, e tenebris illud ſtrenue eruentium, opera, aeternis laudibus digna, effecit.

§. V. Hunc proinde in modum naturae leges, poſitiuarum, vt vocari ſolent, inuolucris veſtitae & circumſeptae, quandoque & per legumlatorum inſcientiam obſcuratae aut euerſae, longe quidem lateque, per ciuitatum omnium iura diſperſae ſunt atque diffuſae; ſimul tamen ciuiles & naturales inter ſe confuſae ita atque commixtae, vt has ab illis ſecernere, res ſummi & deſperati fere laboris, doctisſimis quoque viris viſa fuerit. (c) Intellexit hoc probe, ſi quis alius, Ioannes Seldenus, Britanniae illud immortale decus. Namque perplexa rite extricare, confuſa inuicem diſtinguere,

(b) *conf. de iure naturae & gentium, Romanorum, ſpeciatim iureconſultorum, Ioannes Groeningius in Bibliotheca iuris gentium iuxta diſciplinam Europaeorum, lib. II. c. I. ſeqq. qui & cap. VI. de iure vniuerſali ſecundum doctrinam Germanorum & Borealium agit.* (c) *vid. Samuel Rachelius in prolegom. ad officia Ciceronis, §. XXIV.*

re, veri ac falsi confinia, horumque sinuosos anfractus satis habere exploratos, & demum ex eis quae superstruuntur, de fundamentis seu principiis recte coniicere, qui illis vtique subeundus est labor, qui naturales ciuilesque leges, inter se permixtas, secernere rite ac seiungere volunt, rem perquam arduam, pene inaccessam, & mortalium paucissimorum esse, diserte profitetur. (d) Iam ergo mirari desino, tot effluxisse secula, feracia quidem doctissimorum virorum, legumque ciuilium interpretum sapientissimorum, quibus ingenium aeque ac industria adeo non defuit, vt commentationum, quas seduli assiduique homines in lucem protulere, mole, iam pridem orbis eruditus laboret; sed recentiori demum aetate extitisse, qui praeclarum istud pulcherrimumque opus, ex involucris suis, tegumentisque euoluendi naturae effata, ingenti animo, labore incredibili, sed successu felicissimo, aggrederentur.

§. VI. Ceterum vt ciuilibus legibus, id quod commonstratum hactenus comprobatumque est, ita & sanctiori illi reconditaeque disciplinae, quam theologiam nuncupant, non minus interspersa fuerunt, & intermixta rationis dictata, tanto maiori inde indu-

(d) *de iure naturae & gentium secundum disciplinam Ebraeorum lib. I. c. III.*

induſtria eruenda & colligenda, quanto acrius ſacri antiſtites, in campo, in quo illis nec meti nec ſeri videbatur, ingenii exercuere vires. Vtique ita eſt, non vltimam in hac arte ſedem occupant officia, quibus ſanctum & immortale Numen, ex luminis naturalis praeſcripto, colunt mortales. Dum igitur nondum in ciuitates coaluiſſent homines, vnumquemque patrem familias ſacra rite faciendo, & exemplum praeiuiſſe ſuis, & quid de Numine ſentire, quo pacto iſtud venerari, fas eſſet, eos edocuiſſe arbitror. Conditis autem rebuspublicis, vt viris morum integritate, & puritate, & ſanctitate praeditis illud munus demandaretur; publica auctoritate, bonorum omnium, principum maxime, & ipſarum ciuitatum intererat. Si enim forte quosdam parentes negligentius ſuo munere fungi contingeret, contingere autem facile poterat, feroces homines, legumque contemptores inde prodire neceſſe erat, qui exemplo alios, vt ad quaeuis ſcelera, ita ad impietatem inuitant, ciuitatesque non raro in maxima ſalutis diſcrimina adducunt. Venenum iſtud ſi ſemel quorundam mentes afflauit, longe lateque ſerpit, viresque eundo ſumit, & incrementa inopinata. Sanctioris itaque diſciplinae antiſtites, praeter ea, quae de ratione Deum ſacrificiis placandi, aut crimina expiandi, & quae de Numine

mine quemque ſentire oporteret, exponebant ſolerter, & cum probe ſcirent, mente pura ſcelerumque experti Deum coli quam rectiſſime, ſubinde & de morum ſanctitate pariter ac iuſtitia, multa praecepere. Laudo hoc proboque, idque eo magis, quod iuris naturalis ſcientia, quam ita ſibi vindicauerunt ſacrorum praefecti, iſtorum cura & vigilantia immunis ab omni labe ac errore, ad poſteros & vltima ſecula transferri, & propagari potuiſſet, niſi infernalis genii fraude abrepti, non tam rationis rectae dictamina, aut doctrinam a maioribus acceptam, quam inepta ingenii commenta, hominibus propinare maluiſſent.

§. VII. Ex quo enim caeleſtem diuinamque veritatem erroribus polluere, & commaculare coeperunt gentiles, in ipſo quoque naturae iure nihil ſanum, nihil integrum fuit, cuncta corrupta, deprauata tenebrisque plus quam Cimmeriis inuoluta. Hoc vero nomine neſcio an doctas iſtas, eruditasque veterum theologorum ac poetarum fabulas redarguere debeam? Fuere quippe & tum, ſi quibusdam credimus, qui rectius ſaperent, quibus ne non deſipere fraudi eſſet, aut inuolucris imaginibusque occultarunt veritatem, aut certe in ipſis figmentis veſtigia eius quaeſiuerunt. Nec vero naturalis ſaltem ſcientiae myſteria, ſed moralis ciuilisque philoſophiae

phiae cumprimis, iurisque adeo naturalis capita longe praestantissima, hisce sub tegumentis latitare putant, quod cum ab aliis doctissimis in hoc literarum genere viris, Gerhardo Ioanne Vossio, (e) Fabio Planciade Fulgentio, (f) Ioanne Bocatio, (g) Natali Comite, (h) Pictorio Vill, (i) tum maxime a Francisco Bacone de Verulamio, (k) quam luculentissime euictum est & commonstratum.

§. VIII. Dispulsa autem quae orbi vniverso incumbebat caligine, ortaque denuo post natum Christum seruatorem caelesti veritate, redditus est & naturali iuri pristinus splendor, restituta puritas, superstitio denique aeque ac impietas subinde proscripta ac profligata. Sublimiora fateor, longeque sanctiora sunt, quae a viris diuino afflatu perculsis proficiscebantur, quae tamen & recta quoque ratio honesta esse dictabat, tantum abest, vt ab illis reiecta sint, vt potius egregie stabilita & confirmata, seruatore ipso subinde ad rationis dictamen prouocante. Ea vtique christianae doctrinae est indoles, vt praeter fidem, vitam

(e) *de Idololatria Gentilium.* (f) *in libris III. de Mythologia.* (g) *in libris XV. de genealog. Deorum.* (h) *Mythologiarum libro X.* (i) *in Theologia Mytholog.* (k) *de sapientia veterum. add. nostra dissertatio de vsu fabularum in philosophia.*

Digitized by Google

vitam quoque ad omnem honeſtatem compoſitam, ab hominibus exigat, modo quidem & ratione longe excellentiori, quam vt ad mores chriſtianos formandos ſola ſufficiat ratio, interim tali profecto, vt, quae ex rationis praeſcripto honeſta ſunt, neutiquam habeat pro turpibus, quin vt ceteras virtutes proprias Chriſtianis, ita & illas, quae omnibus communes ſunt, commendet.

§. IX. Saepius igitur antiquisſimis etiam eccleſiae doctoribus, de iuris naturalis capitibus haud perfunctorie ſermo inſtituitur. (l) Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, ipſumque Chryſoſtomum non tantum graecae, ſed vniuerſae quacunque patet eccleſiae, ſummum decus euolvat, legat, ſcrutetur, cui dubium forte ambiguumque, id quod a me aſſeritur, videtur. Hos, ingenio acri, iudicio ſingulari, iuris huius quaeſtiones, quoties eas attingerent, attigerunt autem ſaepius, expediuiſſe conſtat, vt ipſe Hugo Grotius, reſtaurator huius philoſophiae felicisſimus, tum

(l) *add. Michaelis Foertſchii diſſertatio de philoſophia morali & iuris prudentia naturali chriſtiana veterum eccleſiae doctorum, ſubiuncta Ambroſio de officiis, ab illo edito, in qua iurisprudentiam naturalem Clementis Alexandrini, Gregorii Nyſſeni, Lactantii, & Auguſtini exhibet.*

tum demum & pondus & robur, & lucem insignem, se assertis suis conciliare posse, si praesulum horum auctoritate, sententiam suam muniret, fuerit opinatus. Ambrosius, qui plane ad Tullii exemplum tres de officiis libros composuit, (m) quanta solertia in hac doctrinae parte fuerit versatus, nemo puto ignorat, aut si quis ignorat, Ioannem Henricum Boeclerum adeat velim, qui in praefatione ad hosce Ambrosii libros, quanti istius viri labor sit faciendus, omnes edocuit.

§. X. Hi ipsi autem ecclesiae doctores, officia hominis & christiani, id quod non est dissimulandum, multo minus principia, diuersa vtique & admodum inter se differentia, non ita vt par est, secernendo, quae tamen secernenda esse, ipsi sine dubio quidem perspectum habuere & exploratum, aliis vt in eundem errorem inciderent, ac, quod & hodie non adeo infrequens est, theologiam moralem cum iure naturae confunderent, suppeditauere occasionem. Quod vt excusemus quam lubentissime, admiremur autem, si imitari non licet, quae recte sapienterque ab optimis viris dicta factaque sunt, nostrarum quidem erit partium.

§. XI.

(m) *Recusi sunt A. MDCXCIX. Stuttgardiae, opera & studio Michaelis Ehertschii, qui & dissertationes quasdam subiunxit.*

§. XI. Et vtinam non duriora fata, & theologiam & ius inſimul naturae, excepiſſent! Ecquis ignorat, fuiſſe tempus, cum foeda & triſtis ignorantia orbi vniuerſo incumberet, & ſuperſtitionis regnum magnis vndique viribus ſtabiliretur? (n) Deplorent alii cladem puriori doctrinae caeleſti illatam. Id ego nunc non ago. Philoſophiam moralem quoque cum ceteris artibus incultam, ſqualore & rubigine obſitam iacuiſſe, vt proſcriptam velut profugamque aiolaſſe, & mortalium deſeruiſſe ſedes, cenſere eius artis homines potuiſſent, neminem fugit. Non quidem defuerunt, cum ſcholaſticorum, vt vocant, barbaris vocibus literarum ſedes & ſapientiae ſacraria perſonarent, ex ipſis etiam theologis, qui hanc doctrinae partem ſub incudem reuocarent, aſt adeo infeliciter, vt nullius dubitem, multos in eam ituros ſententiam, ſatius hosce homines & ſibi, & optimae arti conſulturos fuiſſe, ſi haec ſacra non contrectaſſent.

§. XII. Qui vero in horum ſucceſſerunt locum, eiusdem diſciplinae alumni aliquanto recentiores, induſtriam profecto & ingenium, (o) ad ſcientiam hanc excolendam, quod non diffiteor, attulerunt, & ſubtili ac

B ſpino-

(n) *conf. inſt. phil. eclect. T. I. part. I. cap. V. §. IV. ſeqq.*
(o) *conf. Grotius in prolegom. operis de I. B. & P. §. LII. add. Boeclerus in Comment. ad h. l. p. 22.*

Digitized by Google

ſpinoſo dicendi genere, quae fere propria illorum hominum laus eſt, multa iuris naturalis excuſſerunt capita; ſine ordine tamen cuncta tradunt, infirmo aut lubrico fundamento, quae docent, ſuperſtruunt, diuina humanaque iura miſcent, rationum momenta aut plane non, aut ieiuna quandoque & ridicula afferunt, ſaepiſſime contra ad patrum auctoritatem, ad conciliorum canones, ad Romanorum praeſulum decreta intempeſtiue prouocant. Sunt tamen, quae indefeſſo horum hominum ſtudio, id quod aequus rerum exiſtimator non abnuet, atque labori incredibili debentur. Nec tamen ab erroribus variis, iisque grauiſſimis fuerunt immunes, quos tantum abeſt, vt Romanae eccleſiae theologi, qui horum ceu maiorum ſuorum ſe premere veſtigia gloriantur, emendauerint, correxerintque, vt auxerint etiam, hereditatem, nouis commentis locupletatam, ad poſteros transmiſſuri.

§. XIII. Certe veteres illos minus deſipuiſſe, contendere auſim, adeo aut ignorantia, aut quod credere malim, malitia, quosdam eorum in transuorſum agit. Fidem faciunt illepida iſta de probabilis opinionis vſu, vnde, iudice Ludouico Montaltio, vel potius Blaſio Paſchali, hunc enim Montaltii nomine tegi accepimus, ceu

cti ex vitiato fonte, cetera doctrinae flagitia fluxerunt, vt & de peccato, vt vocant, philosophico, commenta. Huiusmodi figmentorum, vtut iam in antiquioribus illis Thoma, Bonauentura, Vasquezio, Sanchezio, Carena, Nauarro, Corduba, Azorio, Ramirezio, Castannegio, Escobario, Ledesma, Valentia, Castro Palao, Medina, Sanctio, Arragonio, Lopezio, Martinezio, Zarando, Villalobosio, aliisque, cumprimis vero Diana, vestigia quaedam deprehendantur: recentiores tamen, Honoratum Fabri, (p) Antonium Terillum; (q) Amadeum Guimenium, (r) & plures, audacia eousque prouexit, vt non tantum assererent, sed & scriptis publicis contenderent; fas esse, eligere sententiam, vel vnius viri doctrina inclyti auctoritate munitam, vtut ceteroquin legi plane repugnantem.

§. XIV. Cui quidem temeritati an addi aliquid possit, vehementer dubito. Idque intellexerunt cordatiores, sanioresque ex ipsis ecclesiae Romanensis propugnatoribus, Vincentius Baronius, (s) Gonetus, (t) Esclapezius, (u) Antonius Merenda, (x) Ste-

 pha-

(p) *in Apol. doctrinae moral. Iesuit.* (q) *in regula morum contra Elicaldum.* (r) *in sing. theolog. moral. &c.* (s) *in theolog. moral. aduers. probabil.* (t) *in dissert. de probabilismo.* (u) *contra probabil.* (x) *in disput. de consil.*

phanus Gradius, (y) Ioannes Sinnichius, (z) Antonius Celladeus, (a) aliique. Quin Ieſuitici ordinis viri aegerrime iam ferre incipiunt, tam lepidi ſoetus parentes inter ſuos quaeri. Certe Thyrſus Gonzalez, in Salmanticenſi quondam academia theologiae profeſſor, deinde praepoſitus generalis ſocietatis Ieſu, commenti huius primum excogitati gloriam adeo non ſuo ordini vindicat, vt ceu crimen ab illo amoliri, quin hanc ipſam ſententiam a ſocietati huic addictis, Ferdinando Rebello videlicet & Paulo Comitolo, primum impugnatam fuiſſe, contendere non ita pridem auſus fuerit. (b) Ipſe vero, etſi probabilium opinionum non plane reiiciat vſum, ita tamen eundem temperat, vt longe honeſtiorem ſententia iſta induiſſe faciem videatur. Quae tamen affert, ſintne veritati conſentanea, ab aliis diſcuſſum iri, nullus fere dubito.

§. XV. Mea quidem parum refert, ſintne Ieſuitae an alii figmenti huius auctores: nunquam tamen a me quisquam impetrabit, vt non eladem, quam aliis erroribus ſuis, & theologiae & philoſophiae morali, quidam ex ſocietatis Ieſu ſacerdotibus (omnes

(y) *de opinione probabili.* (z) *in tractat. de probabil.* (a) *contra probabil. Ieſuit.* (b) *in fundament. theologiae moralis, h. e. tractatu theolog. de recto vſu opin. probab.*

(omnes enim eodem loco habere nefas esset,) intulerunt, tantam esse censeam, vt dubitem, an vllis, quantumuis praeclaris istorum in litteras bonasque artes meritis, possit pensari. Sed acceperint hunc errorem ab aliis: tortissimos tamen, pertinacissimosque eius defensores, haec ipsa societas subministrauit. Ab ea vero periculosissimas opiniones subinde in moralem doctrinam inuectas fuisse, euictum, vt alios taceam, iam pridem est a Cassiano, a S. Elia, (c) Theologis Nemausensibus, (d) atque Arnaldo. (e) Et nonne profanum istud de peccato philosophico commentum, annitentibus societatis huius doctoribus in scenam prodiit? Aut, si antiquus error est, quod non plane abnuo, a Stephano Baunio (f) tamen eundem maxime ab orco reuocatum, exceptum ab Estrixio, (g) defensum & propugnatum ab Antonio Burgundo, (h) Iacobo

(c) *in theologia morali a corruptelis Iesuitarum repurgata.* (d) *Kemnitio, Boquino, Gotuisio in doctrinae Iesuitarum capitibus retextis* (e) *dans la morale practique des Iesuites: add. auctor libri: Religion des Iesuites; item, quae de vtriusque libri historia diximus, in dissertatione, de superstitioso mortuorum apud Chinenses cultu.* (f) *in sum. peccat.* (g) *in thesibus A. 1688. die 23. Iul. prop.* (h) *in thesib. A. 1670. editis.*

Platello, (i) Terillo, (k) praeſertim Diuionenſibus Ieſuitis fuiſſe, palam eſt; ſi quis vero inficiari auſit, eum rectiora Antonius Arnaldus (l) docebit.

§. XVI. Ita moralis doctrina, optima nobiliſſimaque philoſophiae pars, profuga velut & extorris, modo per iureconſultorum, modo theologorum caſtra oberrans, mitius profecto ab illis, quam his habita eſt, quippe quibus parum fuit, non ita vt decebat, illi litare, ſed corrumpere inſuper & deprauare, pulchrum viſum fuit. Nec alia eam temere excipere fata potuerunt, ex quo a philoſophis neglecta, quin eiecta in exilium, & penitus proſcripta fuit. Rem omnem a primis, quod aiunt, arceſſere fontibus iuuat.

§. XVII. Fuerunt, res nota eſt, olim homines, qui rerum omnium ſcrutabantur & inueſtigabant cauſas. Hos ſapientes ab initio, deinde poſt Pythagoram philoſophos appellabant. Cum vero in naturalium maxime rerum contemplatione aetatem agerent, Socrates tandem (m) eam veram ſapien-

(i) *in Synopſi theol.* (k) *in regula morum.* (l) *in noua haereſi epiſcopis & principibus denunciata. add. eius denunciatio ſecunda, & tertia.* (m) *Nec tamen reliqui philoſophi, qui Socratem antecеſſerunt, huius doctrinae fuere expertes. conf. de iure naturali ad mentem Graeciae Poetarum,*

Digitized by Google

ſapientiam eſſe intellexit, quae homines non tantum doctiores, ſed & meliores redderet, adeoque de formandis ad omnem honeſtatem hominum moribus fuit ſollicitus. Permulti eius fuerunt diſcipuli, qui varias iterum condiderunt ſectas, quarum illae demum quam proxime ad ſapientiſſimi viri diſciplinam accedere videbantur, quae in moribus emendandis, in vitae integritate & puritate tuenda, plurimum ſtudii atque operae collocabant.

§. XVIII. Platonicorum cum primis, & Ariſtotelicorum, celebre olim fuit nomen. Et Plato quidem de morali philoſophia, ipſoque adeo iure naturae, ſubinde praecepit, (n) praeſertim vero in apologia Socratis, in Critone, Philebo, Menone, Alcibiade primo & ſecundo, Charmide; hi enim

itemque ſeptem ſapientum ac Pythagorae, Ioannes Gröningius in Bibliotheca Iuris gentium Europaea lib. cap. II. III. IV. De ſeptem Graeciae ſapientibus, & horum philoſophia, & nos egimus in peculiari commentatione, cui titulus: Sapientia veterum. De Socratis, Cynicorum, Democriti, ceterorumque philoſophorum iurisprudentia naturali idem agit l. c. cap. V. VI. (n) *conf. Io. Ioachimi Zentgrauii ſpecimen iuris naturalis ſecundum doctrinam Platonicam, 1679. editum. add. de philoſophia iuris Platonica praeter alios etiam Io.*

ſunt dialogorum tituli. Sunt qui fundamento certo vbique non inniti, quae diſſerit, contendunt, nonnulla etiam diſſimulaſſe aiunt, vnde multae eius de grauiſſimis quaeſtionibus ſententiae, nemini ſint perſpectae. Quicquid vero huius ſit, praeclara admodum eius extare effata conſtat, quibus ius naturae exornari haud mediocriter poſſit. Platonici, quorum ad nos peruenere ſcripta, ſunt, Philo Iudaeus, modo recte Platonicis annumeretur, Plotinus, Apuleius, Maximus Tyrius, Chalcidius, Iamblichus, Proclus, Alcinous, qui cum de officiis praecipiunt, eiusmodi ea ſunt, vt de plurimis iuris naturae capitibus recte eos ſenſiſſe, inde edoceamur, doctrinaeque adeo morali lucem haud contemnendam affundunt.

§. XIX. Ariſtoteles itidem in hac philoſophiae parte ingenium exercuit: (o) nec con-

Nicolaus Hertius de iurisprudentia vniuerſali ſect. I. §. XXXI. T. I. opuscul. Sed & Fleurii legi meretur diſſertatio de Platone, libro eius de ſelectu & methodo ſtudiorum ſubnexa.

(o) *conf. de philoſophia iuris Ariſtotelica, Hertius l. c. & reliqui eiusdem generis ſcriptores, quibus addenda Samuelis Rachelii ad philoſophiam moralem Ariſtotelis introductio, itemque Ioannis Eiſenbarti inſtitutionum iuris na-*

contemnenda ſunt Peripateticorum, Theophraſti Ereſii, Andronici Rhodii, Alexandri Aphrodiſaei, ceterorumque opera. Ego tamen ita arbitror, Stoicos, Socraticae diſciplinae alumnos, in hoc litterarum genere ita excelluiſſe, vt Peripateticis, pariter ac Epicuraeis, (p) dubiam reddiderint palmam, licet & ipſi ſubinde a recto aberrarint tramite. (q) Extat Epiſtola Nazianzeni ad Eudoxium Rhetorem, (r) in qua cum ceteris philoſophis ita contendit, Stoicos, vt his principem tribuat inter omnes locum, cuius iudicio eousque ſubſcribo, quod in morum doctrina non temere occurrant; inter

 vete-

turalis in moralis philoſophiae doctrina repraeſentatio.

(p) *Horum doctrinam moralem exhibet Gaſſendus in ſyſtemate philoſophie Epicuraeae, & alibi: item Bernier Abregé de la philoſophie de Gaſſendi: add. Gatakerus praeloquio in M. Aurelii Antonini librum de ſe ipſo ad ſe ipſum.* (q) *Hoc ipſe oſtendi in quatuor diſſertationibus de erroribus Stoicorum in philoſophia morali. Ipſam illorum doctrinam moralem ex recentioribus Iuſtus Lipſius, & Caſpar Scioppius, dederunt, & du Vair, dans la philoſophie des Stoiques. Add. Gatakerus in praeloquio ad Antoninum, & de Iurisprudentia illorum naturali. Hertius &c.* (r) *apud Baſilium M. n. CXVIII.*

veteres, qui Stoicos ſuperauerint. Non ſpernenda, fateor, ſunt Pythagoraeorum effata, quae praeter Schallerum, vel potius Marcum Mappum, (s) aliosque e tenebris produxit Magnus Daniel Omeiſius. (t) Stoicorum tamen in quibusdam, ſi non pluris, certe non minoris ego fecerim decreta. Vtinam vero multa praeſtantiſſimorum virorum, qui ſtrenue in porticu militarunt, pulcherrimaeque de officiis hominum, quae periere, commentationes, ad nos peruenisſent! Sane tum demum poſſet intelligi, quantum ius naturae deberet Stoicis. Praeclara quidem ſunt, quae Seneca, Stoicis vtique, non Epicuraeis, vt Scaliger cenſet, aut Cynicis annumerandus, (u) Epictetus, & qui, iudice Dacerio, (x) vtrumque ſuperat, M. Aurelius Antoninus Imperator & Philoſophus, praecepere, iis tamen, quae aeternis tenebris obruta ſunt, Stoicorum operibus, haec cedere puto.

§. XX. Non leuiter autem Stoicos ius naturae attigiſſe, nec intra paraeneſes ſubſtitiſſe, vel Ciceronis de officiis libri teſtantur. Vtut enim Academicorum ſubinde illi

(s) *in diſſert. de Ethica Pythagor.* (t) *in Ethica Pythagoraea. add. auctores hactenus laudati.* (u) *vid. Ionſius de ſcriptoribus hiſtor. philoſ. lib. III. cap. XX.* (x) *in praefat. ad M. Aurelii Antonini verſionem gallicam.*

illi probentur placita, in morali tamen philoſophia ex Stoicorum fontibus, ſua vtplurimum irrigauit arua. (y) Haec vero quoties mecum reputo, mirari ſubit, qui factum, vt non chriſtiani veteres manibus pedibusque in Stoicorum philoſophiam iuerint. Errores enim illorum haud difficulter potuiſſent refecari. Hieronymus quidem, a chriſtianorum de moribus placitis, quam proxime abeſſe Stoicos profitetur diſerte: (z) Nihiloſecius plerique veterum, Platonicorum ſectati ſunt dogmata, ſaepius etiam incautius cum chriſtiana religione ea coniungendo, in grauiſſimos errores praecipitati. Si coniiciendo hic proficeretur, ad rei ſummam, quae tamen ceteroquin lubrica admodum via eſt, praeterquam quod ipſa Platonicae quoque & chriſtianae doctrinae conuenientia multos inducere ad hoc potuerit, haud adeo diſpliceret mihi eorum ſententia, qui multitudine ſua chriſtianis quam maxime noceuiſſe Stoicos, praeſertim cum moribus integris vitaque honeſtiſſime acta, magnam ſibi paraſſent auctoritatem, indeque adeo odio illis fuiſſe, opinantur. Sane Stoicos ſua aetate omnes ceterarum haereſium philoſophos, numero

(y) *vid. Henricus Iulius Scheurlius in Bibliographia morali, §. XXIX.* (z) *in cap. VIII. Eſaiae.*

Digitized by Google

mero ſuperaſſe, Sextus Empiricus (a) loculples mihi teſtis eſt. Prior tamen apud me potior eſt ratio, cum exiſtimem, in quibusdam ſanctiorem adhuc eſſe Platonis & Pythagorae philoſophiam, quam Stoicorum, & huic multis nominibus praeferendam, cuius cauſam facile perſpiciat, qui ſecum expenderit, longe plura vtrumque a barbaris gentibus, forte & ab ipſis Ebraeis per traditionem accepta, retinuiſſe, quam reliquos philoſophos. Quicquid huius ſit, neglexerunt Stoicam philoſophiam, & Platonicam initio, deinceps vero Ariſtotelicam, inito quaſi certamine amplexi ſunt, eo quidem euentu, vt parum abfuerit, quin moralis doctrinae iacturam fecerint.

§. XXI. Enimuero vt illorum, qui ſe Peripatericos aut Ariſtotelicos eſſe gloriantur, de vndecim virtutibus commentationes, quandoque ſatis ieiunas, dignas eſſe, quae hoc titulo ſuperbiant, credam, vix a me impetrare queo. Non is ſum, qui de gloria & exiſtimatione iſtius Philoſophi aliquid detractum cupiam. Scio, multos tum demum ſapientiae ſe litaſſe credere, ſi in Stagiritam acriter inſurgant, inter quos Franciſcus ille Patritius primum obtinet locum (b), ſed nec illud me fugit, hominem fuiſſe

(a) *lib. 1. de philoſ.* (b) *in diſcuſſionibus Peripateticis : add : Petrus Gaſſendus in exercitationibus*

fuiſſe Ariſtotelem, & eum excellenti quidem ingenio praeditum, multis tamen, iisque grauiſſimis & vitiis & erroribus fuiſſe obnoxium: quae vero de morali philoſophia ſcripſit, ad ciuilem rectius referri, (c) & cum iis, quae aut Plato, aut Stoici de ea praeceperunt, neutiquam eſſe comparanda, ſaltem veris & genuinis doctrinae moralis fontibus recludendis non ſufficere, tantum abeſt, vt omnem eius ambitum exhauriant. Et nihilofecius per aliquot ſecula, ex quo ſcholas occupauit Stagirita, intra hosce terminos morum doctrina ſubſtitit. Quin aliud adhuc malum, graeci ſermonis imperitia accedebat, vnde hi ipſi, qui peripateticae philoſophiae praeclari audiebant interpretes, ne mentem quidem Stagiritae ſatis aſſequebantur, ludicraque adeo commenta ſuis propinauere diſcipulis. Sed huic quidem malo praeter alios Petrus

paradoxicis contra Ariſtotelaeos. (c) *genuinum ethicae Ariſtotelicae ſyſtema, ciuilem potius quam moralem doctrinam exhibens, paucis delineaui T. I. Inſtit. philoſ. eclect. part. I. c. IV. §. XXXIII. De naeuis etiam ethicae Ariſtotelicae meo ductu diſſertationem iuuenis quidam ſcripſit. Defectum agnoſcunt, qui ceteroquin communem ſententiam ſequuntur. vid. Omeiſii theatrum virtutum ab Ariſtotele omiſſarum.*

Petrus Victorius, eruditiſſimus vir, obviam iuit.

§. XXII. Atque de Ariſtotele quidem multi praeclare meriti ſunt, moralis tamen doctrina non alia inde incrementa ſumſit, quam vt nunc demum, quid Ariſtoteles ſenſerit, neminem facile latere poſſet. Fata tandem dedere Hugonem Grotium, illum iuris naturae reſtauratorem feliciſſimum, qui reſtitutae ſuo nitori, huius philoſophiae moralis partis, gloriam, apud litteratum, quacunque patet, orbem, iam pridem retulit. Reprehenduntur, fateor, in eius de belli & pacis iure libris ſingulares quaedam ſententiae, quas tamen facile declinabit peritus lector, neque propter aliquem naevum, totius corporis pulchritudinem deſpiciet. Hic ſignum aliquod ad bene de iure naturali ſperandum ſuſtulit, viamque primam ingreſſus eſt, quam clariſſimi deinceps, ſolertiſſimique viri, ſuis ſignarunt veſtigiis.

§. XXIII. Non ſpernenda equidem, iam ante Grotium, in medium attulere Philippus Melanchthon, atque Benedictus Winckerus, ille quidem in ſua philoſophiae moralis epitome. hic autem in commentatione de principiis iuris. Sed dispellendis tam craſſis, quae orbi incumbebant tenebris, lux tenuis non ſufficiebat: cum

poſt

poſt Melanchthonis aetatem, omnes, praeeunte Theologorum ordine, in ſcholaſticorum commentis poſtliminio reducendis, immo augendis atque ſtabiliendis, certatim elaborarent. Grotio demum ingenium. & tanta inter eruditos obtigerat auctoritas, vt vel hoc nomine, ſi quisquam alius, ille ſane pareſſe tam arduo operi, merito crederetur. Nec tamen conſtitutum illi quicquam aliud fuit, quam gentium integrarum controuerſiis hanc iuris accommodare tractationem; vt iuris gentium quoque nomine appellare illos libros voluerit, quos de belli pacisque iure deinceps inſcripſit. Hoc ipſum vero cum ita exequeretur, vt certis ex gentium, immo ex humani generis natura, conſtitutis principiis, reliqua ordine inde deriuaret, exemplum praeiuit reliquis praeclarum vtique, & omnino imitandum, quod in vniuerſo naturae iure, qua ſingulorum etiam officia ſpectat, hunc in modum adornando, ſequerentur.

§. XXIV. Prodiiſſe hos Hugonis Grotii libros primum Pariſiis A. M DC XXV. conſtat, quos ſuaſu ſummi viri, Peireſcii, compoſuit, cuius ſingulari in litteras earumque cultores fauori, egregios quos orbis eruditus inde percepit fructus, merito haud ingrata imputat poſteritas. Nec quisquam, quam-

quamdiu ipſe vixit Grotius, contra eos quicquam mouere auſus eſt: niſi quod tertio, ab eo tempore quo prodierunt anno, M DC XXVII. die quarto Februarii, ab inquiſitionis, quod Romae eſt, officio nota hereſeos illis inureretur. Quam ſeueritatem forte non expectaſſet Grotius, qui multa Romanae eccleſiae placita, etiam hoc ipſo in opere, non ſine aliorum indignatione, comprobauit. Ceteros vt auctoritate forte famaque, a cenſura, quam diu vixit, deterruit: ita erumpente liberius poſt mortem inuidia, celebrari contra magis hi libri coeperunt, paſſimque eruditorum commentariis illuſtrari, vt tum demum, quid Grotius ſibi voluiſſet, intelligi videretur.

§. XXV. Sed Ioannes tamen Seldenus actus gloriae cupiditate in transuorſum videtur, ſi ſtandum illorum iudicio eſt, qui Grotii aemulatione incenſum putant virum doctiſſimum, eruditum illud de iure naturae & gentium, iuxta diſciplinam Ebraeorum opus, in lucem emiſiſſe. Certe hoc ſua induſtria effecit, vt, quae Ebraeorum de grauiſſimis iuris naturae capitibus ſententia ſit, neminem fugere poſſit. Extitiſſe autem in hac gente, qui & ingenio, & doctrina cum quibusuis certare queant, vel Moſis-Maimonidis, doctiſſimi vtique viri

viri & iuris peritiſſimi, exemplo conſtat. Accedit, quod quae a maioribus ſuis acceperunt, diligentia, qua poſſunt maxima, referant Ebraei doctores, vt vel hoc nomine, de hac moralis doctrinae parte, non male meriti videantur. Et Seldenus quidem, Noachidarum decantatis praeceptis fundamenti loco ſubſtratis, longe lateque per varia non iuris modo, ſed antiquitatis capita procurrit, in Ebraeis, Graecis, Latinis, Arabicis ſcriptoribus, immo ipſis Scholaſticis, nihil intactum relinquens, quod ſuo quodammodo inſtituto inſeruire putauit. Hocipſum vero eſt, quod nonnulli in eo reprehendunt, (d) qui ſuo eum comprobaſſe exemplo aiunt, quam facile nimia eruditionis conſectatione, iudicii vim obtundant, viri docti. Iomnem Seldenum hac ratione ſua ita perturbaſſe ſtudia vt eodem tempore, de rebus toto genere diuerſis cogitaret. Digreſſiones enim, inquiunt, captat adeo remotas, & interdum tam longas, vt niſi ita ſtudia inſtituiſſet (haec enim mali iſtius, quod eruditos vexat, origo) non potuiſſet tantam ordinis & rerum perturbationem ferre. Ac ſane dum ordinem & perſpicuitatem negligit, non parum taedii lectoribus creat; quae vera ac vtilia habet, longe plurima minus facile intelli-

C gun-

(d) vid. *Io. Clericus in Arte critica part. I. cap. V. p. 143.*

guntur, & ſicubi in errorem delabitur, vix origo erroris deprehendi poteſt.

§. XXVI. Mortuo Hugone Grotio, in illorum numero, qui lucem iuri naturae affundere annitebantur, comparuit Thomas Hobbeſius, Malmesburienſis, vir, omnium iudicio, ingenii ſubtiliſſimi. Is ſi tantam ad litterarum ſtudia attuliſſet probitatem, quantum attulit ingenium, ingens ab eo emolumentum cum omnes litterae, tum maxime iuris naturalis diſciplina capere potuiſſet. Iam vero ſuam quam excogitavit de ſtatu naturali fabulam, ceteraque quae eidem ſuperſtruxit, eo comparatam voluit, Carolo ſecundo vt placeret Angliae Regi: Plane ac ſi imperantium in tuto collocari maieſtas nequeat, niſi aduocatis in ſubſidium figmentis. Is vero etiam dum pius in regem videri voluit, parum abeſt, quin impius in Deum, ipſam religionem imperantium arbitrio ſubiiciendo, iniuriisque in ciues, ſeruili prorſus conditioni eos addicendo, extiterit. Videre vero & hic licuit, quam difficile ſit mediam tenere viam, quoties ciuium libertas, auctoritasque Principum, inter ſe committuntur. Hobbeſius vero ſuae audaciae poenas abunde dedit Richardo Cumberlandio, Io. Bramhallo, Gisberto Cocquio, Roberto Scharrockio, Roberto Felmer, Io. Schafto, Samueli Strimeſio, aliisque, qui ingenium cala-

calamosque contra eum acuerunt: quorum vt idem scopus, ita nescio, an idem fuerit successus: ne quid nunc de iis dicam, qui non quidem ex instituto, sed data occasione, & ὡς ἐν παρόδῳ illum aggressi sunt. Nec tamen defuerunt qui patrocinium eius susciperent, eiusque philosophiam defenderent, quos inter Lambertus Velthuysius eminet, (e) ingenio profecto & acumine ipsi Hobbesio comparandus. Danielis Scargili enim conatus, cuius auctor vitae Hobbesianae meminit, in ipsa, quod aiunt, herba suppressi sunt.

§. XXVII. Et Hobbesii quidem de ciue elementa A. M DC XLVI. lucem primum adspexerunt, quae aliquot post annos, videlicet M DC LI. alter eius foetus, cui Leviathan titulum fecit, excepit. Sed Grotii tamen nondum ita obliterata memoria erat, vt non quosdam, eius de belli & pacis iure libri, occuparent. Et hoc ipso sane tempore Ioannes a Felden, vir iuris pariter ac matheseos callentissimus, pro eo, quem erga Aristotelem animo conceperat fauore, insurgere in Grotium, eiusque dicta, in quibus a tanto sapientiae magistro dissenserat, atro notare lapillo, in animum induxit. Cuius conatus non displicebant illis, qui

(e) *in disquisitione epistolica de principiis iusti & decori, primo seorsim, deinde cum reliquis eius operibus edita.*

famam & gloriam Grotii aegris intuebantur oculis. Quos inter & Claudius Salmaſius fuit, qui ſuae inuidiae praeclarum hoc extare voluit monumentum, in quadam epiſtola, quam e tenebris produxit vir clariſſi„mus Thomas Crenius: (f) in philoſophi„cis, ſi diſputandi ſolertia ſpectetur, vix „mediocribus par eſt: nec vnquam vidi, „qui minori cum vi ratiocinetur: id quod „teſtantur ſcripta eius, quibus Riuetus & „Mareſius reſcripſerunt: in ſtudio litera„rum multos habet pares, & plurimos ſu„periores. In iure quantum excelluerit, o„ſtendit ſparſio florum ad ius Iuſtinianeum. „Librum eius de iure belli ac pacis refu„tandum ſuſcepit quidam Profeſſor almae „Iuliae, quiamicis aliquot, quos vidi, ad„firmauit, ſe oſtenſurum eſſe, nullam pa„ginam vacare inſignibus erratis. Nul„lus dubito, quin Feldenum deſignet Sal„maſius, qui quo animo ad hanc cenſuram acceſſerit, vel ex hoc ipſo intelligere licet, quod nullam paginam erratis vacare, ſe oſtenſurum pollicitus ſit. Prodierunt vero tandem annotata iſta A. M DC LIII. quibus Theodorus Graswinkelius, vir doctus, & ciuilium rerum haud imperitus, anno ſequenti ſtricturas ſuas oppoſuit, quas duobus Hugonis Grotii filiis ſacras eſſe voluit.

Non

(f) *T. I. Animaduerſ. philolog. & hiſtor. p. 22.*

Non equidem ſibi defuit Feldenus, ſed reſponſionem ad iſtas ſtricturas edidit, tacente quidem Graswinkelio, forte quod perſpexiſſet, optimam hanc eſſe vincendi litigioſos homines rationem, ſi res ſuas ſibi habere iubeantur.

§. XXVIII. Sed iuuabit, obſeruata, quantum fieri poteſt, annorum ſerie, quae naturalis iuris doctrina ſubierit fata, porro pertexere. Anno itaque M DC LIX. Martini Schookii, viri in quo alia omnia potius quam diligentiam deſideraueris, prodiit de iure naturae liber, in quo tamen nihil eximii admodum & non quotidianum attuliſſe viſus eſt: quanquam idem & aliis ſcriptis, ad ciuilem moralemque doctrinam ſpectantibus, ingenii periclitatus ſit vires. Quae inter, de imperio maritimo, eminet commentatio. Qui vero illum in hoc ordine excepit Io. Henricus Boeclerus, maiorem doctrinae copiam, vimque ingenii exquiſitiorem, ad hoc attuliſſe opus, traditur. Anno namque M DC LXIII. commentarius eius in librum primum, & ſeptem priora capita libri ſecundi, lucem adſpexit, cui ſelectae aliquot, de inſignibus iuris naturalis capitibus, diſſertationes adiunctae ſunt. Multis vtique praeſidiis inſtructus hunc adgreſſus eſt laborem Boeclerus: ciuilis doctrinae peritia in eo haud vulgaris, veteris recentiorisque hiſtoriae cognitio,

fontesque, ex quibus sua hauserat Grotius, perspecti penitus. Anfractus tamen nescio quos, & ambages in eo vituperant nonnulli, & impeditum dicendi genus, quo plura vbique polliceri videtur, quam praestare: cui doctrinae ad illorum, quos offendere nolebat accommodatio, in plerisque viri doctissimi scriptis manifesto se prodens, accedit. Morte autem praepeditus, perducere ad finem coepta non poterat, non sine insigni, vt creditur, litterati orbis damno.

§. XXIX. Ioannes Philippus Mullerus sequenti anno, M DC LXIV. in tabulas redegit Grotii de belli & pacis iure libros. Etenim vt studiis atque moribus, ita ingeniis maxime differunt homines: videasque alios fastidire libros, quos non contextus rationum, succulenta & plena oratione ornatus commendat, alios contra sceletis illis, vt nunc cum medicorum filiis mihi loqui liceat, maximopere delectari. Mercatores itaque si imitentur eruditi, quid mirum? quos tum demum a sapientia commendari nouimus, si merces gustui & indoli emtorum diuersimode attemperatas, exponant. Hinc tam diuersus etiam in iure naturae, ad ingenium mortalium aptando, & instruendo labor. Hinc praeter tabulas, compendia, quorum ni fallor primum a Iano Klenkio concinnatum est,

quod

quod ſub titulo: inſtitutiones iuris naturae, gentium, & publici, A. M DC LXV. lucem adſpexit.

§. XXX. Creſcere tum in dies exiſtimatio coepit de vtilitate librorum Grotii, vt paſſim, in academiis viri docti iuuenibus eosdem praelegere, & interpretari, conſultum ducerent. In his ſummus quoque vir, is ue non minus iuris, quam omnium litterarum conſultiſſimus fuit, Caſpar Ziegierus, cuius in iſtos Hugonis Grotii libros animaduerſiones A. M DC LXVI. prodierunt. Libertatem, modeſtia temperatam, in eo laudant omnes. Nec eruditionem in iis, nec iudicium deſideraueris: meliora tamen & exactiora ab iſto viro proficiſci potuiſſe, ſi ingenii ſui vires intendere aut voluiſſet, aut per temporis rationes potuiſſet, omnes iudicant, quibus res eius cognitae fuere ac exploratae. Vtilem tamen illis operam praeſtitit, qui a ſingularibus in religione opinionibus, quas more ſuo & huic operi paſſim inſperſit Grotius, ſibi cavere cupiunt. Has enim non temere praetermiſit, quin notaret eas, & pro re nata refelleret. Zieglero iungamus iureconſultum, & doctrina, & modeſtia eo non inferiorem, eumque ipſius Hugonis fratrem, Guilielmum Grotium, qui de principiis iuris naturalis enchiridion, quod vocat, edidit. Is in compendio tradere,

quae prolixiori ambitu complexus eſt frater, inſtituit, nec tamen, quae ſibi conſtituerat, ſtadia prorſus emenſus eſt. Agnoſcas facile virum elegantioribus literis innutritum, & ciuilis iuris peritia imbutum, a ſcholaſticis minutiis abhorrentem, minusque adeo placentem illis, quibus pulchrum nihil eſt, niſi quod ineptis vocibus conditum, ineptiori methodo adſtrictum, ſub neſcio cuius *ἀκριβείας* ſpecie illis adblanditur. Academicis tamen ſtudiis eum inſeruire voluit Georgius Goezius, diſertiſſimus quondam Ienenſium antiſtes cuius exemplum ſecuti ſunt, qui deinceps ſuis hoc enchiridium commentationibus illuſtrarunt, Io. Georgius Simon, & Io. Iacobus Mullerus.

§. XXXI. Eodem circiter tempore noua ad hanc doctrinam facta eſt acceſſio, per prodromum iurisprudentiae communis, Dauidis Meuii, in tribunali Suecico, quod Wismariae eſt, vice praeſidis, qui in altera editione, nuclei iuris naturalis & gentium, titulum gerit. Vel ex fronte libri conſtat, alterius, longe maioris operis, hunc velut eſſe praecurſorem: id quod & ex ipſa tractatione, ea, quae generatim de naturali iurisprudentia diſceptari ſolent, exhibente, perſpicitur. Et fama, & ingenium auctoris, & eruditio ſingularis, nihil niſi eximium de ipſo opere ſperare omnes iube-

iubebant, desideriumque vehemens illud videndi, & vsurpandi, in multorum excitarunt animis; irrita tamen hactenus eruditorum fuere vota. Id quod quo fato contigerit, nescio, cum maximam saltem libri partem iam tum perfectam a se testaretur auctor, cum prodromum emitteret in lucem. Est tamen non diffitendum, & in ipso hocce prodromo non omnium promeruisse calculum Meuium. Parumque abfuit, quin ad agendas causas, quam profundiorem iuris naturae inquisitionem, aptiorem eum nonnulli censerent. Id tamen, quod maxime in illo reprehenditur, quod ex statu integritatis principium ac normam iuris naturae repetierit, cum multis ei commune est: dicturque ea de re suo loco. De mutabilitate autem iuris naturae quae dixit, censuram non admodum benignam Samuelis Rachelii (g) pronocarunt. Nec difficile foret, & alia in eo reprehendere, si quis, erroribus aliorum in lucem producendis, se natum crederet.

§. XXXII. Meuium excepit Tubingensium Theologus Ioannes Adamus Osiander, cuius obseruationes, maximam partem theologicas in Hugonem Grotium, A. M DC LXXI. orbis eruditus primum vidit.

(g) *de iure naturae thes. LVI.*

Digitized by Google

Tubingae quippe eodem anno impressas. Exemplo Ziegleri incitatum virum dicas, ad ea & notanda, & consignanda, quae offendere aliquem, ecclesiae Lutheranae scitis innutritum, poterant. Nec negauerit, feciſſe vtrumque, quod operae pretium ſit, qui cogitauerit, ſubinde aſſerere Grotium talia, quae caſtigantur reprehenduntur que merito. Nimium rigorem facile condonabunt Oſiandro, qui theologum fuiſſe recordantur, qui, cum ardua ſemper tractant, nec minutias, quae periculum afferre poſſunt, praetermittere ſolent. De fatis autem Grotii, quod ſuo quaedam operi praemiſit, id magis hiſtoriae cauſa, quam vt vllam inde illi conflaret inuidiam, eum feciſſe, arbitror. Scholaſticorum vero quod ſubinde placita aduocavit, id eiusmodi quidem eſt, vt elegantioribus multum diſpliceat, qui vellent tandem ab hisce quisquiliis moralem doctrinam repurgatam penitus: ſed a viro, qui omnem his in ſtudiis aetatem egit, expectandum aliud nihil fuit. Praetermittenda itaque haec ſunt, & in ceteris, quae recte dicta & obſeruata ſunt, ſua non defraudandus laude. Idemque exiſtimare omnes velim de altero eius opere, qui typus legis naturalis inſcribitur, quodue itidem ad eius iuris, quod ex natura omnibus conſtat,

ſtudium

ſtudium promouendum, comparatum eſſe voluit.

§. XXXIII. Longe aliam viam ingreſſus eſt Samuel Pufendorffius, ad quem nunc temporis nos deducit ordo. Facile vidit vir perſpicaciſſimus, commentariis, annotationibus, ſtricturis, cenſurisque in Hugonem Grotium, parum in naturalis iuris doctrina profici: eo namque tandem rem redire, vt quid Grotius ſenſerit, intelligatur, modo intelligatur, cum commentariis facilius obſcurentur auctores, quam illuſtrentur. Comprobatum nimirum & Grotii exemplo eſt, perpetuis velut circulis litterarum ſtudia circumagi, vt quandoque exiſtant, qui, ex ipſa rerum natura, non ex ſolis libris ſapere geſtientes, eo vsque prouehantur in rerum perſcrutatione, vt, ſupra communem hominum ſortem poſiti, penetraſſe in iſtos receſſus videantur, ad quos ceteris aditus ſit interclusus. Hos mirari, quae mortalium eſt ignauia, quam imitari plerique malunt: remque prorſus egregiam ſe ſuſcepiſſe putant, ſi & ipſi dicant, quod heros eiusmodi dixit, & nouitatis ſpecie ſe commendat. Hinc nouorum ſyſtematum, compendiorum, tabularum, vberrimus prouentus: hinc commentationum & adnotationum florentiſſima ſeges, in quibus ex obſoletis denuo conferunt & conuectant, quae auctor ſpreuerat, oſten-

oſtenſuri, & alios ea dixiſſe, quae ipſe aſſeruit, aut dubiola mouent, aut ſimile quid, quisque pro ingenii ſui modulo, agunt. Haec Ariſtoteles, haec Plato, haec Thomas de Aquino, haec Carteſius, haec Grotius expertus eſt fata. Haec quotidie luditur fabula. Poſtquam eiusmodi librorum pertaeſum, ſurgit iterum aliquis, qui, magno impetu proſtratis & reiectis quotidianis iſtis, noua conſectatur, eandem commentatorum & adnotatorum turbam poſt ſe tracturus. Pufendorffius itaque, Grotii veſtigia premens, facile vidit, hoc in illo laudandum, quod ex ipſa hominum natura, accuratioreque eius conſideratione, nouum aliquod iuris naturae aedificium exſtruxerit. Hoc vnicum eſſe, quo reliquis Grotius praeſtet: hoc ergo & ſibi faciendum: praeſertim cum exquiſita illa humani ingenii meditatio, nunqam ſine fructu inſtituatur, vt non detegat aliquid, quod perſpectum cognitumque neutiquam fuit aliis. Haec magnorum virorum veſtigia feliciter premens Pufendorffius, parum abfuit, quin ſuperaret ipſum Grotium, exemplum ſaltem longe clarius, vna cum Hobbeſio praeiret ceteris, quae vera ratio eſſet, perficiendi, perpoliendique iuris naturalis. Huius ſui inſtituti ſpecimen equidem iam dederat in elementis iurisprudentiae vniuerſalis: ſed illud demum opus, quod plenam do-

doctrinae eius faciem exhibet, omniumque oculos animosque in se conuertit, A. M DC LXXII. prodiit. Quod deinceps ipse in compendium misit, titulo: de officiis hominis & ciuis, indito: sed ita, vt & compendia confici, quae a scholasticorum barbarie aliena essent, posse, ipso hocce exemplo comprobaret.

§. XXXIV. Per istam autem, quam tenuit, philosophandi rationem, Pufendorffius non potuit non a receptis scholasticorum decretis, in quibusdam dissentire. Aegre istud tulerunt quidam ex theologorum ordine viri, qui introducta semel ista sentiendi libertate, nihil tam sanctum, tam inuiolabile fore autumabant, quod non conuellere auderet hominum, noua consectantium, profana libido. Lutheri namque iam pridem relicta simplicitate, scholasticorum postliminio reduxerant commenta, his ecclesiae purioris dogmata ita inuoluerant, vt his saluis, profligari illa posse, non crederent. Integra itaque ad Pufendorffium impugnandum coorta est cohors, in qua principes Iosua Swarzius, Nicolaus Bekmannus, Io. Adamus Scherzerus, Valentinus Velthemius, Valentinus Alberti, Io. Ioachimus Zentgrauius, Samuel Strimesius, Fridericus Gesenius, notissima nomina, totam fere Germaniam, nobilissimasque in ea academias suo strepitu com-

compleuere. Nec rationibus magis quam conuiciis certatum ſtrenue, vt tanto praeclariorem quisque retuliſſe victoriam ſibi videretur, quanto acrius ingenium in conviciis excogitandis probaſſet. Omnibus vero, quod mireris, vnus ſufficiebat Pufendorffius, ſi ab infelici eius hyperaſpiſte Klingero diſcedas, qui ſub nomine Rolleti latitare dicitur, & laeſae maieſtatis ſcholaſticae poenas in academia Ienenſi dedit. Nemine namque, quicunque is eſſet, aut ingenio, aut eruditione, aut promptitudine, aut mordaci & aculeato ſcribendi genere, ſe inferiorem demonſtrabat. Eris Scandica Pufendorffii, & alia eiusdem generis ſcripta vtrinque eo tempore, haud exiguo numero edita, docere & haec quae diximus, & totam belli iſtius vmbratici ſeriem poſſunt, ſi quis accuratius haec noſſe, ſua intereſſe putat.

§. XXXV. Eiusmodi vtique erant, ſupra quibus magnis tum animorum motibus concertabatur, vt aut tuto ignorari, aut facile, ſi mens non laeua fuiſſet, componi potuiſſent. De ſtatu enim naturali, quem ab Hobbeſio, ſed ſacris litteris magis attemperatum, acceperat Pufendorffius, de fundamentali propoſitione legis naturalis, de origine moralitatis, & indifferentia motus phyſici in actione humana, ſimilibusque diſceptabatur acerrime. Eoque effe-

ctum,

ctum, vt magno equidem ſtrepitu paſſim in academiis ius naturae doceretur, cum non temere litis materiam dimittant, qui in ſcholis & academiis viuunt, & infiniti libelli, & diſſertationes innumerae hac de re conſcriberentur: ſed vt omnis labor in ſpeculationes inutiles de principio iuris naturae, ſimilibusque doctrinae ſcholaſticae capitibus abiret. Et qui de hisce verba facere didicerant, pulchre ſibi ſapere, iurisque naturae conſultiſſimi videbantur, cum eius eſſent ignariſſimi. Ita infelici iſta concertatione euenit, vt nobiliſſima iſta philoſophiae pars, a viris cordatis & ad maiora natis, quippe quos ſcholaſticarum eiusmodi quisquiliarum pudebat, neglecta, occupata contra ab hominibus, a quibus multum obſcuritatis, parum lucis aut dignitatis accipere poterat, ſuo pretio excideret, & ſucco neruoque ſpoliata, ieiunisque quaeſtionibus obruta, eodem apud ſapientiores loco, quo iſtud ineptiarum chaos, quod metaphyſicam vocant, haberetur. Sed iuuat tamen, ne quid deſit, languentis, & tantum non agentis animam, fata porro perſequi.

§. XXXVI. Inter praecipuos Pufendorffii aduerſarios Valentinus Alberti fuit, vir nec elegantioris doctrinae rudis, & ceteris multum ingenio praeſtans. Is non tantum variis ſcriptis controuerſa Pufendorffii placita

Digitized by Google

cita impugnauit: ſed nouum quoque iuris naturae ſyſtema, ſuae quam elegit hypotheſi, ſuperſtructum, condidit. Vocauit illud compendium, orthodoxae theologiae conformatum, inque eo illud potiſſimum egit, vt ex ſtatu integritatis, in quo conditus homo initio fuerat, regulam normamque officiorum omnium, quae lex naturae ab omnibus exigit, deriuaret accerſeretque. Quia in re non ſacri modo ordinis viros plerosque, ſed ex iureconſultis quoque Dauidem Meuium, quem ſupra laudavimus, & Vitum Ludouicum Seckendorfium ſibi adſtipulantes habuit. Et huius quidem cum haud obſcure niteretur auctoritate, aliterque ſentientibus ea obiiceretur, oportuit Seckendorfium Pufendorffii quoque experiri aculeos, liberrimumque iudicium, non adſtrictum vllius exiſtimationi, ſed vnice rationibus ſuffultum. Ego vero maximopere miror, potuiſſe inter viros doctiſſimos vllam hac ſuper re exiſtere diſſenſionem. Pufendorffius illorum exponebat officia, qui chriſtianae religionis ſunt expertes: horum contra inſtruunt vitam & theologi, aut quotquot naturae aut integrae, aut reſtitutae conditionem conſiderant. Alio itaque fundamento illum, alio hos niti oportet. Recte vtique haec a ſe inuicem diſcernuntur, cum multa ſint, quae rationis captum ſuperant, & quae fru-

fruſtra illis obtruſeris, qui religionis chriſtianae ſcitis non ſunt imbuti. Cum eiusmodi vero hominibus cum raro nobis commercium intercedat, rurſus diſſimulandum non eſt, ſi a principum negotiis diſcedas, in priuatae vitae inſtitutione longe ampliorem, imo vnicum illius iuris vſum eſſe, quod ad chriſtianam diſciplinam hominum mores exigit. Vt ergo errant, qui ius naturae non aliud agnoſcunt, quam quod ex ſcitis chriſtianae religionis, aut ſtatu naturae vel integrae vel reſtitutae deriuatur, nec ſatis, quae ratio dictitat, diſcernunt ab iis, quae ex reuelatione conſtant: ita rurſus decipiuntur, qui vbique ius naturae crepant, & chriſtianorum etiam ad illud componi actiones volunt, qui tamen longe excellentiori iure, quod naturae ſcilicet reſtitutae eſt, vtuntur; id quod plerisque Pufendorffii ſectatoribus contigit.

§. XXXVII. Superiorem ex hoc certamine diſceſſiſſe Pufendorffium, multa euincunt. Namque vt alia taceam, in iis ipſis academiis, in quibus tam acriter impugnata fuit eius philoſophia, eadem recepta & propagata, ſola fere regnat; explosis & conſepultis aduerſariorum eius decretis. Cum dignitatibus etiam, quibus a magnis principibus ornatus fuit, auctoritas eius creuit, vt ad eam paſſim prouocetur, multisque pro ratione ſit. Necquidquam defuit, quo mi-

nus Grotio tandem aequaretur, quam vt commentarii & adnotationes ad illius opus conſcriberentur. Compendium ex eo fecit quidam, ſub titulo iurisprudentiae vniuerſalis, tironibus non prorſus ſpernendum. Placida eius cumprimis ſectatur Adamus Rechenbergius, in Lipſienſi academia Theologus longe clariſſimus, qui mira breuitate, & exquiſito iudicio, in lineamentis philoſophiae ſuae ciuilis cuncta complexus eſt, additis ex ſuo fundo, quae ad integrum ciuilis doctrinae complexum deeſſe videbantur. Ad libellum etiam de officiis hominis ac ciuis, obſeruationes ſcripſit Gottlieb Gerhard Titius.

§. XXXVIII. Vt redeam, vnde digreſſus ſum, cum Pufendorffius ſuum luci exponeret opus, alii adhuc in ornando explicandoque Grotio elaborarunt. Etenim A. MDCLXXIII. obſeruationes ſuas prodire iuſſit Henricus Henninges, in quibus id operam dedit, vt defenderet Grotium, & contra cenſores eius tueretur. Eodemque fere tempore Io. Georgius Simon, qui initio in Ienenſi, poſtea in Hallenſi academia docuit, recudi Grotii opus fecit, additis itidem notis eruditis iis quidem, aſt non ſemper ad rem facientibus, nec naturali iuri inſignem affundentibus lucem. In hoc laudandus, quod ſubinde ad publicum, quod vocant ius, naturalis iuris decreta accommodauerit.

Digitized by Google

rit. Grotium, ad rem ipſam quod attinet, quandoque ſequitur, quandoque deſerit, interdum & cum Feldeno contra Grotium facit. Qui his A. M DC LXXVI. acceſſit, Samuel Rachelius, iuris in academia Kilonienſi Profeſſor, in diſſertationibus de iure naturae & gentium, Ariſtotelis legit veſtigia, nec facile quicquam, quod alibi obuium non ſit, affert: idem tamen iam antea ſua in Ciceronis officia commentatione, eidemque de natura honeſti praemiſſa diſſertatione, ſuae doctrinae ſpecimen dederat. Valentini Velthemii autem, quae eodem anno comparuit, ad Hugonis Grotii ſaepius laudatos libros introductio, cuiusmodi ſit, ex dictis facile coniectura quis adſequatur. Laudaueris diligentiam viri, conatusque rem litterariam iuuandi: ſcholaſticis tamen nimis eum indulſiſſe tricis, res ipſa docet. Iſta vero tractandi ius naturae ratione, ſi alio ſeculo vixiſſet, ingentem promereri potuiſſet laudem: ſed hac aetate, qua multi iam ſcholaſticam iſtam ſuliginem animo detergere inſtituebant, placere paucis poterat.

§. XXXIX. Iureconſultis hucusque & theologis negotium faceſſiuerat Grotius: nunc vero & criticorum diligentiam provocauit. Gronouium innuo, qui A. M DC LXXX. cum notis ſuis Grotii opus recudi curauit. Sunt iſtae, vti conſtat, diuerſi prorſus

ſus generis, quam quibus vexatus laceratusque a ceteris fuerat Grotius. Non de rebus ipſis, ſed ſenſu Grotii ſollicitus eſt, quem vt recte percipiat lector, anniti debet; hinc obſcurius dictis lucem affundit, quod nemo rectius facere poterat Gronouio. Nec interea defuerunt, qui conſuetam viam tererent, licet non eodem omnes ſucceſſu. Io. Georgius Kulpiſius A. M DC LXXXII. his annumerari voluit, edito collegio iſto Grotiano, quod maximum eruditi orbis adplauſum promeruit. Breuitate enim & iudicio, & moderatione omnibus ſe commendat. Optima ex omnibus ſeligit, vt multis commentariis carere facile queat, qui eo vti voluerit, cum, quod eximium in omnibus eſt, hic vnico faſce comprehenſum videas. Eſt, vbi receptas ſcholae ſententias non prorſus exuere potuit: aſt hosce qualescunque naeuos magnis virtutibus compenſat.

§. XL. Ceterum Grotii nomine cum orbis ita perſonaret: & in aulis, in ſcholis, in circo, in triuio, Grotius aut celebraretur aut damnaretur, quid mirum, ſi & homines latinae linguae imperitos cupido legendi tam praeclarum opus incenderet? Horum inſeruire deſideriis Curtinus voluit gallica verſione, eleganti & perſpicua, vt eadem & commentarii vicem ſuſtinere poſſe credatur. In indice accurato, quem addidit, cuncta velut in compendium miſit, no-

nouamque lucem, additis obſeruatiunculis, locis Grotii difficilioribus conciliauit. Prodiit iſta verſio A. M DC LXXXVIII. & hoc ipſo anno, quo haec ſcribo, M DCC III. recuſa eſt. Ex quo facile documentum capias, eruditis eam haud prorſus ingratam fuiſſe.

§. XLI. Interim in academiis praecipuis Germaniae controuerſiae Pufendorffianae adhuc feruebant, & magnis animorum motibus agitabantur. Praeſertim in Lipſienſi cauſam Pufendorffii, contra acerrimos eius cenſores, tuendam ſuſceperat Chriſtianus Thomaſius, vir ingenii acutiſſimi, ipſique Pufendorffio, vt paucis omnia dicam, comparandus. Is animaduertit, recte equidem, Pufendorffium Grotii veſtigiis inſiſtentem, ex ſocietatis cuſtodia officia hominum ſecundum naturae legem deriuare, & hanc viam premendo, multa ceteris neglecta detexiſſe, aut accuratius & clarius explicaſſe, ſed nondum omnia eum exhauſiſſe. Multa etenim adhuc ſupereſſe in iure naturali, cum illo, quod Pufendorffius ponebat, principio, clariori & euidentiori ratione connectenda. Hoc ergo ſibi datum credidit. Hinc iſtud Pufendorffii de ſocietatis cuſtodia principium ſuis limitibus circumſcripſit, & quae inde deriuari poſſent, accurate oſtendit, quae vero non poſſent, ea iuris naturae eſſe, intrepide negavit. Simul tamen vt illis, qui quae iuris natu-

rae non sunt, statim licita esse, inferre possent, occurreret, non tantum commonstrat, ex alio fonte officia hominis erga Deum, & seipsum fluere, sed de legibus etiam positivis vniuersalibus, accuratiorem quam huc vsque factum, inquisitionem instituit, & in matrimonialibus rebus praecipue, vbi naturae leges non sufficerent, ad diuinas positiuas recurrendum statuit.

§. XLII. Apertius itaque cum multa theologorum, & iureconsultorum scita, quam ab vllo ante eum factum, impugnaret, non potuit non multorum in se concitare odia. Hinc acriter subinde de cultu Dei externo, quem iuris naturalis esse ille negabat, de gradibus affinitatis & consanguinitatis, impurisque & illicitis commixtionum generibus, disputatum fuit. Maxime autem cum opposita haec philosophia illorum sententiae esset, qui, in rationis locum reuelationem substituentes, ex statu, quem vocant integritatis, & disciplina christianorum ius naturae deriuabant, non poterat non, tum ab aliis, tum a clarissimo iureconsulto, eodemque elegantiorum quoque literarum peritissimo, Io. Ludouico Praschio dissentire, qui in sua de lege charitatis commentatione, itemque in designatione iuris naturalis secundum disciplinam christianorum, in eadem se versari opinione demonstrabat. Recruduit ergo inter illos hoc certamen, Praschio qui-

quidem cum ſuis, imperfectionem huius iuris, quod ex ſocialitate, praelucente ratione deriuatur, vrgente: Thomaſio contra naturalis iuris a theologia, quam moralem vocant, obſeruandum diſcrimen, nec rationis reuelationisque confundendos limites, contendente. Et haec quidem aliaque diſputata acriter ſunt, eo tempore, cum hic prima vice iurisprudentiam ſuam diuinam in lucem emitteret, id quod A. M DC LXXXVIII. factum. Recuſa vero eadem fuit, non ſine acceſſione, A. M DC XCIV.

§. XLIII. Legum diuinarum, quas poſitiuas vniuerſales nonnulli vocant, quia antea iniecimus mentionem, quid viros doctos, vt eas in ſcenam producerent, impulerit, paulo explicatius hic tradere operae pretium fuerit. Ipſe, vt rem a prima origine repetam, Hugo Grotius, praeter naturae leges alias adhuc eſſe, quae vniuerſo hominum generi a Deo latae ſint, ſubinnuit, a libera quidem Numinis voluntate profectas, eas tamen vtiles adprime omnibus, valdeque neceſſarias. Non equidem iſtas leges diſerte deſignat, nec rationem a naturalibus luculenter illas diſcernendi, monſtrat: aliis tamen, accuratiori meditatione hoc proſequendi, occaſionem ſuppeditauit. Nec diſplicuit id diſcrimen Zieglero, Kulpiſio, aliisque, licet non deeſſent, qui reiicerent, vt faſtidire nonnulli, quae

nouitatis ſpeciem habent, aſſolent. Ex theologorum tamen ordine Io. Conradum Danhauerum, Io. Adamum Schierzerum, aliosque, eiusmodi leges, quae naturales non ſint, ad omnes tamen pertineant, agnouiſſe, obſeruatum iam nobis ipſis alibi (h) eſt. Vt vero accuratiori ſtudio in eas nonnulli inquirerent, id, quae de polygamia ortae ſunt diſceptationes, effecerunt. Etenim circa annum M DC LXX. & ſequentibus, quidam Io. Lyſerus, mox ſub Sinceri Wahrenbergii, mox ſub Theophili Alethaei nomine latitans, variis ſcriptis polygamiae cauſam agebat, quam & vir quidam illuſtris, & inſigni eruditione clarus, Daphnaei Arcuarii nomine tectus, defendendam ſuſceperat. Hunc certatim refutabant Io. Muſaeus, Diecmarus, Feltmannus, Brunsmannus, Geſenius, aliique ſed iuris naturalis ſcitis inſiſtentes, vix tollere cuncta, quae opponebantur, poterant, vt non dubitandi rationes ſupereſſe crederent, qui prae ceteris perſpicaciores videri volebant. Nec defuit, qui ſub Athanaſii Vincentii nomine polygamiam triumphatricem ſcriberet, ſiue Lyſerus is ſit, ſiue alius. Aliam itaq; viam ſibi ingrediendam cenſuit is, quem laudauimus, Chriſtianus Thomaſius, defenſoribusque polygamiae id dedit, naturae lege

(h) *in diſſertatione de eo, quod abominabile Deo eſt, ceu charactere legis moralis.*

ge non esse nefas, plures ducere vxores; sed aliis Numinis legibus, quas positiuas vniuersales vocauit. Id vero ne lubricum videretur fundamentum, vt indolem legum istarum explicaret, omnesque scrupulos remoueret, omni elaborauit opera. Celebrari inde passim istae leges, & a quibusdam admitti, reiici ab aliis. Vtique, vt mihi videtur, ad ἀνομίαν illarum actionum, quae naturae lege prohibitae, demonstrari nequeunt, nihil accommodatius: vnde & ipse non dubitaui huic subscribere sententiae, & naturalibus diuinas istas positiuas, quae omnes tamen homines obstringant, adiungere. Ne quid tamen dissimulem, remanet semper circa originem & promulgationem istarum dubium, quam positam in aprico oportebat, si mortalium ad eas exigere actiones, fas ducimus. Nec tanta nunc earum mihi apparet necessitas, cum disciplinam christianam non respuant, qui de his officiis disputant: haec autem abunde expleat, quae naturali iuri deesse videntur. Esto ergo, naturae lege non haberi nefas, plures vna ducere vxores: ducant, qui tantum naturae lege viuunt, sed sciant etiam, sibi inter christianos locum non esse; his enim quod idem non liceat, diuinae litterae, quarum iis, qui christiani videri cupiunt, non potest non sacra & inuiolabilis esse auctoritas, nos ignorare non sinunt.

Hoc vero eſt, quod & ipſe alibi monui, recte inter naturae ius & chriſtianam diſciplinam, quam theologia moralis tradit, diſcrimen conſtitui: & vbi de actionibus priuatae ſortis hominum diſceptatur, ad hanc, non ad illud, eas exigendas. Proinde & ſi in hisce naturae leges deficiant, recurrendum omnino ad diſciplinam chriſtianam eſſe, quae naturam reſtitutam, & ad integri ſtatus indolem componendam, ſupponit, & hinc longe perfectiora hominum officia, quam quae iuris naturae ſunt, deſcribit.

§. XLIV. Ad temporis ordinem reuertimur. Etenim A. M DC LXXXIX. Sim. Henrici Muſaei ius paradiſiacum, & Io. Iacobi a Ryſſel de iure naturae & gentium liber, vterque non adeo magni momenti, lucem adſpexit. Hic Pufendorffii veſtigia legit: ille contrariam viam ingreditur, vt vel titulus libri indicat. Ne quid nunc de Eckii principiis iuris naturalis, quae identidem eodem anno edita ſunt commemorem. Hiſce enim non diu admodum immorandum. A. M DC XC. autem Henricus Bodinus, tunc Rinthelenſis, nunc Hallenſis Iureconſultus longe celeberrimus, ſuam de iure mundi diſſertationem dedit, A. M DC XCVIII. Halae recuſam, & vel hoc nomine laudandam, quod diuerſam ab aliis viam ſectans, ex ordine creaturarum cuncta iuris naturalis capita deriuari poſſe, demonſtrauerit.

Ma-

Maioris autem expectationis opus anno sequenti aggressus est, & A. M DC XCI. ad finem perduxit Ioann. Christophorus Becmannus. Illorum namque exemplum, qui veteres scriptores variorum criticorum notis ornatos dederunt, imitatus, Hugonis Grotii de iure belli & pacis opus eadem ratione recudi curauit, additis Gronouii, ceu maxime ad Grotium intelligendum necessariis, Ziegleri, Osiandri, Simonis, aliorumque notis, selectis quidem, & magna cum industria ex ipsis horum virorum commentariis excerptis. Laudanda, quicquid alii dicant, illorum diligentia, qui non tam suae gloriae, quam illorum, qui litterarum sacris operantur, vtilitati consultum cupiunt. Quod profecto & illi faciunt, qui vasta aliorum volumina in compendium mittunt, magno illorum commodo, qui & tempori, & sumtibus parcere cupiunt. Difficillimum autem hic est, omnium satisfacere votis, cum vt moribus, ita iudiciis, maximopere a se dissideant mortales, & necessarium seligendumque prae ceteris existimet vnus, quod superuacaneum & omnino praetermittendum alii arbitrantur. Becmannus autem sollicite hoc labore perfunctus est, adeo vt neque Curtini gallicam versionem praetermitteret, si quid forte & ex ea lucis Grotio affundere posset. Imitatus equidem hoc institutum

tum in Belgio Spinaeus quidam eſt, itidem cum notis variorum Grotii opus edens, ſed minori, quam Becmannus, vt ego quidem iudico, ſucceſſu.

§. XLV. Ita ergo Grotius ſemper praeceteris eminuit, vt nondum deſinerent viri eruditi, aut commentarios in eum ſcribere, aut ex eo compendia concinnare. Principem in his locum merito obtinet Philippus Reinhardus Vitriarius, qui ſereniſſimo principi Chriſtiano Ludouico, Marchioni Brandenburgico, naturae leges explicaturus, Hugonem Grotium in quaeſtiones luculentas redegit, ſumma iuris naturalis capita iis ita complexus, vt, quod optimum in praecipuis commentatoribus, ſimul inſereret, ſubinde etiam ad ſtatum imperii Germanici reſpiceret, Grotio autem ita inhaereret, vt nec ab eo diſſentire ſibi religioni duceret. Edidit has quaeſtiones titulo: inſtitutiones iuris naturae & gentium, ad methodum Hugonis Grotii conſcriptae: A. M DC XCII. Lugduni Batauorum, quas iam duabus vicibus heic loci, addita hac ipſa hiſtoria iuris naturalis, quam nunc auctiorem damus, itemque ſynopſi iuris naturae & gentium Seldeniana, recudi curauimus. Vitriario autem comitem damus, quem ſibi adiungi haud aegre puto feret, ſuminum virum Ioannem Scheſferum, ex tot praeclaris ingenii monumentis

tis orbi erudito haud incognitum. Is in gratiam Gustaui Adolphi, Comitis de la Gardie, summatim succinctis propositionibus Grotii opus complexus fuit, mira & breuitate & perspicuitate: indeque enatus est Hugo ille Grotius enucleatus, quem Dethleuus Marcus Friese, A. M DC XCIII. luci exposuit. Aut me omnia fallunt, aut dubiam libellus hic reliquis compendiis palmam reddit. Tanta fide, tam accurate, simulque tam breuiter Grotii mentem reddit, vt dubitem, an ipse Grotius mentem exprimere aptius potuerit, si breuiori vti sermone voluisset: simul tam perspicue, vt & pro commentario esse queat. Exigua, scio, laus est, mittere in compendium alterius laborem: accurate mittere, profecto non cuiusuis est.

§. XLVI. A compendiis iterum ad splendidiora opera conuertimur. Anno namque M DC XCVI. Guilielmus van der Muelen, & Ioannes Tesmarus in hoc ordine comparuerunt, quorum commentationibus illustratus est Grotius. Illius opus Vltraiecti impressum est, tribus constans tomis, quorum vltimus demum hoc ipso, quo haec scribo, anno M DCC III. prodiit. Vastum equidem opus, & varia eruditione refertum, sed quod sine lectoris, vt puto, damno minore constare mole potuisset. Ingenii sui specimen ceteroquin in hac do-

doctrinae parte idem auctor dedit in concertatione de iure naturae paradisiaco, cum Simone Henrico Musaeo. Huius enim sententiam cum ille in dissertatione de iuris naturae origine impugnasset, Musaevs quidem vindicias iuris naturae scripsit, quibus Muelenius suae dissertationis defensionem, vt huic iterum Musaeus responsionem, opposuit. Sed haec iam ante A. M DC LXXIV. sequentibusque acta sunt. Alter vero, Ioannes Tesmarus, de augendo potius Grotio, quam iure naturae explicando, sollicitus fuit. Id enim praecipue agit, vt ex historicis, aliisque veterum monumentis, testimonia & exempla congerat, quibus dicta confirmet atque illustret. Haud credo perpendit, etiam res optimas, cum nimiae sunt, noxias esse. Planeque suffragor Ioanni Henrico Boeclero, i) exquisitam iuris naturae notitiam ex iisdem petendam fontibus, ex quibus eam ipse hausit Grotius: sed ita etiam legendos eiusmodi auctores, vt lecta rite digeramus, ad exemplum Grotii, addi velim. Philosophos ille consuluit omnium sectarum, consuluit & historicos, oratores, & poetas, qui haud raro cum philosophis paria faciunt. Certe ex huiusmodi scriptoribus, quantum roboris aut praesidii, aut subsidii auxiliique, aut cultus ac ornamenti accedat

(i) *in præf. Comment. ad Grot.*

dat iuri naturae, ex vno incomparabili Grotii de iure belli ac pacis opere intelligi posse, Io. Andreas Bosius (l) pronunciauit. Recte equidem, modo in his omnibus selectus instituatur, nec iudicii vim infringat imminuatque rerum, quas vbiuis sectamur, copia. Sed ad Tesmarum redeo, cuius commentationi satis prolixae accedunt etiam obseruationes summi viri, & harum rerum longe peritissimi, Vlrici Obrechti. Ego sic arbitror, si quis aliquid Grotio dignum proferre potuisset, hunc esse Obrechtum: id quod dissertationes eius, de sponsore pacis & ratione belli, condocent. Hae tamen obseruationes opinioni, quam omnes de viri istius exquisita doctrina animo conceperunt, non respondent: idque ideo, quod ipso inuito, quas iuuenes docendo, prout in mentem venerant, proposuerat, impressae, & Tesmari commentationi, vt pretium inde accederet, annexae sint.

§. XLVII. Obrechti interim constitit exemplo, eum hanc doctrinam cura sua indignam non reputasse, licet hucvsque scholasticis disputationibus valde esset commaculata. Et vnica haec est ratio, vt pristino nitori restituatur, si viri non prudentia minus, quam doctrina pollentes, in ea percolenda operam studiumque

(l) *de comparanda prudent. ciuil. §. CVI.*

Digitized by Google

que collocent. Quo nomine & laudandus illuſtris vir Henricus Cocceius, cuius maxima in rem litterariam merita nemo, niſi omnium rerum rudis, ignorare poteſt: qui magna cum laude in naturali quoque iurisprudentia verſatus eſt. Id cum paſſim iuuenes teſtarentur, qui eius in Hugonem Grotium praelectiones frequentauerant, & ex poſitionibus quoque eius, pro explicatione iuris gentium, illuceſceret, Henricus tandem Erneſtus Keſtnerus, iuris in academia Rinthelenſi Profeſſor, quae ab illo acceperat, additis de ſuo nonnullis, vberiori commentatione, in lucem Cocceii placita protulit, edita A. M DC XCVII. prudentia iuris naturalis, ſex diſputationibus expoſita. Biennio poſt A. M DC XCIX. ipſe illuſtris vir, ſuam in diſſertatione, de principio iuris naturae vnico, vero & adaequato, mentem de hoc iurisprudentiae capite, de quo tamdiu, tamque acriter concertatum, aperuit, doctrinaeque ſuae ſummam complexus eſt. Ex eo vero intelligebatur, quod & aliunde conſtabat, voluntatem Dei pro vero & vnico iuris naturae & obligationis principio, ex mente viri ſummi, habendam eſſe. Hanc vero, qua ius permiſſiuum, a facultate & libertate agendi a creatore nobis conceſſa, qua ius praeceptiuum, aliunde cognoſci, atque nobis innoteſcere. Abire ea in re quam longis-

gissime a receptis hactenus opinionibus videbatur, ut nec temperare sibi hinc inde viri quidam docti possent, anonymus scilicet quidam, (m) Io. Nicolaus Hertius, (n) & Iacobus Friedericus Ludouici noster, (o) quin sua contra hanc sententiam dubia exponerent. Ea res occasionem dedit Samueli Cocceio, magni parentis haud degeneri filio, vt tractatum, quem vocat iuris gentium, de principio iuris naturalis vnico, vero, & adaequato A. M DCC II. in lucem emitteret, in cuius parte altera suam parentisque sui sententiam clare & perspicue edisserit, in altera, a dubiis doctorum virorum, & obiectionibus eam vindicat. Summa doctrinae, quam vterque eruditissimus vir, & pater & filius, tuetur, eo redit: primum iuris naturalis, vti & antea indicauimus, principium esse ipsam Numinis voluntatem: cum ad id demum obstricti homines sint, quod Deus velit, id possint, quod ille non prohibeat; id autem quod Deus permittat, vel ex ipsa libertate & facultate mortalibus a Deo concessa intelligi, cum nefas sit cogitare, concedi a Deo facultatem agendi, quam exeri nolit.

(m) *in dissertatione peculiari, Ephemeridibus litterariis Hannouerianis mense Iulio M DCC. inserta.* (n) *in dissert. socialitate, primo iuris naturalis principio.* (o) *in delineatione historiae iuris diuini.*

Quoties autem illa libertas, naturalisque facultas a Deo reſtringatur, & certis circumſcribatur limitibus, tum inde oriri illud ius, quod praeceptiuum vocant. Hoc vero intelligi atque cognoſci, ex verbis Dei, ex motibus a Deo creatis, ex actionibus creatoris, ex fine actionis neceſſario vel probabili, ex medii neceſſitate, & denique ex natura perfectiſſimi creatoris, qui nihil fruſtra fecerit. Eleganter haec ita & accurate docentur. Nec enim mihi perſuadere poſſum, à praeſtantiſſimis iuris naturae magiſtris, eorumque decretis, immo ipſo Pufendorffio haec magnopere diſſentire, vt prima quidem fronte videri poterant. Dei enim voluntatem eſſe iuris naturalis cauſam, quam efficientem, itemque principium eſſendi, in ſcholis barbare vocare ſolent, nemo puto temere negauerit. Eamque rem, cum Grotii dubitatio ſtatim explosa a cordatioribus ſit, multis comprobari, quod nulla de ea lis eſſet, forte ſuperuacaneum quibusdam videri poterat. Ea vero Numinis voluntas recte quidem ex iis, qui allati ſunt, fontibus intelligitur, facultate ſcilicet, libertateque agendi, a creatore nobis conceſſa, ceteriſque: ſed & ex ſocietatis cuſtodia, quam alii vrgent, recte intelligitur. Huc ergo omnis tandem iſta contentio redit, quidnam in hominis natura deprehendatur, quod

quod quam facillime, quam euidentiſſime, illam Numinis nobis patefaciat voluntatem? Fateor, multa in homine ſunt, quae, accuratiore conſideratione expenſa, hanc nos edoceant. Ideoque mirum non eſt, diuerſas doctorum virorum, de primo iuris naturalis principio, quod cognoſcendi in ſcholis vocant, eſſe ſententias. Multiplici enim ratione homo conſiderari poteſt, multique adeo inde naſcuntur conceptus, ex quibus hominum deriuare officia pronum eſt. Nec tamen inde vlla iuris naturalis colligenda eſt incertitudo: cum non ad ipſas naturae leges, ſed ad modum accuratius eas cognoſcendi, & interpretandi, tota ea pertineat diſputatio: quae profecto, ſi rem, vti eſt, efferre licet, & ipſa non adeo magni momenti eſt, in logicorum potius, quam iureconſultorum, commentationibus ventilanda. Ergo ex iſtis, vtriusque Cocceii, criteriis, voluntas Numinis intelligitur, & etiam ex ſocialitate: ſed ex hac tamen ea ſaltem officia, quae ad alios homines pertinent. In officiis namque hominis erga Deum, & erga ſe ipſum, alium noſtrae cognitionis fontem quaerendum, conſtituendumque eſſe, lubens fateor. Suis autem limitibus circumſcripta ſocietatis cuſtodia, cum, quae aliis debemus, & apte ſatis, & plene, & luculenter exhibeat, non video, cur reſpuere eam debeamus, & in

eius vicem alios conceptus, & quidem plures ſubſtituere, qui ne quidem vniuerſi noſtram cognitionem, aeque ac ſocialitatis, adiuuent, tantum abeſt, vt ſinguli hoc efficere valeant. Nec euinci poteſt exemplis, omnibus officiis erga alios hunc non ſufficere fontem, cum ea aut omnino iuris naturalis non ſint, aut ſaltem ad officia erga alios non pertineant. Poſſunt autem omnino quaedam iuris naturalis eſſe, licet ad alios non ſpectent homines: modo id obſeruetur, duplici ſubinde acceptione vocem iuris venire, quae ſubinde inter ſe miſceantur. Nam cum quis ab alio exigere aliquid poteſt, id ius vocamus; & etiam leges generatim, quibus homo obſtringitur, hoc nomine comprehendimus. Ad priorem niſi me omnia fallunt, ſignificationem illuſtres illi viri, de quibus hic ſermo inſtituitur, ſubinde reſpiciunt: & ita etiam non poteſt non illud, quod inter ius & virtutem conſtituunt, diſcrimen inde fluere. Altera autem apud plerosque ſignificatio obtinuit: quam adeo qui ſequuntur, facile intelligunt, ius ac virtutem aeque late patere, poſitumque in eo ſaltem diſcrimen, quod ius obligationem perfectam pariter ac imperfectam inferat, animi autem diſpoſitionem deſignet virtus.

§. XLVIII.

Digitized by Google

§. XLVIII. Iureconsultos excipiunt adhuc theologi duo clarissimi, qui identidem sua extare de iure naturali monumenta voluerunt. Alter Argentoratensium est, Ioannes Ioachimus Zentgrafius, Tubingensivm alter, Michael Fortchius. Hic Ambrosii de officiis libros tres, dum, vt supra diximus, recudi fecit, quinque adiecit dissertationes; primam analyticam, de officiis Ambrosii, alteram de patrum philosophia morali historico-analyticam, tertiam de natura & indole officii secundum disciplinam christianam, de officii efficientia quartam, & quintam denique de officiorum comparatione. Ostendit vero vbique, intimiores doctrinae moralis recessus sibi non esse ignotos; eaque affert, quae profundiorem facile prouocare meditationem queant. Ille vero notus iam ex aliis, huius argumenti, ingenii monumentis, praesertim disquisitione illa de origine, veritate, & immutabili rectitudine iuris naturalis, secundum disciplinam christianam, ad gentilium tamen captum instituta, & Pufendorffio A. M DC LXXVIII. opposita: itemque vindiciis originum suarum, contra Pufendorffium & Strimesium, A. M DC LXXXI. editis, summam iuris diuini, siue isagogicam, vt vocat, institutionem, de iustitia & iure, A. M DC XCIX. emisit. Coniunxit, vt vel ex fronte libri patet, rationem cum scriptura

ptura ſacra: nec adeo tantum ius naturae, ſed & haud contemnendam theologiae moralis partem tradit, exemplo non quidem vituperando, caute tamen, ne permiſceamus ſecernenda, imitando.

§. XLIX. Et haec quidem iuris naturalis, ad noſtram vsque aetatem, fuere fata, aequa, iniqua, communia omnino cum reliquis literarum generibus. Nunquam enim vllam doctrinae partem, excellentium ingeniorum monumentis, perfici inſigniter contigit, vt non mox eadem, intempeſtiua vt plurimum, illorum, qui eius ſe cultores profitentur, diligentia, nouis involueretur tenebris: quibus diſcutiendis dum alii iterum incumbunt, idem ſemper voluitur ſaxum, vicesque aut illuſtratae, aut obſcuratae diſciplinae eiusdem, recurrunt. Nec adeo mihi placeo, vt exiſtimem, omnes omnium in iure naturae me recenſuiſſe labores. Scio multorum adhuc ſupereſſe ſcripta, quorum iniicere me oportuiſſet mentionem. Namque in ipſum Grotivm Suiceri quoque extare compendium Grotianum memini, & Wächtleri lectiones Grotianas & Ioannis Reinhardi Hedingeri ſicilimenta philoſophica iuris, ex illuſtris Grotii libris de iure belli ac pacis, & ſi qui alii ſunt, eiusdem commatis, libri. Ex illis autem, qui ſui ingenii ductum ſecuti ſunt, Hugo de Roy de eo quod iuſtum eſt,

Cy-

Cyriacus Lentulus de iure belli ac pacis, Feldeni elementa, Lucae Opalenii de officiis libri tres, Henrici Michaelis vinculum iuris vniuerſalis, circa naturalia, moralia & politica, Langii conceptus iuris naturalis, & plurimae aliae aliorum, commemorandae mihi fuiſſent commentationes, ſi cuncta exequi animus tuliſſet. Addendae quoque fuiſſent diſſertationes doctorum virorum, de ſelectis naturalis iuris argumentis. Has enim plurimi facio, cum quae leui vt plurimum brachio attingunrur in generali iſta totius diſciplinae pertractatione, exquiſitiori ſtudio, cum de ſingulis eius argumentis tractatio ſuſcipitur, euolui ſoleant. Cuius rei illuſtre documentum, vt nunc alios taceam, Ioannes Nicolaus Hertius, & Ioannes Werlhofius, praebent, quorum ille in Gieſſenſi, hic in Helmſtadienſi academia, prudentiam iuris magna cum laude docent. Et Hertii quidem integer exſtat eiusmodi diſſertationum faſciculus, in commentationibus eius ac opuſculis, A. M DCC coniunctim editis, videlicet de iurisprudentia vniuerſali, de ſocialitate primo iuris naturalis principio, de commeatu litterarum, de matrimonio putatiuo, de modo conſtituendi ciuitates, an ſumma rerum ſemper ſit penes populum, deque tutela regni. Werlhofii autem ſparſim exierunt diſſertationes,

exquisitissima eruditione refertae, de vsu iuris Romani, aliorumque priuatorum iurium, de decidendis controuersiis liberarum gentium, de genuinis fontibus recte decidendi controuersias publicas & illustres, vindiciae Grotiani dogmatis de praescriptione inter gentes liberas contra Petrum Puteanum, & quae aliae sunt eiusdem generis. Sed hisce aliisque immorari diutius consultum non duxi, cum per illustria & maxime necessaria saltem historiae huius ire capita, animus fuerit. Manebit etiam suum cuique libro pretium, si vel maxime mihi non innotuerit, aut isto loco, quo commemorari debuisset, a me non sit collocatus.

§. L. At nimis incurius rerum mearum, meique instituti immemor videri possem, si de illis non aliquid adderem, qui de gentium, vt vocant, iure commentati, simul de naturae iure haud male meriti sunt. Qualecunque enim gentium ius comminiscantur, ad rem ipsam cum veniunt, aut mores gentium pro iure venditant, aut recurrendum ad ipsas naturae leges est, quod & plerique faciunt, qui ius gentium se docere profitentur. Ipsum quidem Grotium ad integras magis gentes, quam singulos homines, cum suum de iure belli & pacis opus scripsit, se retulisse, constat. Richardus deinde Zouchaeus hoc exemplum

plum ſecutus eſt, in iuris, vt vocat, & iudicii fecialis, ſiue iuris inter gentes, & quaeſtionum de eodem explicatione: qui liber Hagae Comitum A. M DC LIX. impreſſus eſt, & deinceps Moguntiae recuſus. In hoc laudandus, quod ex hiſtoriarum monumentis dicta ſubinde illuſtret. Wolfigangus Textor in ſynopſi iuris gentium, itidem quae diuerſa a iure naturae ſint, non tradit. In naturam & indolem huius iuris, quod gentium dicitur, accuratius inquirunt Ioannes Ludouicus Praſchius, & Io. Ioachimus Zentgrauius: ille in diſquiſitione de iure gentium: hic in commentatione de origine, veritate & obligatione iuris gentium. Sed falluntur omnes magnopere, qui gentium ius a iure naturae diſtinctum fingunt, & leges aut cum moribus, aut cum pactis turpiter confundunt. Ioannes Iacobus Müllerus, in ſua iurisprudentia gentium, Grotii veſtigiis accurate inſiſtit, imo ipſum Grotium alia methodo exhibet. Ioannes Groeningius in bibliotheca iuris gentium communi, europaea & exotica, haud ita pridem editis, gentium de rebus ad mores ſpectantibus, praeſertim philoſophorum placita, collegit. De ceteris dicere nihil attinet. Vnicus tamen mihi commemorandus adhuc eſt, Vlricus Huberus, qui inſtitutionum ſuarum hiſtoricarum tomo primo, iurisprudentiae

dentiae hiſtoricae, ſiue obſeruationum ad ſuperiores libros hiſtoriae ciuilis, ex iure publico potiſſimum vniuerſali, ſpecimen addidit. Quod quidem viri inſtitutum nemo, niſi rerum harum ignariſſimus, reprehendet: mirorque, neminem extitiſſe, qui monſtratam ab eo viam ingrederetur. Vti enim hiſtoriarum monumenta & lucem affundunt iuri naturali, & rationem adplicandi ad ipſos actus ciuiles monſtrant; ita hiſtorias is demum recte colere cenſetur, qui prudenter de omnibus, quid ius fasque aut nefas, quid vtile, quidue noxium, exiſtimare didicit.

§. LI. Atque huc gentium etiam integrarum, imperantiumque, tum inter ſe, tum cum ciuibus controuerſiae pertinent. In his enim demum maxima iurisprudentiae naturalis ſeſe exerit vtilitas, quum non aliis, quam naturae legibus, in eiusmodi litibus componendis locus ſit. Et eas quidem, quibus imperantium ciuiumque mutua iura & officia diriguntur, diligenter quidam viri eruditi, de ſtructura & indole ciuitatis agentes, explicarunt, nobiliſſimamque iuris naturalis partem hoc ipſo illuſtrarunt egregie. Locum inter eos haud extremum occupat Io. Fridericus Hornius, in politica, quam vocat, architectonica, ceteris omnibus in hoc genere praeferenda, niſi in quibusdam, per nimiam ſen-

Digitized by Goog

ſentiendi libertatem, in deuia ſe abripi paſſus eſſet, vir ceteroquin acutiſſimus. Cuiusmodi illud eſt, quod de imperii ciuilis per naturalem conſecutionem origine commentus eſt, & de maieſtate ſolis imperiis monarchicis propria, & quae forte alia ſunt eiusdem generis. De Vlrici Huberi autem iure ciuitatis non eſt vt dicam, cum nemo facile egregium opus ignoret, quamuis & in eo nonnulla, poſt tam accuratam iuris naturalis inquiſitionem, vtique emendanda, alii deprehenderint. Generatim autem omnes, qui de iuribus, quae vocant, maieſtatitis, commentantur, in hunc ordinem redigendi ſunt, quibus haud contemnenda ius naturae incrementa imputat. Quos inter Henningem Arniſaeum, ſtrenuum monarchomachicorum impugnatorem, & Caſparem Zieglerum, vtrumque in opere de iuribus maieſtaticis eminere, nemo neſcit, vt reliquos ſilentio praetermittam. Acrius haec agitari ſolent, cum ipſa partium iura defendenda ſunt, quae ſcriptorum genera, vti neutiquam negligenda, ita in naturali iure conſulenda cumprimis, cum non tam ſcholae, quam aulae, inſeruiant, & eruditorum meditationes velut in aciem deducant. Omnia, quae poſſem, ſi recenſere vellem, rem ſuſciperem, non quidem a meo, qui iuris naturae hiſtoriam condo, inſtituto alienam, infiniti tamen laboris, & a no-

nobis heic non perficiendam. Pauca ſpeciminis loco adferre ſatis erit. Belgae, cum Hiſpanorum iugum excuterent, armis non minus quum ſcriptis, illi pro libertate, hi pro imperio pugnarunt. Horum cauſam quidam Armacanus, ſub quo nomine Cornelium Ianſenium latitare fama eſt, egit, & in academia Louanienſi Nicolaus Vernulaeius: illorum, Martinus Schoockius de iuſtitia belli, quod foederati Belgae, ob perpetuam pacem, cum Hiſpanorum Rege geſſerunt. Similis vero, ſi a nonnullis discesſeris, & Luſitanorum cauſa fuit contra Hiſpanos, cum horum imperio illi ſe ſubtraherent. Nec vtrisque aut argumenta defuerunt, quibus cauſam ſuam ornarent, nec defenſores. Vt enim Caramuel Lobkowiz in Philippo prudente, itemque in reſponſione ad manifeſtum regni Luſitanici, Hiſpanorum, ita Antonius de Souſa, in Hiſpania liberata, & Ageyra de ſucceſſione Portugallica, Luſitanorum partes tuendas ſuſcepit. In Anglia, quae inter Carolum I. Regem, populumque Anglicanum, orta eſt diſſenſio, Regi admodum funeſta, longe alterius indolis eſt, eruditorum tamen prouocauit calamos, ingeniaque, ad imperantium & populi iura excutienda, & certos vtrisque limites conſtituendos, excitauit. Vel Ioannis Miltoni, pro populo Anglicano, & Claudii Salmaſii pro Rege, im-

impari & expectatione, & euentu, edita scripta, hoc satis superque testantur.

§. LII. Ea res in memoriam mihi reuocat varias illas contentiones, quae subinde inter eruditos de imperantium populique iuribus fuere agitatae, vt Monarchomachicorum & Antimonarchomachicorum quoque nomina, inde sint enata. Illustre vbique iuris naturalis caput, & maxima sollicitudine definiendum, ne aut pro principibus tyrannos obtrudamus populo, aut illos infimae plebis potestati submittamus. Vix reperies tamen, qui mediam teneant viam, nec cum alterius detrimento, consultum alteri cupiant; idque eo magis, quod affectus studiumque partium, si vnquam, huic certe doctrinae generi sese immisceat. Georgium Buchananum Scotum, poëtam saeculi sui facile principem, in dialogo de iure regni Scotiae, populo prae Regibus fauere constat. Aut facere aliter non poterat, qui totus ab illis pendebat, qui deiecta Maria Stuarta, Scotiae regina, rerum ad se trahere summam annitebantur. Quid Marium Salamonium in libro de principatu; personatum illum Stephanum junium Brutum, siue Philippus Mornaeus iuxta Hugonem Grotium, siue Hubertus Languetus, iuxta Boeclerum, siue alius sub hoc nomine latitet, in vindiciis contra tyrannos; quid Ioannem Boucherium

vm in iusta Henrici III. abdicatione a regno Francorum; quid Franciscum Hottomannum in Franco-gallia, & in libro de iure regni gallici impulerit, ad noxias imperantium auctoritati opiniones defendendas, nemo puto ignorabit, qui temporum & regnorum, in quibus vixere, reputauerit conditionem. Ioannes Althusius, an peculiares, quae in hanc eum induxerint sententiam, habuerit rationes, nescio: hoc scio, acrius nimis de eo censuisse Hermannum Conringium, quod, pestilenti velut sidere afflatus, eo impudentiae progressus sit, vt ipsa illa seditiosorum hominum deliramenta in formam artis redigere. & scripturae sacrae testimoniis incrustare, non erubuerit. Ego Althusium non defendam: hoc tamen fateor, multa vere & cordate ab illo dicta, quae hodie forte assentatoribus principum, vt plerique sunt, qui se politicos iactitant, maxime in academiis, dura nimis & aspera videntur. Nec dubito, quin multa monarchomachicorum effata commodam admittant interpretationem, & ideo saltem displiceant, quod aperte nimis veritatem prodant. Aequitati vbique studendum, praesertim in scriptis eruditorum censendis: ast mirifice ab ea alieni sunt, qui affectibus praepediti ad haec sacra accedunt. Quae dicta ab his contra sanctitatem principum sunt, merito re-

reiicienda: sed an dicta sint, diligenter prius dispiciendum. Iuxta hanc regulam de reliquis etiam pronunciandum, qui in huius criminis suspicionem veniunt, vti Philippus Haenonius in disputationibus politicis; Guilielmus Rossaeus, siue potius Wilhelmus Giffordus, in libro de vindicta reipublicae christianae, aduersus reges impios & haereticos, denique auctor libri, de regimine ciuili, qui ex anglicana lingua in gallicam est translatus.

§. LIII. Cum autem principum imperivm subinde cum ciuium libertate collidatur, duo tamen prae reliquis momenta sunt, in quibus, sine summo vix hoc fieri posse pericvlo, merito censetur; religio, & bonorum, quae cuique obtigerunt, secura possessio. Hic ergo, vt imperii rite definirentur, per naturae quoque leges, limites, eruditi recte dedere operam: nec tamen ita definiuere, vt non subinde super iis disceptatio oriatur. Iidem, quos supra notaui, & hic recurrunt affectus, prout quisque aut principi, aut populo, suas, quas composuit, placere voluit fabulas. Et ad bonorum quidem possessionem quod attinet, nata est, superiori seculo, agitata de dominio eminenti controuersia. Asseruit hoc Hugo Grotius, primusque hanc vocem vsurpauit, quanquam alii hanc gloriam Hugoni Cardinali vindicent. Secuti Grotii exemplum

sunt

ſunt Iacobus Andreas Cruſius, in peculiari de hoc argumento commentatione, itemque quidam Helenus Politanus, in diſſertatione de dominio eminenti in imperio Romano, aliique. Sed limites iſtius facultatis extendere, vltra quam par eſt, multis viſus eſt, is quem ſupra laudauimus Io. Fridericus Hornius, in diſſertatione de dominio ſupereminenti, in academia Wittebergenſi A. M DC LVIII. habita, cui mox theſes quasdam oppoſuit Wilhelmus Lyſerus, in eadem academia tunc iuris profeſſor. Nec defuit ſibi Hornius, ſed in politica, quam architectonicam vocat, denuo hoc argumentum ſub incudem reuocauit, ſuamque ſententiam contra Lyſerum defendit: Lyſero demum, Hornio iam mortuo, diſſertationem pro imperio, contra dominium eminens, A. M DC LXXIII eidem opponente. In eo autem facile conſentiunt, nefas eſſe imperantibus, citra neceſſitatem vtilitatemque manifeſtam reipublicae, priuatorum inuadere bona: ſaltem imperiumne, an dominium, imperantis in bona ciuium facultas, dicenda ſit, diſquiritur. Dominium vocat Hornius; imperium mauult. Lyſerus, quod ex dominio ita imperantibus propria forent ciuium bona, vt iis ſemper ex arbitrio vti poſſent. Aſt pone, poſſe & aliam dominii eſſe ſignificationem, & facile inter eos conueniet. Vtique facultas ipſa

ipſa, iuſtis limitibus circumſcripta, quod imperantibus competat, conſtat: imperium vero, an dominium, quis eam vocare velit, perinde fuerit.

§. LIV. De poteſtate principum circa ſacra, & acrius & ſaepius, magnis animorum motibus concertatum fuit. Namque non tantum ciuium omnium intereſt, ne imperantes limites ſuae poteſtatis hic migrent; ſed accedunt etiam ſacri ordinis viri, ſibi ea haud raro vindicantes, quae rerum debentur dominis. Hinc mox cives conquerentes audias, ſaeuire principes in conſcientias, & id, quod ſoli Deo proprium eſt, nefando auſu inuolare; mox verbi diuini miniſtros, conculcari pedibus poteſtatem & auctoritatem diuinitus ſibi conceſſam; mox principes, a clericis ſacrilega impietate, erepto ſacrorum iure, ſuam imminui maieſtatem. Ergo omni tempore vt tum ex ſcriptura ſacra, tum ex naturae legibus, hoc ius definiretur, ſtrenue fuit elaboratum. Nihil dicam de iure regaliae, de quo inter Galliae reges, & pontifices, toties fuit diſputatum, immo & inter Imperatores germanicos atque potifices, (g) vti vel Henrici IV. Imperatoris fata teſtantur. Sub Ludouico Bauaro, vt alibi a me oſtenſum, vindicata egregie imperantium

(g) *conf. hac de re prae ceteris Ioannes Schilterus in praeclaro de Libert. Eccleſ. Germ. opere.*

auctoritas fuit contra insultus pontificis, multorum eruditissimorum virorum monumentis, quae in vnum collecta conseruauit nobis Melchior Goldastus ab Haimensfeld, in Monarchia sacri Romani Imperii. Lutheri opera, quam egregie proculcata hactenus imperantium potestas restituta sit, & aliunde constat, & Balthasar etiam Bebelius in dissertatione, de beneficiis, magistratui politico beati Lutheri ministerio exhibitis, demonstrauit. Nec minimum illud, reformationis a Luthero institutae, est momentum, vt imperantium & docentium ordo iustis limitibus circumscriberetur. Sed postea quoque subinde de hac re disputatum, nescio tamen, an acrius vnquam, & maiori eruditionis adparatu, quam in Belgio. Cum enim Remonstrantes fauentes sibi haberent imperantium animos, perque eos suam posse promoueri causam, crederent, strenui assertores potestatis ciuilis circa sacra existebant. Inprimis hoc Vytenbogardus egit, in libro Belgica lingua conscripto: quem tamen ex iis, quas olim defendit, sententiis, refellere adgressus est Ruardus Acronius. Tum vero Bogermannus, Sibrandus Lubbertus, capita Contra-remonstrantium, aliique, acriter Statuum Belgii circa sacra potestatem impugnabant, eam quod causae suae nocere arbitrabantur: quibus tamen pietatem ordinum Hollandiae oppo-

suit

fuit Hugo Grotius. Et hic quidem in alia commentatione, de imperio summarum potestatum circa sacra, erudite hoc argumentum pertractauit, quod & Nicolaus Vedelius fecit, in libro, de episcopatu Constantini Magni. Sed eadem alibi passim instructa fuit scena: eruntque semper, qui hac super re disputent, & mox potestatis huius, quam principes circa sacra sibi asserunt, limites extendant, mox restringant & coarctent, prout suis institutis aut fauentes aut reluctantes principes habebunt. Id istae, quae non ita pridem apud nos, inter Ioannem Benedictum Carpzouium, aliosque ex sacro ordine viros, & Christianum Thomasium, agitatae controuersiae sunt, condocent. Hic vero, vt vbique de naturae iure praeclare meritus est, ita in aliquot etiam scriptis, latino & germanico idiomate de iure principis circa sacra editis, in hoc argumento enodando, multum studii collocauit.

§. LV. Dum vero in eo sum, facere non possum, quin & illud addam, solere subinde iuris naturalis decreta, & ad religionis, quam quisque profitetur, & ad reipublicae etiam, in qua quisque viuit, statum accommodari. Quae res, quam noxia sit, per se patet, praetermittenda mihi tamen non est, vt non incrementa modo, & decrementa iuris naturalis, sed cauiae etiam vtro-

rumque intelligantur. Conſtitit vero omnibus, id quod dixi, vt nunc alia exempla praeteream, in ea controuerſia, cui occaſionem dedit Hafnienſium theologus, Hector Godfried Maſius. Is A. M DC LXXXVII. librum edidit, quem, intereſſe principum circa religionem euangelicam, vocauit. In eo id dat operam, vt demonſtret, Lutheri diſcipulorum eam de ſummo principum imperio doctrinam eſſe, per quam hoc firmum, & ſupra omnes monarchomachicorum inſultus poſitum ſit, cum ea, quae ex diuinis litteris, & iuris naturalis decretis, afferunt, huc maxime ſint accommodata. Id quidem recte. Idem vero dum de reliquis, in quas orbis chriſtianus ſcinditur ſectis, contrarium probare annititur, iſtis Reformatos adiungit. Quae res vti cordatis omnibus, & prudentibus, admodum diſplicuit, ita & Huberto Moſano, hoc eſt, doctiſſimo viro, Io. Chriſtophoro Becmanno, bilem mouit, vt erudito ſcripto, lingua vernacula edito, iſtam Maſii temeritatem caſtigaret. Variis hinc, vt inter eruditos moris eſt, iisque vehementioribus ſcriptis inter vtrumque concertatum fuit, hoc euentu, vt innoteſceret, vtrinque nonnullos incommode ſaepius fuiſſe locutos, vtrinque extitiſſe, qui ea de auctoritate imperantium, ex iure naturae & theologia aſſumerent placita, quae rebus ſuis quam maxime

xime conducere arbitrarentur: quod vero superest, ipsam vtriusque partis religionem ita comparatam esse, vt nec auctoritati, nec maiestati imperantium, quicquam detrahat, & cum iis, quae ius naturae hac de re omnes condocet, accurate consentiat atque conspiret.

§. LVI. Et ea quidem, quae hucusque disseruimus, ad imperantium atque ciuium officia mutua spectant. Hinc vero priusquam discedam, de successionibus illustrium aliquid addendum, de quibus cum saepius concertatum sit, vix fieri hoc potuit, quin ad naturalem iurisprudentiam aliqua inde ex eruditorum monumentis accessio fieret. Vel de successione in regnum Portugalliae, post mortem Sebastiani Regis, quae multis librorum voluminibus disceptata sunt, ad hoc euincendum sufficiunt. Dixi & ipse ea de controuersia aliquid, in mea de successionibus primogenitorum dissertatione, in qua & alia, quae huc facere queant, attigi. Quae de iure deuolutionis Brabantinae, ab auctore tractatus, de iuribus reginae christianissimae, itemque ab auctore dialogi de iuribus reginae, aliisque, pro Galliae Rege, a Petro Stockmanno contra de iure deuolutionis, & auctore clypei status & iustitiae pro Hispaniae Rege scripta sunt, alterum exemplum praebent. Nostra vero aetate, vt reliqua

nunc praetermittam, ſucceſſio illa Hiſpanica, quam hinc Auſtriaca, illinc Burbonica ſibi gens aſſerit, vt Europam fere vniuerſam ad arma pro libertate, ita eruditos ad calamos pro iuſtitia expediendos, impulit. Nec aliunde tamen, quam ex naturae iure momentum cauſae decidendum, ſiue de teſtamenti a Carolo II. conditi valore, ſiue de ſucceſſionis iure per teſtamentum non tollendo, ſiue denique de efficacia renunciationis a Delphini matre factae, quaeſtio inſtituatur. Id equidem & ipſe in peculiari demonſtraui diſſertatione, ſed alii etiam viri eruditi in eadem elaborarunt cauſa, quorum alibi indicare animus eſt monumenta. Iſtae vero de ſucceſſionibus controuerſiae, vt ex naturae iure ceu vnico fonte rite deriuandae ſunt, ita rurſus accuratius pertractatae, ipſi iuri naturae lucem inſignem affundunt. Hinc nec eodem, qui ad eas animum adiecerunt, id fecere ſucceſſu. Certe qui, antequam per Hugonem Grotium naturali iuri ſuus reſtitueretur nitor, de eiusmodi argumentis expoſuere, dici non poteſt, quam turpiter plerumque ſe traduxerint, iuris ciuilis, canonici, publici, naturalis, decreta inter ſe commiſcendo, vt ipſi vix aliquid inuenirent, in quo pedem figerent. Aſt qui recentiori aetatae hocce munus in ſe ſuſcipiunt, tanto felicius ad ſummam & caput

cauſae

cauſae prouehuntur, quanto ipſi huius iuris, quo ſolo principum & gentium fata continentur, fuere peritiores. Nemo vero ita peritus eſt, vt non, quoties ad ſpecialia adplicatio inſtituenda, pulchram in eo proficiendi indipiſcatur occaſionem.

§. LVII. Et dubia quidem iſta atque incerta ſuccedendi ratio, non tantum imperantes cum ciuibus, ſed & diuerſas ſecum committit gentes. Longe autem plura ſunt, quae tantum inter gentes ipſas agitari ſolent, & atrocium haud raro bellorum cauſae exiſtunt. Horum ſi vel praecipua ſaltem, non dicam enumerare aut ediſſerere, ſed indicare ſaltem vellem, rem ſuſciperem magnae molis, integroque libro ſuffecturam. Etenim quam diues ſtatim librorum ſeges efflooreſcat, cum inter rerum dominos eiusmodi exoriuntur diſputationes, vel illorum exemplo patet, qui de dominio maris agere ita inſtituerunt, vt aſſererent illud, aut infringerent, prout illorum, quorum cauſam tuebantur, rebus conueniens hoc eſſe putabant. Ipſe Hugo Grotius, primum velut ſuae in iure naturali peritiae tirocinium, hac ipſa in quaeſtione poſuit. Cum enim, circa ſeculi proxime elapſi initium, inter Hiſpanos & Belgas de induciis tractantes, multa etiam de libertate indicanorum commerciorum, quam inuitis & reluctantibus Hiſpanis

ſibi vindicabant Belgae, diſceptaretur, Hugo Grotius, pro eo, quo patriam complectebatur amore, edito, titulo, maris liberi, libello, liberam ad indos nauigationem aſſerere adgreſſus eſt. (q) Ipſe tamen deinceps, in maiori, de iure belli & pacis, opere, in quibusdam ſententiam ſuam emendauit, certisque, quae ante poſuerat, limitibus circumſcripſit. Nec quisquam contra eum quidquam mouit, donec plurimis iam praeterlapſis annis, trigeſimo videlicet quinto ſeculi proxime elapſi, Ioannes Seldenus idem ſub incudem reuocaret argumentum, editoque de mari, vt vocat, clauſo, libro, contrariam adſtrueret ſententiam. Anglorum forte referre putauit, vt ad Batauorum commercia intra anguſtiores limites coercenda gentibus eiusmodi quid perſuaderetur. Et tum demum concertari ea de re coeptum. Grotii namque partes defendendas ſibi putauit Theodorus Graswinkelius, in vindiciis, quas vocat, maris liberi, & Io. Iſaacus Pontanus, Danorum inſimul atque Norwegorum cauſam acturus, in duobus diſcuſſionum hiſtoricarum libris. Pro Seldeno contra ſtetit Guilielmus Weelwodus, Petrusque Baptiſta Burgus, in opere de dominio maris Liguſtici, cui

(q) *vid. Dominicus Baudius lib. II de induciis Belli Belgici, ad. l. Boeclerus ad Grotii lib. II. cap. II. . 49.*

cui is, quem antea laudaui, Theodorus Graswinkelius, refutationem oppoſuit. Nec defuerunt, qui a partium ſtudiis alieni, proficere demum ex eiusmodi ſcriptis ad veri inueſtigationem, ſimulque iuris naturalis amplificationem, viſi ſunt. Quos inter eminet Thomas Riuius, in ſua hiſtoria nauali media, Iacobus Godofredus in diſſertatione de imperio maris, (r) Ioannes Strauchius, in de imperio maris diſſertatione, ne quid nunc de Loccenio aut Stygmanno dicam, quorum vterque de commerciorum maritimorum iure, niſi his delibutis, praecipere non potuit: nec de Claudio Bartholomaeo Moriſoto, cui in orbe maritimo non ſatis fuit generatim quaedam de maris dominio delibaſſe, ſed de Hiſpanorum quoque, Luſitanorum, aliarumque gentium imperio maritimo, ſpeciatim ſibi exponendum duxit.

§. LVIII. Eiusmodi vero cum ſaepe & noſtra, & maiorum noſtrorum, aetate, inter gentes, & qui harum vicem gerunt, imperantes, rerumque dominos lites agitatae ſint, iisque definiendis non aliae, quam naturae leges ſufficerent, facile patet, neceſſitate velut quadam inductos viros ingenio & eruditione praeſtantes, in accuratiorem earum incubuiſſe inueſtigationem.

(r) *ad leg. deprec. 9. ff. de L. Rhodia de iactu.*

Nec vllam credo temere esse huius doctrinae partem, quae inde aut lucem non ceperit, aut capere saltem non potuerit, si modo in media non voluerunt coecutire luce, qui ad illustrium causarum momenta disceptanda animum adiecerunt. Id quod vt illis, quae afferre animus fuit, exemplis abunde constat, ita reliquis, quorum haud pauca supereſſe scio, idem comprobare pronum fuisset, nisi decretum constitutumque fuisset iuris naturalis historiam condituro, per summa saltem rerum, maximeque illustria, ire capita. Constare vero nunc omnibus puto, per vices hanc philosophiae partem, quam iurisprudentiam naturalem vocamus, mox illustratam scriptis prudentum, mox vmbraticorum & scholasticorum hominum variis disputationibus obscuratam, maiori quidem studio quam reliquas philosophiae practicae partes cultam, neutiquam tamen perfectam, ea expertam, & adhuc experiri fata, quae omnia scientiarum genera manent. Ii vero ipsi, qui promouere eam debebant, cum ludicris suis figmentis quam maxime illi nocuerint, quid mirum, quod a summo fastigio multum absit? Nec credo meliora expectanda fata, ex quo imperitorum abvsu eo res processit, vt cordati quidam huic se non aliter obuiam ire posse opinentur, quam profligato illorum errore, qui pro verbo

bo diuino ius naturae crepantes, vix ſentiunt in ethnicos ſe degeneraſſe, quos & ſupra iam notauimus. Ita enim fieri aliter non poteſt, quam vt ipſum merito ſuſpectum reddatur ius naturae: ſaltem culturae, quae huic impenditur, iacturam potius faciendam, quam vt pro chriſtianiſmo ethniciſmus tandem palam obtrudi omnibus permittatur, nemo rerum ſuarum conſultus temere abnuet. Manet interim haec iurisprudentiae naturalis, prae ethices & prudentiae ciuilis doctrina, praerogatiua, quod longe maiori ſtudio praeſtantiſſimi in eam ſe dederint viri: ſed nunc tamen & his priſtinum redire quodammodo videtur decus, quod vix exiſtis ſcholaſticorum nebulis, quibus academiae tantum non hactenus obtenebratae fuere, emergere potuit. Optamus vero merito, vt emergat: modo ita emergat, vt caeleſti veritati, qua chriſtianorum diſciplina ſola conſtat, ſuus ſeruetur honor; immo vt ad hanc, quae ſola vera ſapientia, & fons etiam omnis ſapientiae eſt, conſeruandam, illuſtrandam, amplificandam, cuncta referantur. Faxit ergo Deus, vt primo vera & non fucata pietas, deinde vero & artes illae litteraeque, quae huic inſeruiunt, in dies magis magisque prouehantur, & laetius efflorescant.

S. D. G.

EXER-

EXERCITATIO

HISTORICO-IVRIS NATVRALIS

DE

EXPEDITIONIBVS CRVCIATIS,

SEV

BELLIS, QVAE RELIGIONIS CAVSA SVSCIPIVNTVR.

HABITA HALAE SAXONVM

D. IV. IVL. ANNO M DC XCIV.

RESPONDENTE

IO. HENR. GREVLINCK,

GEDANENSI.

Digitized by Google

Σύνοψις.

Fata Palaestinae, §. I. A Muhammedanis occupatur, §. II. Quae pro ea recuperanda a principibus christianis susceptae sunt expeditiones, cur cruciatae dictae sint? §. III. De iis quid censendum sit, generatim indicatur, §. IV. De iniustitia illarum vt constet, probatur, instinctu potissimum Romanorum Pontificum eas fuisse susceptas, §. V. religionis, vt dicebant, christianae propagandae & conseruandae gratia, §. VI. Belli iusti quaenam causae sint? §. VII. Ob religionem qui inuaditur, cum suae defensionis causa recte arma capessere, §. VIII. cum aliud sit defendere religionem, aliud defendere se religionis causa inuasum, §. IX. An Romani Pontificis sit, defendere religionem christianam? §. X. Non posse hoc capite expeditiones illas iustas pronunciari, cum imperii potius, quam religionis causa Palaestinam inuaserint Muhammedani, §. XI. An gentes ad religionem quandam amplectendam armis cogi possint? §. XII. Non posse, probatur, idque speciatim de religione christiana, ex huius natura & indole euincitur, §. XIII. Secus licet quibusdam ecclesiae Romanae doctoribus sentientibus, quibus tamen alii contradicunt, §. XIV. Expeditiones itaque cruciatas ex hoc capite non posse defendi, ostenditur, §. XV. An & quousque pro illis, qui eadem nobiscum sacra colunt, arma

capere

Digitized by Google

capere liceat? §. XVI. Speciosissimus hinc, pro sacrarum expeditionum iustitia, petitur argumentum, §. XVII. Sed distinguendus tamen a vera causa praetextus: verae causae, quae Pontifices ad haec bella impulerint, indicantur, §. XVIII. Romanos Pontifices expeditionibus cruciatis ad firmandam potentiam suam subinde aperte fuisse vsos, §. XIX. Eosdem hac ratione etiam ius belli & pacis in orbe christiano sibi vindicasse, §. XX. Reges, Principesque, qui Pontificis auctoritatem secuti sunt, an excusari queant? multos ex animi leuitate huic militiae nomen dedisse, §. XXI. alios vana superstitione fuisse inductos, §. XXII. In modo quoque gerendi bellum, multiplici ratione hic fuisse peccatum, §. XXIII. Respondetur ad argumenta secus sentientium, & primo quidem illorum, qui ex donatione aut concessione Pontificis, principibus Europaeis ius in Palaestinam asserunt, §. XXIV. deinde illorum, qui ad auctoritatem Bernhardi prouocant, §. XXV. denique illorum, qui ex miraculis, probata Numini haec bella colligunt, §. XXVI. Imprudenter quoque has expeditiones fuisse susceptas, praesertim, quod Graecorum imperatorum fidem & amicitiam certo sibi polliceri non potuerint, §. XXVII. Comprobatur hoc speciatim exemplo expeditionis secundae, §. XXVIII. & tertiae. §. XXIX. Quam circumspecte agendum sit, cum exercitus transitum per aliorum ditiones expetimus, §. XXX. Imprudenter quoque egerunt principes,

dum

Digitized by Google

dum hac ratione imperio Pontificis collum submiserunt, §. XXXI. maximaque regnis suis ac ditionibus attraxere incommoda, §. XXXII. Ducum multitudo quoque felicibus harum expeditionum successibus obstitit, §. XXXIII. De infelici harum expeditionum euentu generatim, §. XXXIV. Speciatim de expeditione prima, secunda, ac tertia, §. XXXV. De expeditionibus Friderici Imperatoris, §. XXXVI. & Henrici VI. §. XXXVII. itemque Friderici II. & huius cum pontificibus, inde enatis contentionibus, §. XXXVIII. De reliquis expeditionibus, §. XXXIX. Ordinum equestrium, qui ex his expeditionibus enati sunt, dignitati, hanc disputationem non nocere, ostenditur, & disputationi finis imponitur, §. XL.

§. I.

SI gentium omnium atque populorum annales euoluas, ab orbe condito ad nostram vsque aetatem, nihil aliud, quam vt hominum, ita & rerumpublicarum, nascentium, intereuntium, vincentium, deuictarumque, longam videbis seriem: ipsas vero regiones, ac orbis partes, aedium instar esse deprehendes, nunc hos, nunc alios recipientium possessores. Quod itaque Palaestinae contigit, eiusmodi est, vt nec nouum, nec inusitatum cuiquam videri queat. Expulit fatalis dies, & victor Ebraeo-

rum exercitus eas gentes, quas primum hasce prouincias incoluiſſe conſtat. Ebraeos Nabuchodonoſor primum, tandemque Romani eiecerunt. Hisce Perſae, Perſis ſucceſſere Turcae. Turcas Europaei expulerunt, pulſi iterum atque deuicti a Turcis.

§. II. Enimuero ſeptimo poſt natum Chriſtum ſeculo, infauſta Muhammedis & ſcelerata progenies, victricia longe lateque circumferre arma coepit, eiusque potentia incredibili incremento indies augebatur. Etenim non tantum Perſiam, deuicto Iazdigerde Rege, ſubegerunt Muhammedani, ſed Syriam quoque, Aegyptum & Palaeſtinam ſuae ditioni adiecerunt. Hieroſolymam vero, quam paulo ante Heraclio Chosroes ademerat, & reddiderat Siroës filius, trigeſimo ſexto eius ſeculi anno in ſuam redegerunt poteſtatem. Vidit chriſtianus orbis, florentiſſimis prouinciis diram incumbere barbariem; auulſam a corpore ſuo haud ignobilem partem, foediſſimo ſeruitutis premi iugo; verumque & puriorem Numinis cultum ibi in præceps ire, vbi maxime, vt effloreſceret, par erat; ſtabiliri contra in iisdem locis, quae caeleſti hactenus perſonuerant doctrina, Muhammedanae perfidiae ac tenebrarum regnum. Prolixius haec te docebunt Theophanes, (a) Paulus

(a) *ad A. C. 627.*

Paulus Diaconus, (b) Elmacinus, (c) Abulpharagius (d) & qui breuiter, sed accuratissime cuncta complexus est, eruditissimus Cellarius noster. (e)

§. III. Seculo demum vndecimo exeunte, reges principesque christianos, concitante & impellente eos Romano pontifice, ingens inuasit cupiditas, Barbaris hasce regiones iterum eripiendi. Nihil enim magis, munere suo dignum se facere posse, arbitrabantur. Et hinc expeditiones istae, multorum monumentis celebratae, enatae sunt; quas cruciatas dicere moris est, eo quod, vt Abrahamus Bzouius (f) putat, in honorem Christi seruatoris nostri, qui crucis supplicio, nostra expiaturus crimina, affici voluit, susciperentur: vel quod crucis signo a reliquis discernerentur, qui huic militiae nomina sua dederant. Ita Carolus Sigonius existimat: *qui in eam expeditionem profecti sunt, cruce signati, & ipsa expeditio cruciata dicta est. Ferebatur autem palam in vestimento, ad humerum dextrum, idque mandato summi pontificis.* (g) Huius rei & Bertoldus Constantiensis testis est in chronico, vt & Iacobus de Vitriaco in historia orientali, Rogerius Ho-

(b) *Histor. Miscell. lib. XVIII. cap. LXVII.* (c) *Histor. Saracen. lib. I. cap. III.* (d) *Hist. Dynast. IX. p. 112.* (e) *Hist. med. aeui. sec. VII. p. 75.* (f) *in Annalib. ad A. C. 1410.* (g) *de regno Italiae lib. IX.*

veden in annalibus ſuis, & Rodericus Toletanus. (h) Atque inde etiam factum, vt qui in Palaeſtinam militatum abirent, *cruce ſignari, crucem ſumere, aſſumere, accipere*, dicerentur: qua loquendi formula Ottho Frinſingenſis, Arnoldus Lubecenſis, aliique haud raro vtuntur. (i)

§. IV. Fuerintne autem iuſte prudenterque hae expeditiones ſuſceptae, non hodie demum, aut nudius tertius diſceptari coepit. Sunt, qui ita eas laudant, vt in caelum euehant earum auctores: ſunt &, qui arguunt, hosque & iniuſtitiae & imprudentiae accuſare, nulli dubitant. Nec de ſucceſſibus, & fructu, omnibus eadem ſententia ſedet. Hermannus Conringius, vir ſummi & ſubacti iudicii, de illis ita cenſet: *Quantumuis interea temporis quam plurima fortiſſime etiam geſta ſint, quaeque aeternam zeli pariter ac animoſitatis mereantur gloriam: ſi tamen, quod res eſt, fateri licet, non poſſunt non expeditiones illae omnes, ſummae eius aeui regum principumque & imprudentiae & iniuſtitiae, & ſuperſtitionis iure merito notari.* (k) Mox addit, illum quoque operae facturum pretium, qui infelices harum expeditionum ſucceſſus cum cura expenderit. Ego vero non euentus ſaltem, vt plurimum infelices, expendere accuratius

(h) *lib. XVI. de rebus Hiſpanor. cap. XVI.* (i) *vid. Gretſerus de cruce, lib. II.* (k) *in annotat. ad Lampadium p. 242.*

ratius mecum conſtitui, ſed cumprimis iſtud dispicere conſultum duxi, poſſintne iniuſtitiae ac imprudentiae haec bella argui.

§. V. De iniuſtitia vero dum quaeſtio inſtituitur, illud prius nobis euincendum eſt, non proprio motu, ſed auctoritate & ſuaſu Romani pontificis impulſos concitatosque reges ac principes Europae, pro occupanda Palaeſtina, arma induiſſe. Atque adeo nemo mihi vitio vertet, ſi Romanos pontifices pro auctoribus horum bellorum reputauero, quibus, ſi iuſte vel iniuſte fuerint ſuſcepta, laudi etiam id erit, vel vituperio. Rem omnem vero clare nos edocent hiſtoriarum monumenta, & ipſi Romanae ſedis adeo non diſſimulant defenſores, vt & ſibi hoc gloriae ducant. Omnium inſtar erit Abrahamus Bzouius, cuius hoc exſtat effatum: (l) *Poſt annum Domini milleſimum pontificibus viſum fuit, non aere ſed voce ciere viros, ſacrumque martem non cantu, non ſonitu, non clangore tubarum, ſed piis adhortationibus accendere.* Vtique magnopere referebat Romanorum praeſulum, vt Palaeſtinam peterent principes populique Europaei. Hinc Innocentius III. anathematis fulmen in cunctantes & tergiuerſantes vibrauit, & vt vibrarent, ceteris chriſtiani orbis praeſulibus iniunxit, in conſtitutione illa, quam pro recuperanda terra ſancta ex decreto concilii

(l) *T. XVIII. Annal. ad A. C.* 1410.

Lateranenſis edidit. Andream quoque ducem, regis Hungariae filium, ſacris non aliam ob cauſam idem Innocentius interdixit, &, quam diu iram ſuam non placauerit promto obſequio, iure in patrium regnum ſuccedendi illum deſtitui, pronunciauit. Sed & criminum ac peccatorum veniam, more ac ritu eccleſiae Romanae, illis impertiebantur, qui ſigna principum, in Palaeſtinam euntium, ſequi vellent. Vrbanus pontifex, in oratione ad patres concilii Claromontani, id le facturum diſerte pollicetur. Et fecit quoque teſte Matthaeo Weſtmonaſterienſi: (m) *nec dubuc ſoluto concilio conceſſa eſt a papa generalis indulgentia peccatorum ſe cruce ſignaturis, & iam ſignatis.* Vrbani exemplum ſecutus eſt Eugenius pontifex, teſte Ottone Friſingenſi (n) Eugenii Innocentius III. in concilio Lateranenſi. (o) Atque hoc innuit Bernhardus in epiſtola ad epiſcopum, clerum, & populum Spirenſem: *ſuſcipe ſignum crucis & omnium pariter, de quibus corde contrito confeſſionem feceris, indulgentiam obtinebis.* Similia tradit Petrus Bleſenſis in *tractatu de peregrinatione Hieroſolymitana acceleranda,*

(m) *ad A. C. 1095. add. Conradus Vrſpergenſis Abbas ad A. cit. p. 230.* (n) *lib. I. de geſtis Friderici I. imp. cap. XXXV.* (o) *Antonius Florentinus vol. III. hiſt. tit. XIX. cap. 1. §. 3. Paulus Aemilius de rebus geſtis Francorum lib. VI. reg. XLI.*

randa, & Thomas Cantipratenſis. (p) Hoc Romanorum pontificum ſtudium, bellis eiusmodi cum Saracenis inuoluendi Europaeos principes, inde quoque patet, quod martyrum titulo ornando illos, qui in hisce expeditionibus occubuere, cereros accenderint, exſtimulauerintque. Ita enim Vrbanus pontifex in oratione ſaepius commemorata, quam & Malmesburienſis exhibet: (q) *habituri*, inquit, *poſt obitum felicis Martyrii commercium*. Conf. Bernhardi oratio ad Templarios, Wilhelmus Tyrius (r) & Innocentii III. epiſtola ad Alexium imperatorem Conſtantinopolitanum. Denique & praemiis ampliſſimis, ad militiae ſacrae onus ſubeundum, a pontificibus Romanis incitabantur: id quod iterum ex Vrbani oratione ad patres concilii Claromontani, Eugenii epiſtola ad Ludouicum Francorum regem, Innocentii III. & ſynodi Lateranenſis decreto, abunde patet.

§. VI. Aſt quaenam cauſa fuit, vt Romani antiſtites in Saracenos armauerint Europam? Splendida oppido & praeclara, & quae chriſtiani orbis epiſcopum decebat, ſi ipſum audias. Nimirum ſtudium propagandi religionem chriſtianam, ve umque cultum diuinum in iis locis iterum ſtabi-

(p) *lib. II. Exempl. cap. II. ſect. X.* (q) *de geſtis Reg. Anglic. lib. III.* (r) *lib. III. cap. IV.*

liendi, quae sub Barbarorum iugo gemebant, se, vt classicum hocce canerent, impulisse, sanctissimi antistites palam profitebantur. Testis nobis locuples iterum erit Abrahamus Bzouius, romanae curiae strenuus vindex. Diserte enim, vt causam harum expeditionum innuat, asserit, Romanos pontifices concitasse christianos *pro fidei & ecclesiae defensione ad arma corripienda, nomenque in militiam dandum, publicis priuatisque concionibus, & monitionibus, etiam per litteras eos conuocasse. Putauerunt enim*, pergit, *quod ea praedicatio, quae pro conseruatione & propagatione religionis christianae, proque defensione & tutela fidei, sacrorum, ecclesiae, & ecclesiasticarum siue personarum, siue libertatum instituitur, nihil aliud sit, quam professio crucifixi.* (s)

§. VII. Istud ergo cumprimis definiendum est, potuerintne religionis aut defendendae, aut propagandae studio licite haec bella suscipi. Solent nimirum causae, propter quas bellum iuste geritur, ad certa reuocari capita. Et Hugo quidem Grotius belli iusti triplicem esse causam docet, defensionem, reparationem, atque poenam. Idque sic probat, vt nullam aliam belli iusti causam esse posse, nisi iniuriam aut factam, aut non factam, contendat. Propter iniu-

(s) *T. XVIII. annal. ad. A. C. 1410, add. Wilhelmus Tyrius lib. I. cap. XV.*

iniuriam factam aut reparamus, quod noſtrum eſt vel fuit aut punimus; propter iniuriam nondum factam, defendimus aut corpus, aut rem. (t) Hic vero perperam Hugo Grotius docet, quod etiam ad poenam ab aliquo exigendam, ſuſcipere bellum liceat: quo nomine & iure meritoque caſtigatur a commentatoribus, Boeclero, & Ioanne a Felden. Poena enim exigitur ab inferiore; bella geruntur inter aequales. Quae igitur idem Grotius (u) de bellis, religionis cauſa ſuſceptis, diſputat, vtut ceteroquin nullam promereantur reprehenſionem: quaeſtioni tamen, an vnus populus alterum, quod diuerſis ſacris imbutus ſit, punire poſſit, breuius & ſine ambagibus potuiſſet fieri ſatis, cum plane vnus populus alterum, qui ab eo non dependet, punire nequeat. Nos itaque ideo ſaltem bellum iuſte liciteque geri poſſe aſſerimus, vt nos ac noſtra ſeruemus ac tueamur, contra iniuſtam aliorum inuaſionem, aut, vt, quae nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, aſſeramus, aut iniuriae iam illatae reparationem, & cautionem in poſterum, obtineamus. Quae cum facile ex naturae humanae indole, atque ſocietatis conditione demonſtrari poſſint, ab aliis

(t) *lib. II. de I. B. & P. cap. I. §. II. add. Vitriarius inſtitut. I. N. & G. lib. II. cap. I.* (u) *lib. II. cap. XX. §. XLVIII.*

quoque iam demonſtrata ſint, hoc labore nos ſuperſedentes, illa aſſumimus, ad ea nunc rite diſceptanda, quae vt palam fiant, noſtra magnopere refert. (x)

§. VIII. Vitae itaque rerumque noſtrarum defenſionem cum lex naturae permittat: quidni etiam permitteret religionis, quae ab omnibus bonis & cordatis vtique pluris, quam fortunae omnes, ipſaque vita iure meritoque aeſtimatur. Et in ſtatu naturali, ſicuti vitam, resque ſuas, etiam cum violenta inuaſoris repulſione, defendere vnicuique licet: ita non minus omnibus erga illos, qui religionis cauſa violenter eos adgrediuntur, idem conceſſum eſſe, nullus plane dubito. Aeque enim iniuriam alteri infert, qui eum ad opinionem quandam amplectendam, a qua tamen abhorret, vel quam a veritate alienam eſſe putat, vult cogere: ac qui vel vitam, vel bona, aut libertatem illi vult eripere. Nec enim, vt hoc facere poſſit, vllus adeſt iuris titulus. Quod vero in ſtatu naturali vni homini erga alium licet, id vni principi ſummo erga alium, vni populo non dependenti erga alium, agere iusque fasque erit.

§. IX. Poſſintne igitur ex hoc capite expeditiones illae ſacrae pro iuſtis licitisque re-

(x) *vid. Pufend. de I. N. & G. lib. VIII. cap. VI. §. III.*

reputari, nunc eſt diſpiciendum. Defendendae enim religionis cauſa eas fuiſſe ſuſceptas, plerique ſcriptores aſſerere videntur. Sed ego quidem ſecus arbitror. Poteſt quis arma capere, ſi ipſe ob religionem vexetur ac inuadatur, idque ipſe adſerui: ſed inde non conſequitur, ſi alius, qui eadem mecum ſacra habet, opprimatur, quod idem mihi licitum permiſſumque ſit. Non aſſero nunc, quod peccet, qui eandem ſecum religionem habenti, ab alio oppreſſo, ſuccurrat; ea de re deinceps diſputandum erit: hoc ſaltem contendo, quod ineptum ſit ita colligere: licite vim opponere poſſum ei, qui ad religionem quandam vel deſerendam vel amplectendam me vult cogere, cum nullum ad hoc ius habeat, ergo eodem iure illi, qui religionis meae ſocium adgreditur, ſigna inferre poſſum. Oppido enim diſtincta ſunt, *religionem defendere, & ſe religionis cauſa defendere.* Illud quippe perinde eſt, ac ſi dicas, vim opponere illi, qui quacunque ratione aliquid committit, quod religioni aut detrimento aut dedecori eſſe poteſt, & in ſpecie illos, qui eodem religionis vinculo mecum iuncti ſunt, laedit. Ex diuerſis fontibus haec promanant, mirumque adeo non eſt, quod decipiantur aganturque in transuorſum, qui iſta rite non diſcernunt. Quare ſi Germaniam, ſi Angliam, ſi Galliam, Saraceni

ceni inuaſiſſent, dubium non eſt, quin Imperator, Angliae, Galliaeque Reges, quisque pro regno ſuo, & religione in ea vigente & ſibi adprobata, arma hoſtibus opponere potuiſſet: licet vel maxime illorum non aliud fuiſſet conſilium, quam Muhammaedanae perfidiae pomoeria dilatare.

§. X. Aſt religionem defendere Romani Pontificis fuit. Caput enim cum ſit chriſtiani orbis, ipſiusque ſeruatoris vicarius, eius vtique eſt, ſingulis chriſtiani orbis partibus proſpicere, & religionis talem gerere curam, vt nec ipſi religioni, nec eam profitentibus iniuria inferatur. Quae quidem vi ſua non deſtituerentur, modo iſtud exiſtum eſſet, eccleſiam chriſtianam vnius reipublicae inſtar eſſe, cuius rector moderatorque Romanus eſſet praeſul, penes quem non tantum rerum omnium eſſet poteſtas, ſed & cui iniunctum eſſet arma illis opponere, qui tale quid moliuntur & committunt, quod in chriſtianae religionis detrimentum videtur vergere. Iam vero haec omnia ſecus ſe habere, operoſa probatione euincendum non eſt. Praeſtiterunt id iam alii, & ex recentioribus prope infiniti, aliqui etiam ex antiquioribus, quos Simon Schardius & Melchior Goldaſtus, diligentiſſimi viri, ediderunt, quos legiſſe neminem poenitebit.

§. XI.

Google

§. XI. Omnis quoque defenſio, quae religionis cauſa ſuſcipitur, mea quidem ſententia, tum demum locum inuenit, ſi religio ipſa petitur, vel hoſtis nos hanc ob cauſam adgreditur, vt ad aliam amplectendam religionem nos cogere velit. Quae omnia in bellis hisce ſacris ſecus ſeſe habebant. Quod enim Turcae ad imperii potius, quam religionis pomoeria dilatanda Palaeſtinam inualerint, vel inde forte colliges, quod non ſaeuierint in chriſtianos, ſed illis ſacris ſuis operari permiſerint. Teſtatur id ipſe patriarcha Hieroſolymitanus Theodoſius, in epiſtola ad patriarcham Conſtantinopolitanum: *Multam*, inquit, *Turcae beneuolentiam & compaſſionem oſtendunt in nos, licentiam nobis praebentes aedificandi eccleſias noſtras, & tenendi ſine prohibitione mores noſtros, iuſte agentes, & in nullo nobis iniuriam vel violentiam inferentes.* (y) Quare vtut Muhammedanis vel maxime iuſtus poſſeſſionis defuerit titulus, id quod non abnuo: dum tamen religionem non petierint, ſaltem huius defendendae ſpecie, illis non poterat inferri bellum. Id quod vt palam fieret, mea magnopere referebat.

§. XII. Altera ſpecies belli, iniure noſtro vindicando, & illata iniuria reparanda, vt & ſecuritate nobis concilianda, verſatur. Tale igitur bellum, quod *offenſiuum* vocare ſolent,

(y) *apud Baronium ad A. C. 869. n. XVI.*

ſolent, ſicut prius *defenſiui* nomine venit, tum demum iuſte ſuſcipitur, cum, qui iure perfecto nobis obſtrictus eſt, id, quod praeſtare debet, non praeſtat, cum iniuriam illatam relarcire, aut de ſecuritate nobis cauere recuſat. Huic vero religio neutiquam iuſtum praebere titulum poteſt. Etenim ab alia gente nulla iuris ſpecie quis exigere poteſt, vt religionem, quam pro vera ipſe reputat, amplectatur, aut ſi amplecti recuſet, vtique non eſt, vt de iniuria illata conqueratur. *Non ferendo eſt*, inquit Hermannus Conringius, (z) *illa quorundam perſuaſio, quaſi iuſta promiſcue ſint chriſtianorum arma, in quosvis a chriſtiana fide prorſus alienos, ſiue non nihil exorbitantes. Non minus profecto deteſtanda eſt haec opinio, atque illa ex aduerſo Mubammedanorum, in alia ſentientes quosuis, aut veterum Graecorum, in omnes quos Barbaros vocabant, tanquam illi natura eſſent ſerui, praeterſa bellandi licentia.*

§. XII. Nec religionis chriſtianae haec eſt indoles, vt vi armisque propagari aut poſſit, aut debeat. Chriſtus ipſe docuit homines, non coegit. Chriſti ſeruatoris noſtri exemplum ſecuti ſunt Apoſtoli. Arma militiae noſtrae, inquit diuus Paulus *II. Cor X. 4.* non carnalia ſunt, ſed potentia Dei, ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur, & omnem celſitudinem,

(z) *Epiſt. LIII.*

dinem, quae extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto. Quae arma & latius enumerantur *II. Cor. VI. 4. ſq.* tolerantia multa, afflictiones, neceſſitates, anxietates, plagae, carceres, labores, vigilia, ieiunia, puritas, ſcientia, benignitas, charitas non ſimulata. Conf. *Epheſ. VI. 11. 12. II. Cor VIII. 8.* & alia ſcripturae diuinae documenta. Equidem in parabola de conuiuio *Luc. XIV.* inuitatores iubentur conuiuas compellere ad intrandum, ſeu neceſſitatem afferre, ſed non talem, quae vi metuque conſtat, aut qua obtorto collo homines rapiuntur, ſed qualis inuitationi ad conuiuium quadrat, rogando, hortando, maieſtatem conuiuatoris, conuiuii illecebras oſtentando. Sic D. Paulus *II. Cor V. 19. 20* nomine Chriſti inquit, legatione fungimur, tanquam Deo vos obſecrante per nos: rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Sed quae latius hac de re dici poterant, ea cuncta accurate complexus eſt Puſendorffius, in libello de habitu religionis chriſtianae ad vitam ciuilem. Legi quoque Hugo Grotius meretur, (a) qui & illud Tertulliani, *lex noua non ſe vindicat victore gladio*, laudat. Cui & ſuffragatur Athanaſius: *Dominus non cogens, ſed libertatem ſuam voluntati permittens dicebat quidem omnibus:*

(a) *lib. II. de I. B. & P. cap. XX. §. XLVIII.*

bus: Si quis vult venire post me: Apostolis vero, numquid & vos abire vultis? (b) Istud ergo ex hactenus dictis consequitur, falli turpiter eos, qui ex religionis christianae indole se obstrictos putant, vt ad hanc amplectendam alios cogant.

§. XIV. Non tamen desunt, qui secus opinantur, praesertim ex illis moralis scientiae doctoribus, quos ecclesia Romanensis finxit formauitque. Praeter alios, qui in secundam secundae (c) commentati sunt, ita quoque docet Ioannes Maior, (d) qui tamen addit initio beneuolentia & humanitate infideles esse alliciendos; quod si hac via nihil proficiatur, tum demum posse in eos arma sumi. Genesius Sepulueda apud Philippum a S. S. Trinitate id inde probat, quia, dum idololatria animi polluuntur infideles, recte afficiantur suppliciis. In quo non procul ab ea sententia abiit, quam defendit Hugo Grotius, quod ad poenam a populo exigendam, bellum cum eo gerere liceat. Asserit etiam Philippus a S. S. Trinitate, vel ideo non inepte hanc sententiam a quibusdam defendi, quod Hispaniae Regibus in more positum sit, Indiae, Africaeque populis vel hoc saltem titulo signa inferre, quod a christianorum sacris

(b) *in Epist. ad Solitarios.* (c) *Quaest. X.* (d) *in Thomae l. c.*

Digitized by Google

ſacris alieni ſint, (d) in quo & alios ſibi ſuffragantes habet. De Ximene Cardinale Nemauſenſium epiſcopus, Eſprit Flechier, memoriae prodidit, (e) eundem & approbaſſe bella, quae barbaris a regibus Hiſpaniae religionis cauſa inferebantur, & adiuviſſe, quin, zelo abreptum, duxiſſe copias in Africam. Illumque minime peccare idem Cardinalis Ximenes aſſeruit, qui infideles quocunque modo ad religionem chriſtianam amplectendam compelleret. Sunt tamen ex ipſis eccleſiae Romanae doctoribus, qui ſecus arbitrantur. Compelli poſſe infideles non ſubditos, ad ſacra chriſtianorum amplectenda, diſerte negat Philippus a S. S. Trinitate, (f) idque ſcripturae ſacrae, conciliorum, patrumque documentis roborat: negat Bannes, (g) negat Gregorius de Valentia, (h) negat & Caſtro Palao, (i) & hanc eſſe communem ſententiam doctorum profitetur; iſtud tamen addit: *Certum eſſe, poſſe eccleſiam per ſe, vel mediis chriſtianis principibus, compellere quoscunque infideles, ne praedicationem legis euangelicae impediant, neue praedicatorem deboneſtent. Quare*, pergit *ſi infidelis aliquis princeps blaſphemiis & irriſione in fi-*

(d) *in ſecundum ſecundae Thomae, T. II. diſp. VII. dub. VI.* (e) *Flechier in vita Cardinalis Ximenis lib. III.* (f) *l. c.* (g) *art. X. dub. IV.* (h) *diſp. I. quaeſt. X. punct. VII.* (i) *T. I. Mor. tract. IV. diſp. II. punct. IV.*

dem iniqua perſuaſione vel perſecutione praedicationem impedit, poteſt eccleſia eum vi & armis comprimere, &c. Id quod tamen diſcutere accuratius, inſtituti legibus repugnat.

§. XV. Quod itaque hoc pacto bellorum ſacrorum iuſtitia non poſſit euinci, non prolixa opus eſt probatione. Nimirum quicunque defendere haecce bella adgreſſi ſunt, ſatis ſe feciſſe muneri ſuo exiſtimarunt, ſi dicerent, ſuſcepta ea fuiſſe ad chriſtianae religionis propagationem. Id ipſi Romani pontifices profeſſi ſunt apud Bzouium. (k) Sed vero, cum chriſtianam religionem hac ratione propagare nefas ſit, non ſane hinc bellis hisce iuſtitiae conciliari ſpecies poteſt. Recte igitur Stephanus Pasquier pronunciat: (l) *Transfretationes eas fere ruinam attuliſſe eccleſiae, tam in temporalibus, quam ſpiritualibus, eoque nomine eſſe improbandas, quod pontifices voluerint religionem noſtram propagare per arma, quam ſaluator noſter voluerit creſcere per preces, exhortationes, ieiunia, obedientiam, & paupertatem.*

§. XVI. Iam iſtud expediendum eſt, liceatne illis, qui eadem nobiscum ſacra habent, ſi inuadantur & opprimantur ab aliis, ſuccurrere? Simusne etiam ad hoc obſtricti? Sane bellum quemlibet non ſolum pro

(k) *l. c.* (l) *dans les Recherches lib. V. cap. XXI.*

pro ſe, ſed & ſaepe pro aliis gerere ſolere, manifeſtum eſt. Sed vt hoc recte fiat, in illo, cui ſuccurritur, iuſta bellandi requiritur cauſa, in eo autem, qui auxilium alteri latum it, adeſſe debet peculiare aliquod vinculum, quo principali belligeranti nectatur, quod idoneum ſit, vt in gratiam vnius hominis, alterum aeque hominem hoſtiliter tractare queat. Hinc pro ſubditis, & qui imperio noſtro ſubſunt, licite bella ſuſcipiuntur. Suſcipiuntur & pro foederatis, tum aequalibus, tum inaequalibus. *Qui non repellit iniuriam a ſocio ſi poteſt, tam eſt in vitio quam ille, qui facit*, inquit Ambroſius. (m) Amicis quoque, quibus auxilium quidem promiſſum non eſt, ſed tamen amicitiae quadam ratione debetur, ius fasque eſt, armata ſuccurrere manu. Sed & omnes homines ob communem, quae inter eos intercedit, cognationem, defendere non iniquum eſt: cum praeſertim noſtra quoque plurimum referat, vt ne aliquis iniuriis alios impune vexet. *Homo enim in adiutorium mutuum natus eſt*, inquit Seneca. (n) Quidni itaque & religionis ſociis ſubuenire liceat? Praeterquam enim, quod illis non minus quam ceteris hominibus debetur, arctiori etiam vinculo, quam

(m) *lib. I. offic. cap. XXXVI.* (n) *lib. I. de ira cap. VII. add. Hugo Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. XXV. & Pufendorff. lib VIII. de I. N. & G. cap. VI. §. XIV.*

ceteri mortales, nobiscum iuncti & colligati sunt: certe tali, quod amicitiae nexui aut praeferri, aut aequiparari, debet.

§. XVII. Non diffiteor, magnum hinc robur capere illorum sententiam, qui bellorum horum iustitiam euincere cupiunt. Et initio quidem Hierosolymitani, a Turcis oppressi, iustam belli habebant causam. Resistere enim inuasori licet, quamdiu iniusta possessionis causa durat. (o) Turcas vero pro iniustis inuasoribus reputandos esse, ipsa historiarum nos edocent monumenta. (p) Europaeos autem principes non tantum obligatio, qua omnibus populis obstricti sunt; sed cumprimis sacrorum consortium incitabat, ad suppetias miseris ferendas. Accedebat & illud, quod Hierosolymitani, literis ad pontificem, omnesque Europae principes scriptis, eorundem implorarent opem, easque litteras Petro Eremitae perferendas dederunt, teste Wilhelmo Tyrio. (q) Conradus Vrspergensis Abbas visas a se litteras hasce memorat in chronico. (r) Qui & istud addit, quod ipse imperator Constantinopolitanus, Alexius Comnenus, Europaeos principes ad haecce bella sollicitauerit. Quae profecto eiusmodi

(o) *vid. Grot. lib. I. cap. IV. §. XV. & Pufend. lib. VII. cap. VIII. §. IX.* (p) *vid. Besold. in hist. Hierosol. cap. I. §. XVII. seqq.* (q) *lib. I. cap. XI.* (r) *p. 230. seqq.*

modi ſunt, vt parum abſit, quin arma horum principum iniuſtitiae nota liberem: & liberarem ſane, niſi Romanus pontifex totam hanc ſcenam, non eo conſilio, vt miſeris ſubueniret, ſed longe aliis rationibus adductus, inſtruxiſſet.

§. XVIII. Enimuero quod Polybius (s) docet, vt in omnibus hominum actionibus, ita praecipue bellicis negotiis, cauſam & praetextum magnopere a ſe inuicem diſtare, id etiam hic cumprimis vſu venit. Tantum enim abeſt, vt vera cauſa mouens horum bellorum fuerit, auxilium Hieroſolymitanis ferendum, vt vix obtentui illud ſumſerint Romani pontifices: aut ſi vel maxime ſumſerunt, inde non euincitur bella haec fuiſſe iuſta. Fieri enim poteſt, vt iuſta belli gerendi cauſa euertatur, & contaminetur iniuſto fine, & intentione, iudice Zieglero. (t) Si enim rem accuratius nobiscum expendamus, deprehendemus, maiorem ſaltem potentiam Romano ſolio eſſe quaeſitam, praeſertim pendente adhuc lite de eccleſiaſticis dignitatibus, a Gregorio VII. Vrbani deceſſore mota. Intelligebant facile Romani praeſules, per haſce expeditiones ſuam potentiam non vna ratione auctum iri. Et initio quidem hoc pacto ſe effecturos credebant, vt orientales

(s) *lib. III. hiſt. cap. VI.* (t) *ad Hug. Grotii lib. II. c. I. §. XVIII. p. 215.*

quoque eccleſiae ſummam Romani pontificis agnoſcerent auctoritatem. In quo ſane illos neutiquam ſpes fefellit. Ex eo enim tempore & Antiochenus, & Hieroſolymitanus patriarcha, Romani pontificis iugum ſubiere. Conſultum quoque ducebant, hoc pacto vires regum principumque Europaeorum attenuare, ſpiritusque illorum reprimere, ne deinceps facile, ſuae ſibi conſcii imbecillitatis, pontificum auſibus obviam irent. (u) Hoc vero ita ſe habere ille demum abnuerit, qui mores Romanorum pontificum, hac aetate ſummam rerum tenentium, parum cognitos & exploratos habet. Cunctas enim artes, auctoritatem ſuam augendi, a Gregorio VII. egregie erant edocti: id quod iam eo tempore, cum haec bella gerebantur, prudentiores minime latebat: nec diſſimulabant iſtud Wilhelmus Tyrius, & Vrſpergenſis ille Abbas, Conradus. Innuit quoque illud Albertus, Canonicus Aquenſis, in chronico Hieroſolymitano. (x)

§. XIX. Euentu deinceps comprobatum eſt, expeditionibus cruciatis Romanos praeſules, ad firmandam potentiam ſuam, ſemper fuiſſe vſos. Namque Innocentius III. ſta-

(u) *vid. hiſt. Caluinismi & Papismi parallela, quae Roterodami A. 1683. prodiit. T. II. lib. I. cap. III. IV. V.* (x) *lib. IV. cap. XXVIII. add. Reineccius in praefat. hiſt. orient. praemiſſa.*

ſtatim ea ratione Waldenſes, quos & Albigenſes dicunt, oppreſſit: hoc vnice metuens, ne Romani pontificis, latius ſparſa illorum doctrina, auctoritas euileſceret. Opportune profecto, ad Raimundum comitem Toloſanum, qui Albigenſium partibus acceſſerat, coërcendum, illi in mentem veniebat, non breuiori via ſe horum conatibus obviam ire poſſe, quam ſi *cruciatam*, vt loqui ex genio & more iſtius aetatis ita mihi liceat, indiceret. Non alia de cauſa bellum iſtud Toloſanum ſuſceptum, tamque crudeliter in Albigenſes ſaeuitum eſſe, non inficiabitur, qui Hiſtoricorum paulo accuratius ſecum expenderit documenta. (y) Innocentii vero exemplum ceteri ſubinde ſecuti ſunt pontifices. Quare & Cardinalis Volaterranus Adriano VI. pontifici ſuaſurus, vt contra Lutherum & ceteros veritatis propugnatores, expeditiones, vt vocant, cruciatas inſtitueret, hoc ſemper Romanis pontificibus in more poſitum fuiſſe, contendit. Sic Waldenſes, Picardos, Pauperes de Lugduno, Arnoldiſtas, Speroniſtas, Patauinos, ceterosque Romanae ſedis hoſtes tam feliciter fuiſ-

(y) *vid. Vſſerius de ſtatu eccleſiae in occidente cap. VIII. Paulus Aemilius de reb. geſt. Francor. lib. VI. Reg. XLI. Thuanus ad A. C. 1550. Mornaeus Myſter. iniquit. p. 731.*

ſe oppreſſos, vt, praeter nomen famamque, nihil hodie ſit reliqui. (z)

§. XX. Sed vero & alia, & quidem ſpeciali ratione per expeditiones iſtas ſacras, ad imperium vniuerſale, quod Romani moliebantur pontifices, facta eſt haud contemnenda acceſſio. Eo vsque enim callidiſſimis horum praeſulum conſiliis ſtructura huius monarchiae proceſſerat, vt leges ferrent orbi chriſtiano, iura darent ipſis regibus ac imperatoribus de rerum ſumma inter ſe concertantibus, eosdemque ſi libitum eſſet, ſacris arcendo, punirent, cunctisque adeo ſummae poteſtatis partibus in imperio hoc eccleſiaſtico fungerentur. Iam & belli pacisque arbitrium ita penes ſe eſſe, vt ſuo iuſſu vniuerſus chriſtianus orbis arma indueret, hisce documentis commonſtrarunt.

§. XXI. Romanos itaque pontifices, ceu praecipuos atque principes harum expeditionum auctores, nemo facile iniuſtitiae crimine liberabit. Id quod hactenus luculenter euici. Reges principesque, & quotquot nutum ac auſpicia pontificis ſecuti ſunt, quo minus pro inſtrumentis reputemus, nihil omnino obſtat. Namque ſub imperio quaſi pontificis tum temporis fuere conſtituti. Quod itaque Hugo Grotius

(z) *conf. Petrus Suauis in hiſt. concilii Tridentini lib. I.*

tius (a) bene prudenterque monet, *ſi illis, qui ſub imperio alieno ſunt, libera datur optio militandi aut quieſcendi, easdem regulas ſequi debent, quas illi, qui ſuopte arbitrio pro ſe aut aliis bella ſuſcipiunt.* id utique etiam hic locum habet. Inuitabantur a pontificibus reges principesque, & alliciebantur, cogi non poterant: adeoque penes illos fuit, vellentne expeditionem ſuſcipere, nec ne. Ipſi ergo, num iuſtam belli haberent cauſam, ſecum debebant reputare. Et hanc habuerunt quodammodo, ſi hoc conſilio militatum abierunt, vt ſuccurrerent oppreſſis. An vero omnibus hic finis fuerit conſtitutus, iure ambigo. Albertus Canonicus Aquenſis, (b) multos tum proceres, tum plebeios, ex leuitate animi haec bella ſuſcepiſſe aſſerit. Suffragatur huic Wilhelmus Tyrius, (c) cuius verba digna ſunt, quae hic legantur: *Nec tamen apud omnes erat in cauſa dominus, & virtutum mater discretio, votum excitabat: ſed quidam, ne amicos deſererent, quidam ne deſides haberentur quidam, ſola leuitatis cauſa, aut ſuos creditores, quibus multorum debitorum pondere tenebantur, obligati, declinantes vt eluderent, aliis ſe adiungebant.* Eadem refert Brocardus monachus: (d) *Quando aliquis*, inquit, *in Hiſpania, Gallia, Germania, Italia, aut aliis Chriſtiani-*

(a) *lib. II. de I. B. & P. cap. XXVI.* (b) *lib. IV. chron. Hieroſolymit. cap. XXVIII.* (c) *lib. I. cap. XVI.* (d) *in deſcript. Palaeſtinae p. 122.*

ſtianitatis nationibus malefactor deprehenſus fuerit, vtpote homicida, latro, fur, inceſtuoſus, adulter, fornicator, proditor, & timet propterea a iudice condignam ſibi irrogari poenam, fugit, & transfretat in terram ſanctam. (e) Taceo nunc Nicephori Gregorae querelas, ceu profectas forte ab animo in Latinos & Europaeos hoſtili. Saltem vnico inauditae improbitatis exemplo, id quod dixi, comprobabo, quod pluribus eſt, commemoratum, nec Hermanno Conringio (f) praetermiſſum. *Quis*, inquit, *vel hodie non obſtupeſcat ad impietatem ſaltem illorum, qui capellam & anſerem, tanquam S. Spiritu afflatos, viae duces coluerunt. Fuerunt autem ducenta millia equitum & pedium.*

§. XXII. Praecipue vero ingens illa, quae omnes afflauerat ſuperſtitio, quae & plerosque in Saracenos armauit, animaduerſionem promereretur. Tenebat nimirum iam tum eos hic error, ad peccata & crimina quamuis atrocia expianda, non promtiorem eſſe medelam, quam inuiſere loca, ſeruatoris noſtri Chriſti natiuitate, morte ac reſurrectione nobilitata. Haec igitur a barbaris poſſideri, id praecipue aegre ferebant, & indignabundi conquerebantur. Ipſe Vrbanus pontifex in Claromontano concilio ad eripiendas barbaris hasce pro-

vin-

(e) *conf. & Ioannes Sire in hiſtoria Ludouici S. Gall. Reg. cap. XXII. ad fin.* (f) *Epiſt. LIII.*

vincias cohortaturus christianos principes, non alio magis, quam hoc, in hostes eos armauit argumento: *Loca venerabilia, diuinis deputata mysteriis, quae Dominum in carne susceperunt, hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se plena fide praetendunt argumenta, facta sunt gregum praesepia, stabula iumentorum.* (g) En luculentum superstitionis, quae miseros abripuit documentum! *Nostra* enim *nihil refert,* iudice Conringio, (h) *quod terrae sanctis pedibus quondam calcatae ab impuris hodie ambulentur: nisi quod doleamus merito impietatis vim, quae diuinam indignationem vsque adeo commeruit: cum vbiuis terrarum aeque Deo acceptis, & aeque propinquis caelo nobis esse liceat, & omnis plenitudo terrae perinde sit Domini.* Accedebat & alius non minus pestilens error, quo ceu veneno quodam militum istorum afflati erant animi, vana scilicet ista persuasio, vnumquemque, qui in certamine, quod contra infideles geritur, periisset, caeleste promereri regnum. Quae sententia in ipsummet ius pontificium est recepta. Et simili profecto modo, aduersus christianos, militem suum armant Muhammedis asseclae. Id vero est, quod Nicephorus Phocas imperator, vt orbi persuaderetur, in votis habuit, testibus Cedreno, Glyca, Curopalata & Zonara,

(g) *vid. Wilhelmus Tyrius lib. I. cap. XV.* (h) *l. c.*

nara, vt ſcilicet milites bello interfecti, pari cum martyribus honore colerentur.

§. XXIII. Solet vero & ſaepius contingere, vt in bello, quantumuis iuſto, multa admittantur, quae a ſummo crimine non procul abſunt. Vtique ita ſeſe res habet, quemadmodum M. Tullius Cicero putat: ſunt quaedam officia etiam aduerſus eos ſeruanda, a quibus iniuriam acceperis. Eſt enim vlciſcendi & puniendi modus. (i) Crudeles cum Seneca (k) illos merito dixeris, qui, cum belli cauſam habeant, modum non habent. Atque hinc omnino factum, vt etiam, ſi multa ſibi in hoſtem licere putauerint belli duces, non tamen omnia permiſſa eſſe crediderint. Hinc & prudentum iſta effata, quae tum circa hominum caedem, tum circa rerum vaſtationem, modum ſeruandum docent: quae latius proſequitur Hugo Grotius. (l) Hunc itaque qui non tenet, tanto grauius committit crimen, quanto iniquior eſt belli cauſa. Tantum vero abeſt, vt ſeruauerint modum, limitesque ſtatuerint licentiae ſuae ſacri hi bellatores, vt vel hoc ſolo nomine ſummae iniquitatis argui poſſint. Idque vel vnico euincere documento iuuabit. Gentibus, quae omnem nondum prorſus exuerunt humanitatem,

(i) *Cic. offic. lib. I.* (k) *lib. II. de Clement. cap. IV.*
(l) *lib. III. de I. B. & P. cap. XI. ſeqq.*

Digitized by Google

tem, in more poſitum ſemper fuit, vt pueris foeminisque parcerent victricia arma. *Puerum aetas excuſet, foeminam ſexus.* (m) Hisce vt parceretur, Deus ipſe lege ſanciuit Deut. XX. 14. *Arma habemus*, inquit Camillus, *non aduerſus eam aetatem, cui etiam captis vrbibus parcitur, ſed aduerſus armatos.* (n) Quam procul itaque ab hac aequitate, gentilibus etiam & laudata, & praeclaris eorum exemplis comprobata, abfuerunt, qui ſe chriſtianos & Dei bellatores appellarunt? Ex infinitis, quos proferre poteram, teſtibus, nunc prodeat Albertus ille Aquenſis. Hic enim cum expoſuiſſet, quo pacto vrbem Hieroſolymitanam expugnarint, addit: *mulieres, quae in turritis palatiis & ſoliis confugerant, mucrone confoderunt; infantes adhuc ſugentes per plantam pedis ex ſinu matris aut cunabulis arreptos muris vel oſtiorum liminibus allidentes, fractis ceruicibus; alios armis trucidabant, alios lapidibus obruebant, nulli prorſus aetati aut generi gentilium parcentes.* (o) Quae prolixius idem auctor refert, eiusmodi profecto ſunt, vt auaritiam, & crudelitatem chriſtiani exercitus, plane inexplebilem inde intelligere ſatis liceat. Nec diſſimulat illud Wilhelmus Tyrius, (p) ceterique fatentur.

§. XXIV.

(m) *Seneca lib. III. de ira cap. XXIV.* (n) *ap. Liuium lib. IX.* (o) *l. c.* (p) *lib. VIII. cap. IV.*

§. XXIV. Priusquam prouehamur vlterius, expendere paucis illa iuuat, quae a nonnullis ſolent in medium afferri, vt euincant, iuſte hasce expeditiones in Palaeſtinam fuiſſe ſuſceptas. Derinuiſſe videlicet aiunt Barbaros eiusmodi prouincias, quae ad principum chriſtianorum iurisdictionem ſpectabant. Quod qui contendunt, ridiculo ſine dubio errore ſibi perſuadent, quod, ſicut ſpiritualium promiſſionum, ſanctis patriarchis diuinitus factarum, ita & ius hereditarium bonorum ciuilium Iſraelitici populi, chriſtianis competat. In quo ſane, vt neminem latet, falluntur turpiter. (q) Aut forte breuiori via hanc iurisdictionem ex Romani pontificis conceſſione deriuant. Iam pridem enim fuerunt, qui aſſererent, poſſe Romanos pontifices non modo ciuitates, prouincias, & regna, quae antea chriſtianorum fuerant, deinceps autem a Barbaris ſint occupata, concedere aliis, vt recuperent ea ſibique ſubiiciant: ſed ea etiam addicere poſſe, quae nunquam chriſtiani poſſederint. Doctores Romanae eccleſiae ita ſentiunt, Diana, aliique, ab ipſo citati auctores. (r) Qui ſane omnes, modo praeiudicatis opi-

(q) *vid. Conringii Epiſtol. cit.* (r) *add. Io. Georgius Sepulueda app. fol. 423. & ſeq. & bulla Alexandri VI. P. R. apud Bzouium ad A. C. 1493.*

opinionibus onerata non gererent pectora, vel hoc solo argumento, quod donatio sive concessio rei alienae, pro actione vana & irrita, iure reputetur, rectiora edoceri potuissent. Prolixe hanc sententiam confutat Franciscus Victoria in suis relectionibus, nec non Grotius in *Mari libero*, (s) vbi & istud vrget, quod seruator noster temporale dominium huius vniuersi recusauerit: nec enim personam principis, sed doctoris gessit. (t) Et si vel maxime tale dominium seruator habuisset, nondum tamen esset euictum, quod Romanus Pontifex pro eius successore debeat reputari: & si istud quoque constiterit, manebit tamen in dubio, an in hoc etiam iure debuerit succedere. Victoriae quoque, aliorumque theologorum Romanensium auctoritate, suam sententiam Grotius firmat. (u)

§. XXV. Nonnulli & inde horum bellorum demonstrare iustitiam satagunt, quod a viris morum probitate ac integritate inclytis, suasa fuerint & approbata, praecipue a Bernhardo Clareuallensi abbate. (x) Et sane tertiae expeditionis, quae

A.

(s) *cap. III.* (t) *vid. Pufendorf. de habit. christ. relig. §. XVI. XVII.* (u) *add. Gryphiander de insulis cap. XXIV. n. 59.* (x) *vid. Bellarminus lib. III. de Pontif. cap. XVII. ad Lehmannus in chronico Spirensi lib. V. cap. LII.*

A. MCXLV. ab Eugenio III. Pontifice indicta fuit, auctor fuaſorque Bernhardus exſtitit. *Litteris Eugenii*, inquit Sigonius, *in Franciam de ſacra expeditione perlatis, Bernhardus Abbas praedicationem crucis palam ſumma contentione & grauitate inſtituit: Veniſſe tempus, quo plenitudo gentium intrare debebat, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* (y) Sed cum infeliciter haec expeditio ceſſiſſet, Bernhardus apud plerosque male audiri coepit: eiusque auctoritati ac exiſtimationi vtique multum inde detractum eſt. (z) Excuſauit quidem Bernhardum Otto Friſingenſis Epiſcopus in vita Friderici. (a) *Si dicamus*, inquit, *ſanctum illum Abbatem Bernhardum ſpiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe: ſed nos ob ſuperbiam laſciuiamque noſtram, ſalubria mandata non obſeruantes, merito rerum perſonarumque diſpendium deportaſſe.* Prolixus quoque in Bernhardi defenſione eſt Gaufridus in vita Bernhardi. (b) Quin ipſe Bernhardus cauſam ſuam perorat initio *libri ſecundi de conſideratione:* ſcripſit autem libros quinque de conſideratione ad Romanum Pontificem, qui extant T. II. operum, edit. Ioannis Mabillonii. Ego tamen plane ita arbitror, a temeritatis crimine neutiquam immunem

(y) *de regno Italiae ad A. C. 1145.* (z) *vid. Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum.* (a) *lib. I. cap. LX.* (b) *lib. III. cap. IV.*

munem esse Bernhardum, atque huic ipsi eius, quae tantopere commendatur, probitati multum fictitii, multum superstitiosi haesisse, mihi persuadeo. Vtut vero ista sese habeant, nonne falli, nonne errare potuit aut Bernhardus, aut quisquis haec bella laudauit? Tanta vero & Pontificum ea aetate fuit calliditas, vt prudentissimis mortalium facile fucum facere potuerint. Atque dum falsa hac opinione, sola pietate impulsos pontifices haec bella ciere, imbutus fuit Bernhardus, in quam nimium erga hosce praesules studium haud difficulter eum inducere potuit, ei contigit, quod ictericis, quibus lutea quae non sunt, aeque vt lutea videntur. Cuius animo enim semel sedet peruicax opinio, demit ille res vera notione discernere.

§. XXVI. Attamen miraculis editis Deus testatus est, haec bella sibi probari. Quis ergo de illorum iustitia dubitaret? *Miraculum seculis inauditum id temporis factum esse, asseuerat* Henricus Huntingdon, (c) *vt tam diuersae gentes ex omnibus fere regnis. tot sanctissimi proceres, relictis possessionibus splendidis, vxoribus & filiis, omnes vna mente, loca ignotissima, spreta morte, petierint.* Portentis signisque manifestis excitatos fuisse Europae populos, vt in Asiam militatum abirent, affirmat Wilhelmus Tyrius: (d) aliis in

(c) *lib. VIII. Histor.* (d) *lib. I. cap. VIII.*

caelo crucem fuisse conspectam, alios voce caelitus recreatos famem sitimque fortiter toleraſſe, hominibusque & equis defatigatis non sine miraculo redditas vires; ingentes quoque hostium exercitus a parua christianorum manu non sine singulari Numinis ope pulsos, fugatosque, idem Tyrius prolixe commemorat. Aliaque addit, quae si hic referre vellem, rem susciperem taedii plenissimam. Me vero nec ista adducere possunt, vt existimem, iuste hasce expeditiones in Palaestinam fuisse susceptas. Quem enim fugit ista scriptorum, ecclesiae Romanae sacris innutritorum, in fingendis miraculis, & facilitas, & felicitas? Testem dabo omni exceptione maiorem, ipsum Melchiorem Canum, (e) qui adeo haec non inficiatur, vt profiteatur palam. Quem etiam latet istorum seculorum ad quoduis sibi persuadendum procliuitas? vt nulla vnquam aetas miraculorum fuerit feracior, nulla sic vnquam magis fuit credula. Mirandum itaque non est, si aut imaginationis vis, aut vanus rumor, aut turpis ignorantia hinc hominibus imposuerit, vt naturae etiam opera pro miraculis reputauerint. Accedit vero & infernalis genii illusio. Fieri namque, permittente ac cuncta sapienter dispensante Numine, ab eo potuisse miracula, hoc est, quae suetum naturae ordinem excedere videntur, constat, vt homines

(e) *lib. XII. LL. cap. XI.*

mines magis pertinaces redderet ad fidem adhibendam erroribus, quos vana illis dictaverat superstitio. Neque vero istud infrequens esse, aliunde satis edocti. conf. II. Thessal. II. 9. Deut. XIII. 1. 2. Matth. XXIV. 24. Quod vero tanta contentione omnis ordinis ac aetatis homines haec bella susceperint, is demum cum Huntingdonio inter miracula reponet, qui superstitionis vim plane ignorauerit. Daemonis tamen illusionibus & hic aliquid tribuere videtur Hermannus Conringius, cuius hac de re tale exstat iudicium: *Enimuero Spiritus aliqua vi occulta fuisse tum homines agitatos & ad arma quasi abreptos affirmabit, nisi fallor, omnis qui debita attentione res temporum illorum perpenderit. Spiritum sane quempiam peregrinum, quem appellitat, expeditionis illius quae Conrado III. Caesare facta est, arcanum incitatorem agnouit ipsemet Otto Episcopus Frisingensis, magnus itineris istius socius. Similem agitationem & in Bullionia contigisse, memorarunt Dodechinus, Albertus Stadensis, & alii. Quin & seculo XII. impetu fanatico in bellum illud raptos pueros, idem Albertus, locuples rerum aeui sui testis, prodit. Spiritu igitur quodam homines tum agitatos haud negandum: Spiritus S. vero aliquem in his motum, rarissimo sane, si modo vllo indicio, agnoueris.* (f)

(f) *Epist. cit.*

§. XXVII. Nunc iſtud diſceptandum reſtat fuerintne prudenter expeditiones iſtae ſuſceptae. Enimuero calliditatis potius, quam prudentiae laude dignus erit, commodis ſuis qui ita conſulit, vt iuſtitiae nullam habeat rationem. Per hominum tamen prauitatem iam in morem abiit, vt iis prudentiae non denegetur titulus, qui, quocunque poſſunt modo, res ſuas in maius meliusque euehunt. Praeſertim vero hoc nomine ornantur, qui conſiliorum ſuorum rationes ita temperant, vt, quo minus illis euentus ex voto reſpondeat, non ſane penes ilios ſtetiſſe, iure cenſeri queat. Hoc pacto ſi hasce expeditiones metiaris, pontificem forte prudentis non priuabis elogio, reges vero principesque adeo incaute egiſſe deprehendes, ſibique adeo non proſpexiſſe, vt ab imprudentiae labe parum abfuerint; aut prudens is demum erit, qui ingentes copias hoſtibus ita obiicit. vt omnibus impune ſit pereundum. Ecquid vero aliud ſperare poterant Europae principes, in Aſiam ducendo tot exercitus, quibus nec ſuppetias facile poterant ferre, nec ſemper de commeatu proſpicere? Quod ſi crediderint, a graecis imperatoribus haec omnia ſibi ſuppeditatum iri, nec illos, vtpote eodem religionis vinculo ſecum iunctos, facile ſibi defuturos, hoc ipſo profecto prodi-

Digitized by Google

diderunt, quam parum malitia hominum cognita illis fuerit, & explorata. Id quod, an prudentis sit, dubito. Certe Constantinopolitani non poterant aequis intueri oculis successus Europaeorum, cum horum iam pridem formidarent potentiam: vt adeo illis salutem omnem non sine insigni temeritate concredere potuerint Europaei.

§. XXVIII. Comprobatum istud, quod dixi, saepius tristi euentu fuit, praesertim in expeditione secunda, quae A. MCI. rerum Hierosolymitanarum summam tenente Balduino, fuit suscepta. Ingens enim exercitus Palaestinam petens, partim Alexii Imperatoris fraude ac perfidia, partim & aliis durioribus fatis, praecipue fame, periit. Et ad Alexium quidem quod attinet, solent perfidiam eius reprehendere passim, qui hanc expeditionem litterarum monumentis consignarunt. (g) Sunt tamen, qui eum aut defendunt, aut excusant, Europaeasque copias, promissorum migrata fide, in territorio Graecorum non secus ac in hostili sese gessisse aiunt, regionem rapinis, incendiisque cuncta complendo: indeque Alexium fecisse ea, quae facere regem pro

(g) *vid. Vrspergensis Abbas Conradus ad A. C. MCI. Cuspinianus in Caesaribus, in Alexio Comneno, p. 464. Anna Comnena in vita Alexii, aliique.*

ſubditis oportet. Sane Albertus Aquenſis a ceteris diſſentit, qui effrenibus inconditisque militum moribus, quos nec ipſi coercere poterant duces, non aliam potuiſſe adhiberi medelam cenſet. *Omnia*, inquit, *ſine modo & ſine ratione depraedati ſunt, ſine aliqua mutuatione Bulgaris & Graecis ſua auferentes, pecora & volatilia eorum diripientes, &c.* Quod vero antea dixi, fame miſere periiſſe plerosque militum, rurſus idem Albertus prolixius ediſſerit, qui addit: *Facile ab hoſtibus ſuperati & detruncati ſunt, prae fame diuturna, qua nimirum afflicti & viribus exhauſti, nulla virtute reſiſtere potuerunt. Tanta enim illis fames in deſertis incubuit, vt corium bouis viginti ſolidis emeretur, panicu-lus, qui palmo concludi poterat, tribus ſolidis Lucenſis monetae venderetur &c.*

§. XXIX. Haec tanti exercitus iactura non tamen rectius ſapere Europaeos docuit: quin denuo Graecorum experiri perfidiam illos oportuit. Etenim tertiae, cui ipſe Conradus Imperator interfuit, expeditionis non meliora fuerunt fata. Conſtantinopolitano imperio Emanuel praeerat, homo fraudulentus perfidusque, cuius artibus chriſtianorum copiae maximam partem periere, priusquam in Turcarum conſpectum venirent. (h) Nimirum parum huic

(h) *vid. Nicetas Choniates lib. I. de Emanuele.*

Digitized by Google

huic fuit, cum commeatum se subministraturum promisisset, calcem immiscere farinae, quam dabat Europaeis; aliis quoque rationibus perniciem illis machinatus est. *In locis opportunis*, inquit Nicetas, *insidias latinis Manuel collocabat, in locis angustis, vbi non paucos ex iis exercitibus interimebat. Ciues portis clausis nihil vendebant Alemannis; aut funes de moenibus demittentes pecuniam illorum prius subtrahebant, deinde aut paulum quid panis aliarumue rerum, aut prorsus nihil demittebant, sed euanescebant. Quibus iniuriis illi exacerbati vindicem Dei oculum in eos invocabant, qui in aduenas eiusdem religionis tam iniusti essent. At etiam ex improbo argento monetam cudit Manuel iste, quae latinis istis, qui aliquid venditurі essent, daretur. Breuiter vt dicam, nullum malі genus fuit, quod non Imperator vel ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor esset: vt scilicet eorum posteri perpetuis monimentis ab inuadendis Romanis (Graecis) deterrerentur.*

§. XXX. Ire per singula, quibus meam firmare sententiam poteram, prolixum nimis foret. In omnibus enim expeditionibus tristi euentu edocti sunt nostri principes, non sine periculo per alterius territorium hosti obuiam ire milites: praesertim si de fide eius ac amicitia non satis nobis cautum sit; & eum, qui, summa non cogente necessitate, eiusmodi bella, vbi

non ipſe militi de commeatu proſpicere ſatis poteſt, ſed ab amicis, vt plurimum malefidis, hunc exſpectare debet, ſuſcipit, ſuasque adeo copias in manifeſta coniicit pericula, ab imprudentiae quidem ac temeritatis nota non poſſe liberari. Ita Cyrum filium erudiebat pater apud Xenophontem, (i) luculenter demonſtrans, quam non in amicis hic collocanda ſit fiducia. Breui enim periturum, dicit, imperium, vbi exercitus caruerit commeatu. Cumque Cyrus reſpondiſſet, hunc ſibi Cyaxarem praebiturum: *verum tamen*, inquit, *fidem adhibes his rebus incertis?*

§. XXXI. Nec in eo tantum peccatum eſt. Quin hisce expeditionibus intolerabile Romani Pontificis iugum ſuis ceruicibus reges principesque attraxere. Iam enim euicimus, quantopere horum interfuerit praeſulum, vt in Aſiam militatum abiret Europaea pubes. Atque reges quidem, tanto ardore iuſſis pontificum obſequium praeſtantes, eorum incaute ita adauxerunt potentiam, vt duriſſimum pontificiae ſeruitutis iugum neceſſario deinceps ipſis fuerit ſubeundum. Id quod profecto, ſi quid aliud, imprudentiam illorum arguit. In quo mecum conſentientem habeo doctiſſimum virum Hermannum Conringium, qui demonſtraturus, imprudenter haec bella fuiſſe ſuſcepta, ita ſermonem finit: *Pontificibus*

(i) *lib. I. Cyropaed. p. 34.*

bus vero Romanis illas vtiles tum fuisse haud negauerim. Nec enim duntaxat Caesaribus, aliisque regibus paratis manu tueri aduersus Romanae curiae tam insolitos conatus prisca a maioribus accepta iura, noua hac, proposito aeternae vitae praemio, euocata militia. subductum fuit robur validum, sed etiam ipsimet illi, si ferociores viderentur, animis superstitiosae pietatis iugo subactis, procul ablegati sunt, vacuum regnum & opportunum Romano dominatui, domi relinquentes. Imo quod multo maius est, ipsum illud robur vniuersae pene Europae velut regibus & rebuspublicis fuit subductum, ita simul in fidem pontificum transiit, incredibili pontificii regni incremento &c.

§. XXXII. Et sane longe melius saluti Europae vniuersae, & singulorum regnorum, si intermissae fuissent istae expeditiones, potuisset consuli. Namque per eas extremae propemodum exponebantur ruinae. Regibus in palaestina degentibus subditi, vel ministri, ex arbitrio cuncta designabant, quadrata miscebant rotundis. Praeterea cum plerique arma induerent, ne nomina per luxuriam contracta soluere cogerentur, vt ex Alberto Aquensi, Brocardo monacho, aliisque supra ostensum, summa inde rerum omnium oriebatur conturbatio. Et quid aliud quam extremam poterant reliqui sperare miseriam, praecipuis viris, qui & manu & consilio regnorum fortiter pru-

denterque diſpenſare fata potuiſſent, miſere in paraeſtina pereuntibus. *Infinitam profecto multitudinem non vulgi ſolum, ſed regum, principum, omniumque generoſi ſanguinis, imo fere quicquid tum fortitudinis laudem vel meruit, vel affectauit, per ducentos amplius annos cruenta ſtrage expeditiones iſtae, eneruata omni Europa, e medio ſuſtulerunt. Quod non potuit non regnis populisque omnibus per eſſe noxium atque damnoſum. Nec vero quod ſimul perierit ita quicquid fere domi erat turbidum, tanti eſt; cum in promptu ſint prudentibus principibus, eius coercendi rationes multo meliores.* (k) Regesque adeo & principes, ſalutis ſuorum ita prodigi, num prudentiae laudem promeruerint, hinc diiudicari poteſt.

§. XXXIII. Nec vero iſtud praetermittendum, quod prudentioribus obſeruatum eſt, & a militaris diſciplinae magiſtris celebratur, exercitum, cui plures vno duces ſummo cum imperio praeſunt, raro admodum pugnare feliciter. Thuani, ſummi viri, hoc quoque effatum eſt, qui exercitum, quem Germaniae Principes, Smalcaldico foedere iuncti, Carolo imperatori opponebant, longe felicioribus ſucceſſibus vſurum fuiſſe iudicat, ſi vnius tantum ſequi nutum debuiſſet. (l) Etenim nunquam ſtabilis inter principes eſt concordia, conſiliorumque rationibus raro inter ſe

(k) *Conringius epiſt. cit.* (l) *lib. IV. p. 204.*

ſe conueniunt. Hisce ergo disceptantibus, dum tempus terunt, non raro agendi occaſio praeterlabitur, vel alio quocunque modo vis conſiliorum eneruatur. Ad recuperandam itaque Palaeſtinam, cum tot reges principesque, quorum vnusquisque alterius praeſcriptum ſequi, vel iuſſis obedire, ſe minime decere arbitrabatur, cum copiis confluerent, quis non intelligit, ſaepius eos diſſenſiſſe, & hinc ſaluberrima conſilia, horum diſſenſionibus praepedita, caruiſſe euentu? Id tum maxime patuit, cum inter Richardum Angliae regem, & Leopoldum Auſtriae ducem, cuius partibus Henricus imperator fauebat, oriretur contentio. Quae lites adeo non conſopiri potuerunt, vt cum copiis ſuis ex palaeſtina diſcederet Richardus, tandemque naufragium paſſus, & triſtiſſimis laboribus defunctus a Leopoldo caperetur. Id quod pluribus exponunt Matthaeus Pariſienſis, (* Rogerius de Houeden (m) aliique. Ceterum hanc principum diſſenſionem in cauſa fuiſſe, quo minus & in hac expeditione votis omnium reſponderit euentus, recte cenſet Caeſar Baronius. (n) Quo pacto & victricium ſaepe armorum curſus, quaſi repagulo

bb-

(*) *Hiſt. Anglic. ad A. C. 1190.*

(m) *in annalib. Anglic. part. II. p. 373. ſeqq. add. Auentinus annal. Boioar. lib. VII.* (n) *ad A. C. 1191.*

obiecto, fuit cohibitus. Quae omnia ita euentura, prudentes rerum aeſtimatores latere non poterat, certe non debebat.

§. XXXIV. Si itaque haec bella tam iniuſte, tam imprudenter ſuſcepta, nihilo ſecius ceſſiſſent feliciter, haberet profecto omnis poſteritas, quod miraretur. Iuuabit paulo accuratius dispicere, quis armorum iſtorum fuerit ſucceſſus. Etenim recondita & admirabili ratione, ſic cuncta dispenſante praepotenti Numine, non raro & illis, qui praeter ius atque fas arma aliis inferunt, res ex animi ſententia fluunt. Quae vero ad imprudentiam principum arguendam attulimus, eiusmodi ſunt, vt ex iis intelligatur, penes ipſos ſtetiſſe, quo minus huius vel illius praelii non proſper ſatis potuerit eſſe euentus. Iam ad ſingula deſcendere, & in cauſas inquirere, a noſtro inſtituto minime erit alienum.

§. XXXV. In prima quidem expeditione, quae duce Godofredo Bullionaeo ſuſcepta fuit, feliciter vt plurimum & ex animi ſententia rem geſſerunt. Namque, quod caput cauſae erat, Hieroſolymitanam vrbem expugnarunt, & chriſtianorum ſubiecerunt imperio. Cuius quidem ſucceſſus cum multae afferri rationes poſſent, haud poſtrema mihi eſſe videtur, quod nondum inter Europaeos principes & Conſtantinopolitanos imperatores ea orta eſſet diffidentia, quae,

quae, vt plerique prope Europaeorum conatus irriti essent, deinceps in causa fuit. Accedebat militaris disciplina: quippe in prima hac expeditione longe castiores sanctioresque christiani exercitus mores fuerunt, quam in ceteris omnibus. (o) Et hostes quoque, nouae & inusitate rei exemplo perterrefactos, fugare ac pellere longe facilius erat, quam cum collegerant iterum spiritus, atque in hostes non amplius sibi ignotos se armauerant. In secunda & tertia expeditione, quo minus felix successus responderit votis, penes Graecorum imperatores Alexium atque Emanuelem stetisse, iam supra commonstratum est. Neque vero tantum ingentes Europaeorum principum copiae impune portus periere, sed & primae expeditionis fructus, capta a Turcis vrbe Hierosolymitana, prorsus est amissus. Atque istud rursus ipsorum christianorum contigit culpa. Etenim in locum Balduini V. pueri, ad quem iure haereditario Hierosolymitani regni possessio pertinebat, suffectus erat Guido de Lusignano, Balduini vitricus. Id vero Raimundus comes Tripolitanus, cui Balduini tutela fuerat commissa, adeo aegre tulit, vt Turcarum accedere partibus, remque christianorum in oriente perdere, nullus dubitaret. Nec Saladinus hac occasione, christianos eiiciendi, oblata,

(o) *vid. Wilhelmus Tyrius lib. I. cap. XIV. seqq.*

lata, ſibi defuit, callidiſſimosque illos principes, e quorum numero & Philippum Macedoniae regem Alexandri patrem fuiſſe accepimus, imitatus eſt, qui, dum oppreſſis ſe ſubuenire ſimulant, perfidi cuncta ad ſe rapiunt. Triſti exemplo iterum patuit, quam omnino procerum discordia & florentiſſima regna peſſundet, detque in praeceps. Legi merentur, qui rem accuratius ediſſerunt, Iacobus de Vitriaco, (p) Vincentius, Bellouacenſis, (q) Abul Faraius (r) & Cruſius. (s) Nec parum quoque ad hanc cladem contulerunt deprauati perditique omnis ordinis, ac ſexus, hominum, ipſiusque patriarchae Hieroſolymitani mores. Legatur hac de re vita Wilh. Tyrii praefixa Corpori Hiſtoricorum orientalium expeditionum, & Marinus Sanutus. (t)

§. XXXVI. Friedericus I. itaque imperator, vt Hieroſolymam Turcis eriperet, inſtinctu pontificis expeditionem, quae quarta fuit, in palaeſtinam ſuſcepit. Quem tamen a Ioachimo Abbate, aliisque irritos fore conatus ſuos, edoctum fuiſſe, ſunt qui contendunt. Et profecto non defuiſſe, qui pa-

(p) *Hiſtor. Hieroſolymit. cap. XCIV.* (q) *in Speculo Hiſt. lib. XXX. cap. XLIII.* r) *Hiſt. Dynaſt. IX. p. 274.* (s) *in Annalib. Sueuicis part. II. lib. XI. cap. IX.* (t) *lib. III. part. VI. cap. XXIV.*

Digitized by Google

parum felici auſpicio imperatorem hoc bellum ſuſcepiſſe exiſtimauerunt, nullus dubito, cum, vt ſumtus ſibi ſuppeterent, decimas etiam a ſacri ordinis viris exegerit. (u) Nihilo ſecius difficultatibus, quibuscum ceteris, qui palaeſtinam adierant, conflictandum fuerat, tandem ſuperatis, non vno praelio Turcas fugat: victoriae tamen omni fructu orbatus fuit. Aquis enim fluuii cuiusdam, in quem deſcenderat, ſuffocatus periit. (x) Inde igitur res chriſtianorum iterum in peius ire coeperunt, totaque tandem expeditio prope irrita fuit. Accedebant enim Richardi Angliae regis & Leopoldi Auſtriae ducis lites: de quibus itidem ſupra iam quaedam commemorauimus.

§. XXXVII. Aſt Henricus VI. imperator, quem a partibus Leopoldi ſtetiſſe diximus, ob captum & multatum Richardum Angliae regem male audiens ne in eam adduceretur opinionem, ac ſi penes ipſum ſtaret, quo minus Palaeſtina chriſtianis reſtitueretur, annitente quoque & adhortante eum Coeleſtino pontifice, pro terrae ſanctae recuperatione, expeditionem inſtituit.

(u) *vid. Beauchamp in Sxnopſi Franco-Merouingicae hiſtoriae fol. 867. & 906.* (x) *v. Otto de S. Blaſio in append. ad Otton. Friſing. chron. cap. V. VI. &c. Auentinus Ann. Boi. lib. VI. Nauclerus vol. VII. gener. XXXIX. p. 82.*

tuit. Ipſe vero ideo non cum exercitu abiit, vt domi eo rectius pararentur, quae militi erant ſubminiſtranda. Probe enim intelligebat, ſaepius a ceteris hac in re fuiſſe peccatum. Aſt vero nec hic exercitus multa memoratu digna geſſit, tantum abeſt, vt Hieroſolymam eripere Turcis potuerit. In cauſas rationesque ſi inquirere velimus, militaris disciplinae neglectum praecipuam fuiſſe deprehendemus. Id me Conradus Vrſpergenſis Abbas diſerte docuit, y) qui milites hosce dicit fuiſſe *bellicoſos, crudeles, expenſarum prodigos, rationis expertes, voluntatem pro iure habentes.*

§. XXXVIII. Nec alius iſtius expeditionis, quae A. MCCXVII. auctore Innocentio III. ſuſcepta eſt, fuit euentus. Periiſſe plurimos fortiſſimos viros, teſtis eſt Vrſpergenſis Abbas, z) qui & iſtud addit: *Miſerum fuiſſe expeditionis iſtius exitum, noſtris fruſtra poſt tot labores exantlatos, reuertentibus.* Copioſe rem omnem Heroldus exponit. a) Quod qui ex ducum imprudentia profectum eſſe exiſtimauerit, mea quidem ſententia non aberrauerit a vero. Fridericus itaque II. qui interea ad imperatoriam euectus erat dignitatem, hanc chriſtiani exercitus reſarcire iacturam, ſui muneris eſſe arbitratus eſt. Iam pridem enim ad expeditionem eiusmodi

(y) *ad A. C. 1192.* (z) *ad A. 1213.* a) *in continuat. belli ſacri lib. V. cap. III. ſeqq.*

modi ſuſcipiendam ſeſe obſtrinxerat. (b) Et putabat quidem optimus Imperator, ſe hac ratione Pontificis iram placaturum: ſaltem certa eum ſpes tenebat, fore, vt pontifices, non reperientes quicquam, quod ad foediſſimas cupiditates ſuas tegendas obtentui ſumerent, alias conſiliorum ſuorum inirent rationes. In quo eum ſpes oppido ſefellit. Iam enim erga Sueuicam domum inexpiabile odium conceperant Romani praeſules, vt non aliter ſuae ſaluti, quam hac in praeceps data, ſe conſulere poſſe crederent. Accedebant & alia rerum momenta, quae Pontificis erga Fridericum exacerbauerant animum: quae hic prolixius exequi non licet. Saltem iſtud praetermittere nefas erit, quod, quo minus & Fridericus voti ſui plane damnari potuerit, penes Romanos ſteterit pontifices. Tum profecto luculentiſſime fuit comprobatum, nunquam hos tanti feciſſe Palaeſtinae recuperationem, vt non pluris illis fuerit, ſuae regnandi cupiditati & arrogantiae intolerabili inſeruire, & tum demum expeditiones hasce eos approbaſſe, cum e re ſua eſſe putauerunt, easdem ſuſcipi. Et ſane Gregorius parum penſi habuit orientalium chriſtianorum miſeriam, totiusque chriſtianae religionis in oriente ſtatum, dum, odio erga Fridericum abreptus, & impediuit pro

(b) *vid. Trithemius in Chron. Hirſaugienſi ad A. C. 1228.*

viribus christiani exercitus in Asiam transitum, & tandem, aliis quoque contra Fridericum concitatis, effecit, vt relicta Palaestina, rebus suis ibi nondum satis firmatis, in Europam reuertere Imperator cogeretur. Indeque factum, vt Hierosolyma, quam Barbaris denuo extorserat, breui post tempore cum Tripoli, Sidone, & ceteris oppidis rursus amitteretur. Id vero, quod dixi, documentis comprobare operae pretium duco, cum & alia, quae passim disseruimus, haud contemnendum inde acceptura sint robur. Sententiam primo ferat Conradus Vrspergensis Abbas: (c) *Imperator* (Fridericus II.) *volens explere votum suum, & pacatum sibi efficere Papam, transfretauit ad terram Hierosolymitanam. Prius tamen eodem anno indixerat curiam principum Alemanniae in quadragesima apud Rauennam, a qua impeditus fuit nunciis Papae. Nam Veronenses & Mediolanenses non permiserunt aliquos transire per fines suos, sed spoliabant rebus suis ipsos cruce signatos, idque vt asserebant auctoritate domini Papae &c.* Conrado suffragatur Cuspinianus. (d) Nec vero ira Pontificis placari potuit occupata vrbe Hierosolymitana; quin longe impotentius in Fridericum saeuire coepit. Conradus Vrspergensis Abbas: *Papa vero Gregorius captata occasione ex absentia imperatoris, in seruitio Christi demorantis, quod nefandissimum est dicere, abstulit, & sibi subegit:*

(c) *ad A. C. 1228.* (d) *in Friderico II. p. 531. seqq.*

egit: quis talia facta recte conſiderans non deploret, ac deteſtetur? (e) Omnium vero accuratiſſime rem omnem proſequitur Pandulphus Collenutius, (f) quem legiſſe neminem poenitebit. Quibus enim machinationibus vſus ſit Pontifex, vt Italiae quosdam principes contra Fridericum concitaret, refert. In quo & alios, praeſertim Cuſpinianum, ſibi conſentientes habet, qui & iſta addit: *Imperator, his feliciter ita geſtis, de iis pontificem per litteras certiorem reddit, congratulationem ab eo exſpectans, & gaudium publicum chriſtianorum. Pontifex ſuperbiſſimus, contemptis ac abiectis litteris, famam ſpargit, Imperatorem ſuum diem obiiſſe, quo felicius aliquot Apuliae vrbes, quae adhuc in fide ſteterant, ad ſe flecteret.* (g)

§. XXXIX. Experiri deinceps & alii ſuas vires pro recuperanda terra ſancta voluerunt, ſed irrito prorſus ac vano conatu. Fuit inter hosce Ludouicus Galliae Rex, quem & ſanctum appellitant, teſte Auberto Myraeo, Bruxellenſi, in faſtis Belgicis, (h) qui ex omnibus hisce expeditionibus memoratu digna in compendium miſit, & decem, quae praecipuae fuere, *cruciatas expeditiones* eo, quo par erat, ordine recenſet. Cunctis vero tandem in Palaeſtina deperditis, & chriſtianis, qui ſupererant, in Armeniam, Ciliciam & Cyprum, diffugien-

(e) *l. c.* (f) *lib. IV. Hiſtor. Neapol.* (g) *vid. & Auentinus lib. VII. Annal. Boi.* (h) *fol. 422.*

tibus, tandem horum in oriente imperium exſpirauit. De hisce omnibus legi quoque meretur Dauid Blondellus *in commonitorio de fulmine, quod in pacem Germanicam vibravit Papa Innocentius X* (i)

§. XL. Sed vero dum de expeditionibus hisce, vt vocantur, *cruciatis* ita ad rectae ac aequae rationis praescriptum differimus; haec quidem minime ad Equestres ordines, quos hae ipsae expeditiones progenuerunt, pertinere assero & contendo. Recte prudenterque Hermannus Conringius pronunciat: *etsi prima sacri belli exordia variis grauissime laborauerint, aliam tamen esse rationem ordinum horum militarium. hos quippe intentos esse potius tuendis christiani orbis finibus, a violentia Muhamedanorum.* Ceterum de quaestione, quae in hoc argumento praecipua fuit, legi potest Adami Pisetzcky a Kranichfeld, Praga-Bohemi, dissertatio theologico-iuridico historico-politica: Vbi firmissimis, vt lectori persuasum cupit, ex iure diuino, canonico, publico, ciuili petitis rationibus ostendit ac demonstrat, religionem vi propagari minime posse. Videri etiam potest in additionibus, dissertationi huic annexis, additio XII. in qua de infeliciſſimo expeditionum cruciatarum exitu quaedam subiungit. Addatur dialogus de bello sacro fragmentum in operibus Franciſci Baconi, Baronis de Verulamio.

S. D. G.

(i) *p. 34. seqq.*

EXER-

igitized by Google

EXERCITATIO

IVRIS NATVRALIS,

DE

SVCCESSIONIBVS PRIMOGENITORVM.

HABITA HALAE SAXONVM

D. XXVIII. AVG. ANNO M DC XCV.

RESPONDENTE

DANIELE HAAKE,

STARGARD-POM.

Σύνοψις.

Primogenitorum magna apud plerasque gentes fuit dignitas, §. I. Speciatim apud Ebraeos, §. II. quippe apud quos & sacerdotalis, & regia dignitas, tantum ad primogenitos pertinebat, §. III. IV. Discessum tamen quandoque, quoad sacerdotium, ab hoc more, §. V. praesertim cum minores natu gentem peculiarem constituerent, §. VI. Praerogatiua primogenitorum apud Ebraeos in hereditate adeunda, §. VII. An eadem iam ante legem a Mose latam gauisi sint? §. VIII. Reliqua huc spectantia summatim indicantur, §. IX. Primogenitorum in sacerdotio & priuata hereditate praerogatiua, §. X. Non tamen nititur iure naturali, §. XI. Primogenitorum quoad successiones in regna & imperia ἐξοχὴν, an certo nitatur fundamento? §. XII. Refelluntur, qui hic ad ius gentium prouocant, §. XIII. aut ad ius diuinum positiuum, §. XIV. Sententia & censura illorum, qui ex iure naturae primogenitorum in successionibus praerogatiuam accersunt, quorum alii regnorum conseruationem in subsidium vocant, §. XV. alii ius hereditatis, §. XVI. alii ius sanguinis, §. XVII. alii tacitam quandam electionem, §. XVIII. Nostra sententia, vt edisseratur, supponitur, successionem primogenitorum iure naturali non esse praeceptam, §. XIX. nec tamen

eodem iure eam esse prohibitam: frustra nonnullis inaequalem liberorum conditionem obiicientibus, §. XX. aut secuturam inde fratrum discordiam, §. XXI. Supponitur porro, generatim iure naturae, eum succedendi modum in regnis praecipi, qui reipublicae, populique conseruationi quam maxime est accommodatus, §. XXII. Hisce praemissis, probatur, neutiquam expedire reipublicae, vt diuidatur in partes §. XXIII. Expedire contra, vt vnus succedat. §. XXIV. Itemque vt mares praeferantur feminis, §. XXV. & inter fratres natu maior reliquis, §. XXVI. Expedire etiam, vt, ad lites euitandas, linealis succedendi ratio introducatur, §. XXVII. An patruus praeferendus in successione nepoti sit? saepe quaesitum fuit, §. XXVIII. cuius quaestionis rite constituuntur limites, §. XXIX. Nepotis potiorem hic esse conditionem decernitur, atque probatur, §. XXX. Respondetur ad argumenta, quae pro patruo afferri solent, & primo quidem ad aetatis praerogatiuam, §. XXXI. Deinde ad illud, quod nepos minus per aetatem idoneus sit ad rem publicam administrandam, quam patruus, §. XXXII. Ex quo colligitur, quid de maioratu censendum, §. XXXIII. Itemque de quaestione: an filia ex filio, praeferenda sit filio ex filia? §. XXXIV. Posse quandoque alium, quam primogenitum, succedere, si videlicet ipse iure suo se abdicet, §. XXXV. aut eodem ob graues causas priuetur, §. XXXVI. Auctores,

qui

qui ex inſtituto de hoc argumento expoſuerunt, indicantur, & diſſertationi finis imponitur, §. XXXVII.

§. I.

MAgnam omni tempore filiorum primogenitorum, apud gentes tum veteres, tum recentiores, fuiſſe dignitatem, annales & hiſtoriarum nos edocent monumenta. Si aſcendere ad primas fere rerum origines, & antiquiſſima mortalium inſtituta moresque ſcrutari velimus, natu maximos honore ceteris fratribus praeſtitiſſe, & quendam in omnibus velut obtinuiſſe principatum, deprehendimus. Sane quidem, ſuſpicere eos & venerari, primumque, ſiue vna ambularent, ſiue menſae accumberent, illis concedere locum, partes erant minorum natu. Parentes, quoties erga filios affectum amoremque ſuum teſtabantur, non alio pacto id fiebat, quam vt primogeniti potiſſimum haberetur ratio. Pro huius cumprimis ſalute concepta nuncupabant vota, viuentes: hunc precibus commendabant propitio Numinis fauori, & praecipue feliciter illi cuncta euenire iubebant morituri. Nec aliud defunctis parentibus erat familiae caput, ex cuius arbitrio & nutu omnia geri oportebat. Siue quid decernendum, quod ad fa-

miliae decus & emolumentum ſpectabat, ſiue ratio Deum rite placandi monſtranda, ceterisque praeeundum exemplum erat, natu maximum vt dominum, vt principem, vt ſummum ſacrorum antiſtitem, ceteri fratres colebant & obſeruabant.

§. II. Et ita quidem apud eas praecipue gentes, quarum honeſta, & ad omnem cultum compoſita viuendi ratio in exemplum apud poſteros abiit, ſefe res habuit. Ebraeos horumque progenitores, cordatiſſimos, ingenuos, ſanctiſſimosque mortalium, innuo. Varia vtique & multiplex apud eos maiorum natu, qua ſupra ceteros fratres eminebant, dignitas fuit, atque praeſtantia. Namque, vt cetera nunc taceam, & ſacrorum cura ad eos ſemper ſpectabat, & regiam dignitatem, ceteris fratribus ſuas ſibi res habere iuſſis, defuncto patre, ſibi vindicabant, & bonorum cum cernebatur hereditas, ceteris quidem vna, natu maximo duae cedebant partes.

§. III. Illuſtre admodum de regia ſacerdotalique dignitate, quod ad primogenitos olim pertinuerit, documentum extat *Gen. XLIX 3.* Namque de Rubene filio, vir ſummus Iacobus verba faciens, eum יתר שאת ויתר עז eſſe, pronunciat. Non eadem mens omnibus, qui haec ſacra tangunt, in verbis hisce explicandis, ſedet. Pagninus vertit: *excellens dignitate & excellens fortitudine.*

ne. Arias Montanus: *excellentia extollendi & excellentia fortis.* Oleaster: *reſiduum eleuationis ſeu excellentiae meae, & reſiduum fortitudinis meae.* Anglus: *the excellency of dignity, and the excellency of power.* Alii aliter. Sed de ſacerdotio atque regno haec capienda eſſe, & linguae genius, indolesque docet, & qui ex ebraeis doctoribus ſermonis patrii peritiſſimi, rerumque ſuarum longe conſultiſſimi ſunt, teſtantur. Chaldaeus ipſe vberiori quadam commentatione haec ita ediſſerit, vt de regno & ſacerdotio diſerte interpretetur. Ex ceteris R. Salomonem, quem Iarchium vulgo vocant, audire iuuat. Hic vero priora verba ita παραδοξέα: ראוי היית להיות יתר על אחיך בכהונה: *Debebas quidem praeſtantior eſſe fratribus tuis ſacerdotio.* Cetera autem conceptis verbis de regno exponit, additisque diuinarum litterarum oraculis hanc ſententiam firmat. (a)

§. IV. Functi igitur ſunt primogeniti ſacerdotum munere, ante legem a Moſe latam. Hoc vero illud eſt, quod itidem Ebraeorum magiſtri tradunt: (b) עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות ועבודה בבכורות; *Antequam tabernaculum conſtructum*

(a) *in comment. ad h. l. add. R. Salomoh ben Melech in Michlat Iophi ad h. l.* (b) *in Miſchnaioth tract. Sebachim c. XIV.*

ctum eſt, excelſorum vſus licitus fuit, atque ſacro ad ea fungebantur munere primogeniti. Quae totidem fere verbis repetuntur in Breſchith Rabbah. (c) Nec aliis quibus hoc euincant, deſtituuntur argumentis. Maximum vero robur hanc ſententiam ex *Exod. XXIV.* 5. capere autumant. Namque iuuenes, quos Moſes, vir diuinus, ad victimas offerendas miſiſſe dicitur, non alios, quam filios principum Iſraeliticorum maximos natu fuiſſe, contendunt. Certe quidem Chaldaeus iuuenes iſtos בוכרי *primogenitos* citra ambages vocat. Suffragatur illi R. Saadias in verſione arabica: ſuffragantur & chriſtianorum doctores celeberrimi. (d)

§. V. Non tamen perpetua quadam lege, quam migrare nefas eſſet, hoc ita ſancitum erat, atque conſtitutum. Namque ipſum Moſen, vtut natu minorem, ſacerdotis tamen prius functum eſſe munere, quam ſolenni ritu frater eius Aaron initiaretur, itidem ebraeae gentis doctoribus eſt obſervatum. Quin ſi Philoni credimus, non tantum ſacerdos, ſed & ſummus ſacerdos fuit. Non ſemel enim, in libris de vita Moſis, illi Ἀρχιερεὺς vocatur: idemque in Sche-

(c) *fol. 71.* (d) *vid. Iacobus Bonfrerius, ad Exod. XXIV. 5. Hieronymus Quaeſt. Ebr. in Geneſ. cap. XXVII. Caietanus ad Exod. XIX. Ribera in epiſt. ad Ebraeos cap. XII. Pererius & Cornelius a Lapide in Gen. XLIX.*

Schemoth Rabbah luculenter admodum traditur: רבנין אמרו כל שנה שהיו ישראל במדבר שמש משה בכהונה גדולה: *Tradunt Rabbini, per cunctos annos, quos in deserto transegere Israelitae, Mosen summi sacerdotis munus tenuisse.* (e)

§. VI. Sed & quoties minores natu a familia discedebant, familiamque peculiarem constituebant, illis, ceu capitibus familiarum, vtique fas erat, operari sacris, & sacerdotum obire munia. Secus enim si res se habuisset, nec ex Iapheti, nec Chami posteris, cuiquam licuisset, sacerdotis in se suscipere partes, cum ad Semi, quem pro natu maximo plerique habent, (f) progeniem, velut lege quadam, haec dignitas pertinuisset. Nec Abrahamus rite obtulisset Numini victimas, quandoquidem illum natu maximum fuisse, illustrium familiarum sacrae tabulae, neutiquam nos doceant.

§. VII. De duplici autem portione primogeniti in hereditate adeunda, quo minus dubitare nobis liceat, luculentissimum Mosis oraculum *Deut. XXI, 17.* prohibet. Sancitur autem ibi a Numine, ne quis novercalibus delinimentis corruptus, minori natu partem virilem tribuat, sed vt maiori

(e) *Par. XXXVII.* (f) *vid. Henricus Haruillaeus in Isag. chron. lib. I. §. 35.*

ri filio pater det *portionem duplicem, de universis rebus, quae apud illum reperiuntur.* Nimirum portio illa duplex ita aestimanda erat, vt diuiso patrimonio in tot partes aequales, quot filiorum numerum vnitate superarent, binae cederent primogenito. Id vero Rabbi Salomoh innuit, dum verba כנגד שני אחים פי שנים explicat per *quantum ad duos fratres spectat:* & Aben Esra: אם היו שלשה שיחשבו שהם ארבעה ויקח שני חלקים ואם שנים בנים יחשבו שלשה: *Si tres fuerint fratres, putentur vt quatuor, & capiet ille duas partes, Si fratres sint bini, vti tres putentur.* (g)

§. VIII. Ceterum fuerintne ante legem hancce a Mose latam maiores natu ceteris praelati, id quidem est, de quo viri eruditi inter se contendunt. Putant nonnulli, exemplo Abrahami hoc patere quam luculentissime, quippe qui, ceteris filiis data pecunia, Isaacum ex asse heredem fecit. Magis tamen ex affectu, quo Isaacum prosequebatur, quam ex more recepto, multo minus lege quadam id contigisse, ipsimet Ebraei innuunt in Breschith Rabbah. (h) Memoratur ibi Ismaelitarum cum Israelitis, de terra Canaan, coram Alexandro rege, contentio, & Ismaelitis quidem ad ius primogenitorae prouocantibus, Gibeah ben Ko-

(g) *in comment. ad h. l. add. Maimonides in Hal. Nechaloth. c. XI.* (h) *fol. 6.*

Koſam Ebraeorum cauſam agens, regerebat: אדוני המלך אין אדם עושה מה שהוא רוצה לבניו: *Domine mi Rex, nonne fas eſt cuique, pro lubitu ſuo cum filiis ſuis agere?* Quod vero Eſauus Iacobo vendidit ius primogeniturae, id ſaltem ad ſacerdotalem, pertinuiſſe dignitatem, iidem contendunt. Quae cum ita ſint, vix certi quid hac de re definire licebit, niſi forte ex iis, quae de Iacobo, ſuis ex Ioſepho nepotibus in filios adoptatis, duas partes viriles tribuente, eo quod primogeniturae ius in illos transtulerat, dicuntur, certius firmiusque argumentum, depromatur.

§. IX. Quaenam autem bona primogenitis ceſſerint? itemque, cum primogenitorum varia ſint genera, fuerintne omnes hocce iure gauiſi? & quae eiusmodi alia ſunt, diſcutere, aut accurate de illis exponere, noſtrum non eſt. Sed vero & iam pridem haec executus eſt Ioannes Seldenus, in libro *de ſucceſſione in bona defunctorum.*(*) Ex ebraeis autem doctoribus Rabbi Salomo, auctor libri *Siphri*, & alii Seldeno laudati, legi merentur. (i)

§. X.

(*) *cap. VI.* i) *add. Talm. Tract. Bechoroth. c. VIII. & Baua Bathra fol. 26. itemque Iacobus Bonfrerius in comment. ad Exod. XIII. 1. vt & Samuel Reyherus in diſſert. de iure primogenitorum cap. II.*

§. X. Id potius noſtra maximopere refert, vt disquiramus, nitaturne iſta primogenitorum, tum ratione priuatae hereditatis, tum ratione ſacerdotii praerogatiua, aliqua naturae lege? De regno enim deinceps praecipiemus. Sane quidem non temere hocce in gente ebraea conſtitutum fuiſſe, ſuadere videntur & aliarum gentium mores, cum Ebraeorum inſtitutis exacte conſpirantes. De ſacerdotali dignitate forte nemo dubitauerit, cum, hancce regiae iungere, olim perquam ſolenne fuerit. Aegyptios non alios ſacrorum antiſtites conſtituiſſe, docet Heliodorus. (k) Nec Graecos ab hoc more fuiſſe alienos, intelligere licet ex Valerio Maximo. (l) In hereditatibus autem cernendis potiorem ſubinde fuiſſe primogenitorum conditionem, quis neſcit? De Spartanis id teſtatur Plutarchus. (m) Apud Germanos olim, Tacito auctore, (n) familia, & penates, & iura ſucceſſionum omnia, natu maximis tradebantur, praeter equos, quos filius ferox bello, & melior, excipiebat. Quin & hodie, quam in hereditatibus primogeniti ceteris praeferantur, apud varias gentes, ſi quis ignoret, eum ex

(k) *in Aethiop. lib. VII. p. 281.* (l) *lib. II. c. I.* (m) *in Ageſilao.* (n) *de morib. German. cap. XXXII.*

ex peritorum iuris libris hoſpitem valde retuliſſe animum, neceſſe eſt. (o)

§. XI. Enim vero tantum abeſt, vt gentium quarundam aut plurium, aut cultiorum, conſentientes inter ſe mores & inſtituta, naturae lege aliquid ſancitum eſſe euincant, vt ne omnium quidem populorum in idem placitum conſpirantium conſenſus, ſi modo illos vnquam conſentire contingat, quod plane abnuo, hoc efficiat. Etenim & falli integras gentes poſſe, quae hominum eſt prauitas, & a rectae rationis tramite quandoque aberrare, qui mores omni elegantia cultos & perpolitos habent, magiſtra ſapientiae optima, experientia, didicimus. Aſt ambagibus quid opus eſt? Vt parentum defunctorum bona deferantur ad liberos, ratio iubet, ne, horum poſſeſſiones ſi incertae ſint, ſumma rerum omnium inde oriatur perturbatio. Et quoniam ardentiſſimo, patres ſuos proſequuntur liberos, amore, eos voluiſſe, vt ex ſe geniti in bonis ſuis ſuccedant, haud obſcure intelligitur. Sed vt vnus hic eſſe potior ceteris debeat, quo argumento conuinci poſſit, nondum video. Non obſtant quidem naturae leges, quo minus parentes vni magis quam ceteris

(o) *vid. Molinaeus ad Conſuet. Pariſ. tit. I. §. VIII. ſeqq. itemque Springfeldius de Apanagio cap. III. n. 89.*

fauentes, praecipuam bonorum partem illi tradere poſſint: ſed tamen nec iubent iſtud, quin & ceterorum liberorum aeque ac primogeniti rationem haberi volunt, ſaltem vt habeant, vnde honeſte vitam ducere poſſint. (p) Quin aequalitatem, ſi vnquam alias, hic maxime, ratio commendat. Quantacunque igitur primogeniti ſit dignitas, ſucceſſio eius in bona parentum neutiquam ex lege naturae, ſed arbitrio parentum, aut conſuetudine, aut lege ciuili, aut denique pactis & conuentionibus pendet. Apprime huc faciunt, quae ſubinde diſputantur a clariſſimo viro, Nicolao Betſio. (q) De ſacerdotali quoque dignitate non ſecus arbitror. Expedit, vt ſacrorum cura vni demandetur; expedit, vt penes illum ſit, qui eſt familiae caput, aut gentis princeps; quin, poſtquam ciuitates conſtitutae ſunt, ſumma circa ſacra poteſtas non immerito fuit penes imperantes: ſed inde nondum conſequitur, primogenitum, non alium, ſacerdotis poſſe fungi munere. Modo rite ex rationis vel reuelationis praeſcripto colatur Numen, hoc enim naturae leges dictitant, cetera, ex nuda ratione ſi rem metiaris, perinde

(p) *vid. Hugo Grotius lib. II. de I. B. & P. c. VII. §. IV.* (q) *in tractatu nomico-politico, de ſtatutis, pactis, & conſuetudinibus familiarum illuſtrium & nobilium.*

inde eſt, vtcumque ſe habeant, poſitaque ſunt in arbitrio mortalium.

§. XII Miſſis nunc iis, in quibus paucos refragantes nobis habemus, de ſuccedendi ratione, quoad regna & imperia, accuratius diſpiciemus. Etenim apud omnes fere totius orbis populos primogenitos & olim praelatos eſſe, & hodie praeferri, minoribus natu, neminem, niſi rerum omnium ignarum, fugit. Hinc multi in eam ingreſſi ſunt ſententiam, non temore hoc ita fieri, ſed lege quadam vniuerſali omnes gentes, ad huncce dignitatis gradum primogenitis concedendum adduci. Qualisnam iſta lex autem ſit? & quo iure primogenitorum in regnis ſucceſſio nitatur? in tanta ſcriptorum, qui hoc argumentum pertractandum ſibi ſumſerunt, copia, tam parum hactenus conſtitit, tam paucis innotuit, vt nihil fere obſcurius in vllo doctrinae genere, nihil intricatius reperiatur.

§. XIII. Et initio quidem falli eos, & in errore verſari, qui ad ius gentium prouocant, nullus dubito. Si mores, ſi conſuetudines gentium, intelligant, me plane habebunt ſibi ſuffragantem Nec aliter capio, quod Iuſtinus (r) refert, Ptolemaeum M. Aegypti regem, *minimo natu ex filiis contra ius gentium regnum* tradidiſſe, id quod

(r) *lib. XII, cap. II.*

apud eundem repetit Demetrius, (s) & apud Liuium Perseus: *Frater*, inquit, *non commessantium inuicem iam diu viuimus inter nos: regnare vis. Huic spei tuae obstat aetas mea, obstat gentium ius &c.* (t) Sin legem, a naturae & ciuili lege distinctam, hac voce designent, vt designare vtique videntur, (u) tum quidem tale ius gentium aut fuisse vmquam, aut esse posse, plane abnuo. Gentes enim sibi ipsis non potuerunt ferre leges, cum omnes inter se sint aequales. Legem vero, quae non lata sit a superiori, prorsus mente complecti nequeo. Sed iam pridem fictum illud ius gentium explosum est a Pufendorffio, (x) Ioanne Iacobo a Ryssel, (y) aliisque.

§. XIV. Nec rectius sibi consulunt, qui ius diuinum, positiuum videlicet, in subsidium vocant. vt Oldradus. (z) Hactenus enim sanctionem illam sacram, quae omnibus primogenitis regnum deferat, proferre nemo potuit. Quod si quis exemplis pugnare velit, eum quidem nihil ad rei proficere summam, fidenter assero. Exempla enim

(s) *lib. XXIV. c. III.* (t) *lib. XL. c. IX.* (u) *vid. Martinus Garratus, Laudensis in Tract. de Primog. qui extat in tract. Tractatuum Vol. XII. p. 105.* (x) *lib. II. de I. N. & G. c. III. §. XXIII.* (y) *de I. N. & G. c. XXVII. §. IV.* (z) *conf. CCXXIV. n. 35. add. Ludouicus Molina, lib. I. de Hispan. primog. c. II. n. 3.*

enim non ſtatim legis inſtar ſunt, ad quam omnes homines ſuas componere actiones debeant. Quod ſi vlla vi gaudeant, Ebraeis potius, quam aliis gentibus, ſunt imitanda. Praeterea nunquam tot exempla, quibus euinci poſſit, primogenitorum potiorem iure eſſe in ſucceſſionibus conditionem, diuinae ſuppeditabunt litterae, vt non plura ſubminiſtrent, quibus probari queat, minores natu illis eſſe praeferendos. Vnico faſce ea complectitur Hieronymus, ipſi quoque Andreae Tiraquello (a) laudatus, ſed ita, vt regerere quaedam audeat, quae tamen accurate diluit Io. Frider. Hornius, (b) itemque Melchior Pelaez a Meres. (c)

§. XV. Plerique ex naturae lege, primogenitorum in ſucceſſionibus praerogativam, deducere annituntur. Sed cum demonſtrandum eſt, quo pacto ius naturae illis praeſidio ſit, in diuerſas iterum abeunt ſententias, quandoque & ſatis ſibi non conſtant. Nonnulli indiſſolubilem regnorum vrgent compagem. Conſeruari, inquiunt, quam facillime, & augeri imperia, ſi non ſcindantur in partes: diuiſa ab in-

 teritu

(a) *in praefat.* (b) *lib. II. Polit. cap. IX. §. 12. add. Michael ab Aguirre, in Apolog. pro Philippo II. Hiſp. Rege, part. III. n. 109.* (c) *de Maioratibus, & Meliorationibus Hiſpaniae, praefat. part. I. n. 12.*

teritu proxime abeſſe, vtpote infirma, & potentiorum praedae expoſita; diſſidia vt plurimum diuiſis intercedere, hinc bella, hinc vltima malorum cohors, & ipſa denique imperiorum ruina. Non placet haec ratio Hornio, (d) quin omni eam deſtitui robore contendit. Ego vero ita arbitror non prorſus contemnendam eam eſſe, modo non limites eius vltra, quam par eſt, extendantur. Interim profecto Hornii rationes plane non efficiunt, vt omnem vim amittat. Quod enim aſſerit, ſaltem maiora regna diuidi poſſe, id eiusmodi eſt, vt omnes illud fateantur: ſed quo iure diuidantur, & an hoc expediat, id vero eſt, de quo ambigitur. Illud ipſum vero exemplum, quo ſuam tuetur ſententiam Hornius, parum abeſt, quin eandem euertat. Ludouicum enim Pium Imperatorem, Imperium Romanum in tres partes ſibi ſufficientes diuiſiſſe, aſſerit. Diuiſit vtique: nemo hoc abnuet. Sed prudentioribus hanc diuiſionem diſplicuiſſe, deinceps palam fiet. Et nonne odia inexpiabilia, in quae fratres exarſerunt, & hinc ſecuta funeſtiſſima bella, ſatis ſuperque teſtantur, hocce Ludouici conſilium non eſſe probandum? Quod vero porro contendit, etiamſi concedatur, eſſe iure primogeniti potiorem conditionem, quam cetero-

rum,

(d) *l. c.*

rum, nondum tamen certum esse, qualenam illud ius sit, quod maximis natu successionem deferat, cum ius naturae successiones non curet, id maximam partem falsum esse, itidem luculenter demonstrabitur.

§. XVI. Sunt vero alii, qui, successionem primogenitorum iure hereditatis niti, arbitrantur. Iacobus a Saa, Eques Lusitanus (e) ita statuit, *primogenitum possidere regnum iure hereditatis.* Quod quidem cautiores vix admittent. Cum enim hereditatis voce proprietas quaedam, abalienandi facultatem innuens, denotetur, de regnis, quae in patrimonio sunt, non inepte fane dixeris, ea hereditario iure ad filios transmitti, de ceteris non item rite hoc asseretur. Non me fugit, esse clarissimos viros, qui, etiam regna non patrimonialia partem hereditatis vocare, non dubitant; (f) sed tum quidem ampliores vocis huius limites constitui necesse est. Quin si vel maxime concedamus, regna quaecunque vt hereditates priuatorum transmitti, quod tamen concedi nequit, hinc tamen primogeniti non firmabitur successio, cum in priuatis hereditatibus aequalitas fere sit sectanda, aut, si vnus plus ceteris accipit,

(e) *in Tract. de Primogenit. n. 37.* (f) *vid. Hugo Grotius lib. II. de I. B. & P. c. VII. §. 19. & Boeclerus ad h. l.*

id ex libero potius parentum arbitrio, quam naturae quadam lege fieri, iam eſt euictum. Hornio itaque ſuffragari nequeo, hanc ſententiam ideo impugnanti, quod maieſtas numquam hereditate acquiratur, cum ſupra hominum commercia poſita ſit. Etenim ius illud, tum in perſonas, tum in res, quod maieſtas denotat, hereditate ad alios quin transmitti poſſit, non video, quid obſtet. Sed quicquid auctor doctiſſimus hic diſſerit, id omne praua iſta, qua imbutus eſt, nititur opinione, maieſtatem immediate principibus a Deo conferri, & iis defunctis ad Deum redire, quem tamen errorem accurate & exquiſitis argumentis confecit Pufendorffius. (g)

§. XVII. Quae de iure ſanguinis dicuntur, praeterquam quod obſcuriora ſint, & multis difficultatibus praepedita, non firmiora, certioraque eſſe arbitror. Etenim conſanguinitatis & affinitatis vinculum ſi denotetur, (quid vero aliud denotari poſſit, non video.) tum certe omnibus filiis idem ad ſuccedendum ius erit, cum minores natu aeque ac maiores a patre ſint geniti, ſanguinisque adeo vnius participes facti.

§. XVIII. Nonnulli denique, vt iura primogenitorum tueantur, in omni ſucceſſione latere quandam electionem, ſiue tacitam

(g) *lib. VII. de I. N. & G. cap. III. §. 3.*

citam, ſiue expreſſam, contendunt. Dum ergo imperium familiae cuidam a populo fuit collatum, hunc aut ſemel primogenitum deſignaſſe, qui ſemper mortui parentis ſuppleat locum, aut patri permiſiſſe ſucceſſoris conſtitutionem. Si prius ſit, ſuccedere primogenitum propter electionem; ſin poſterius, penes patrem ſtabit, quemnam ex filiis ſuis ſibi ſuccedere velit. Ita Ioannes Fridericus Hornius (h) ſentit, cui & alii viri eruditione clari adſtipulantur. A me autem, vt illi ſententiae ſubſcribam, impetrare nequeo. Namque in regnis, quae in patrimonio ſunt, talis electio locum non habet. Cum enim bellica vi, aut deditione acquirantur, non ſane populi eſt, de ſucceſſione aliquid decernere, aut primogeniros eligere. Quod vero ad regna non patrimonialia attinet, in illis, quando familiae regnanti ſumma rerum a populo defertur, electio aut diſertis verbis fit, aut ſecus. Si prius, ſuccedent quidem primogeniti, ob electionem; ſed eiusmodi electionis aut pauca, aut nulla proferri poſſe exempla exiſtimo. Sin poſterius contingat, non ex electione, ſed ex praeſumta populi voluntate, regnum defertur. (i) Vt vero intelligatur, quare populus voluerit, vt primogenitus ceteris praefera-

 tur,

(h) *l. c. §. 11.* (i) *vid. Hugo Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. VII. §. 14. ſeqq.*

tur, aliis profecto rursus causis & rationibus, quae hoc doceant, euincantque, opus est. Quae cum ita sint, in fumum abeunt, quae tanto apparatu Hornius congessit.

§. XIX. Iam quid nobis videatur, paucis edisserere iuuat. Et in eo quidem facile omnes consentire arbitror, absoluta quadam naturae lege primogenitorum successionem neutiquam sancitam esse atque praeceptam. Etenim ita si res se haberet, nec fas esset, eligere reges, & omnes istae gentes, quae aliam succedendi rationem introduxere, naturae sanctissimas leges numquam non inexpiabili crimine violarent.

§. XX. Nec tamen cum naturae legibus pugnat, vt nonnulli perperam sibi persuadent, quorum duriora de iure primogenitorum effata refert Andreas Tiraquellus. (k) Etenim vtut ratio aequalitatem quam maxime obseruare iubeat, superbiaeque & iniustitiae, aliorumque grauissimorum criminum rei fiant, hanc qui migrare audent; nihilosecius si grauiores obstent causae, quo minus aequalitati locus esse possit, tantum abest, vt inaequalitas cum naturae lege semper pugnet, vt potius ab ea praesidium & robur inconcussum accipiat. Sane,

(k) *quaest. IV. n. 11. 12. add. Arnisaeus lib. I. de Republ. c. IX. p. 217. it. Aguirre, part. I. Apolog. n. 106. 114. 115.*

ne, si nulla vnquam inaequalitas esset admittenda, societates omnes, praesertim civiles, sine quibus tamen homines neutiquam salui & incolumes esse queunt, tollendae essent, atque euertendae. Non ergo est, vt natu minores se neglectos aut iniuria affectos conquerantur, si illis natu maior praeferatur, cum totius ciuitatis, vt hoc fiat, intersit. Accedit, quod nullo argumento euincere possint, sibi deberi regnum. Etenim si filius ex paternis bonis tantum accipiat, quantum, vt honeste vitam transigere possit, necesse est, illum quidem neutiquam plus exigere posse, eruditissimis viris iam dudum est euictum. Quod si plura accipiat, tum quidem aut liberalitatem parentum, aut fortunae benignitatem merito praedicabit: iure quidem haec sibi obuenisse, si existimauerit, oppido falletur. Conticescant igitur illepidae quorundam voces, minores natu aeque filios esse ac maiores. Sunt vtique. Sed ergone inde maior natu illis non potest praeferri, si ciuitatis hoc requirat salus? ergo regnare quoque debent? Hoc quo pacto inde sequatur, non video. Nimirum non statim esuriendum est, vt Thessalus ille putauit, aut fame pereundum, si quis non imperitet. Sufficit si habeant, vnde honeste viuere possint. Hinc & apud plerasque gentes, saltem cultiores, minoribus

natu

natu dari ſolet, quod ad vitam ex generis dignitate atque ſplendore degendam, requiritur, id quod barbara voce *apanagium* vocant. Sed quicquid hac de re dici poterat, id omne erudite edifferuit Georgius Henricus Springfeldius.(l)

§. XXI. Et ita quoque diſcordiae fratrum, quam nonnulli ex primogenitorum ſucceſſione numquam ferre non oriri contendunt, afferri medela poteſt. Abſit enim, vt eorum conſilia ſequamur, qui qualia ſunt apud Geometras, quae illi ſibi concedi iure poſcunt, & poſtulata appellant, tale poſtulatum commune regibus eſſe aiunt, & quaſi conceſſum, vt fratres necare ſecuritatis cauſa ipſis liceat. (m) Quibus quidem moribus, barbararum gentium propriis, Turcarum Imperatores viuunt, ſaltem olim vixerunt, dum imperium non aliter, quam fratrum caede, ſe firmare poſſe, crediderunt. (n)

§. XXII. Quae cum ita ſe habeant, id, quod probandum ſuſcepi, ita porro euinco.

Licet

(l) *in tract. iuridico-politico, de apanagio eiusdemque iure.* (m *vid. Plutarchus in Demet.* (n) *vid. Busbequius Epiſt. I. leg. Turc. p. 38. Io. Andreas Boſius in diſc. acad. de Imp. Turc. §. XII. Traianus Boccalini, in Relat. ex Parnaſſo cent. II. n. 33. Hermannus Conringius in diſſert. de regno & tyrannide theſ. LXXXI.*

Licet ius naturae non praeſcribat, definiatque, ſintne eligendi potius reges, an ſuccedere ſibi inuicem debeant; licet nec modum ſucceſſionis deſignet, ſed gentium arbitrio haec omnia permittat; interim tamen ſi ciuitati magis expediat, vt ſuccedant ſibi inuicem reges, quam vt eligantur; praeterea ſi hic ſuccedendi modus magis ad ciuitatis conſeruationem faciat, quam alius, tum vtique ratio poſtulat, vt illud ſequamur, quod e re ciuitatis eſt, aut quod ad eius conſeruationem requiritur. Quin enim ciuium hae ſint partes, ex rationis praeſcripto, & pacti quoque, cui ciuitas innititur, lege, vt faciant decernantque, quae ad ciuitatis ſalutem pertinent, dubitari nequit. Iam ergo ſi euictum fuerit & comprobatum, inter omnes ſuccedendi modos, hunc, quo primogenitus ceteris praefertur, ad ciuitatem conſeruandam maxime eſſe accommodatum, eundem etiam quandoque a ratione praecipi, inde palam fiet. Et iſtud quidem eſt, quod a nonnullis dici ſolet, primogenitorum ſucceſſionem eſſe lege naturae praeceptam, *mediate & hypothetice.*

§. XXIII. Vt ergo euincam, primogenitorum ſucceſſionem ad rempublicam conſeruandam apprime facere, initio quidem aſſero, neutiquam expedire ciuitati, vt dividatur in partes. Enimuero dum ita diſcer-

apud eundem repetit Demetrius, (s) & apud Liuium Perseus: *Frater*, inquit, *non commessantium inuicem iam diu viuimus inter nos: regnare vis. Huic spei tuae obstat aetas mea, obstat gentium ius &c.* (t) Sin legem, a naturae & ciuili lege distinctam, hac voce designent, vt designare vtique videntur, (u) tum quidem tale ius gentium aut fuisse vnquam, aut esse posse, plane abnuo. Gentes enim sibi ipsis non potuerunt ferre leges, cum omnes inter se sint aequales. Legem vero, quae non lata sit a superiori, prorsus mente complecti nequeo. Sed iam pridem fictum illud ius gentium explosum est a Pufendorffio, (x) Ioanne Iacobo a Ryssel, (y) aliisque.

§. XIV. Nec rectius sibi consulunt, qui ius diuinum, positiuum videlicet, in subsidium vocant. vt Oldradus. (z) Hactenus enim sanctionem illam sacram, quae omnibus primogenitis regnum deferat, proferre nemo potuit. Quod si quis exemplis pugnare velit, eum quidem nihil ad rei proficere summam, fidenter asserо. Exempla enim

(s) *lib. XXIV. c. III.* (t) *lib. XL. c. IX.* (u) *vid. Martinus Garratus, Laudensis in Tract. de Primog. qui extat in tract. Tractatuum Vol. XII. p. 105.* (x) *lib. II. de I. N. & G. c. III. §. XXIII.* (y) *de I. N. & G. c. XXVII. §. IV.* (z) *conf. CCXXIV. n. 35. add. Ludouicus Molina, lib. I. de Hispan. primog. c. II. n. 3.*

enim non ſtatim legis inſtar ſunt, ad quam omnes homines ſuas componere actiones debeant. Quod ſi vlla vi gaudeant, Ebraeis potius, quam aliis gentibus, ſunt imitanda. Praeterea nunquam tot exempla, quibus euinci poſſit, primogenitorum potiorem iure eſſe in ſucceſſionibus conditionem, diuinae ſuppeditabunt litterae, vt non plura ſubminiſtrent, quibus probari queat, minores natu illis eſſe praeferendos. Vnico faſce ea complectitur Hieronymus, ipſi quoque Andreae Tiraquello (a) laudatus, ſed ita, vt regerere quaedam audeat, quae tamen accurate diluit Io. Frider. Hornius, (b) itemque Melchior Pelaez a Meres. (c)

§. XV. Plerique ex naturae lege, primogenitorum in ſucceſſionibus praerogativam, deducere annituntur. Sed cum demonſtrandum eſt, quo pacto ius naturae illis praeſidio ſit, in diuerſas iterum abeunt ſententias, quandoque & ſatis ſibi non conſtant. Nonnulli indiſſolubilem regnorum vrgent compagem. Conſeruari, inquiunt, quam facillime, & augeri imperia, ſi non ſcindantur in partes: diuiſa ab in-

 teritu

(a) *in praefat.* (b) *lib. II. Polit. cap. IX. §. 12. add. Michael ab Aguirre, in Apolog. pro Philippo II. Hiſp. Rege, part. III. n. 109.* (c) *de Maioratibus, & Meliorationibus Hiſpaniae, praefat. part. I. n. 12.*

teritu proxime abeſſe, vtpote infirma, & potentiorum praedae expoſita; diſſidia vt plurimum diuiſis intercedere, hinc bella, hinc vltima malorum cohors, & ipſa denique imperiorum ruina. Non placet haec ratio Hornio, (d) quin omni eam deſtitui robore contendit. Ego vero ita arbitror non prorſus contemnendam eam eſſe, modo non limites eius vltra, quam par eſt, extendantur. Interim profecto Hornii rationes plane non efficiunt, vt omnem vim amittat. Quod enim aſſerit, ſaltem maiora regna diuidi poſſe, id eiusmodi eſt, vt omnes illud fateantur: ſed quo iure diuidantur, & an hoc expediat, id vero eſt, de quo ambigitur. Illud ipſum vero exemplum, quo ſuam tuetur ſententiam Hornius, parum abeſt, quin eandem euertat. Ludouicum enim Pium Imperatorem, Imperium Romanum in tres partes ſibi ſufficientes diuiſiſſe, aſſerit. Diuiſit vtique: nemo hoc abnuet. Sed prudentioribus hanc diuiſionem diſplicuiſſe, deinceps palam fiet. Et nonne odia inexpiabilia, in quae fratres exarſerunt, & hinc ſecuta funeſtiſſima bella, ſatis ſuperque teſtantur, hocce Ludouici conſilium non eſſe probandum? Quod vero porro contendit, etiamſi concedatur, eſſe iure primogeniti potiorem conditionem, quam ceterorum,

(d) *l. c.*

rum, nondum tamen certum esse, qualenam illud ius sit, quod maximis natu successionem deferat, cum ius naturae successiones non curet, id maximam partem falsum esse, itidem luculenter demonstrabitur.

§. XVI. Sunt vero alii, qui, successionem primogenitorum iure hereditatis niti, arbitrantur. Iacobus a Saa, Eques Lusitanus (e) ita statuit, *primogenitum possidere regnum iure hereditatis.* Quod quidem cautiores vix admittent. Cum enim hereditatis voce proprietas quaedam, abalienandi facultatem innuens, denotetur, de regnis, quae in patrimonio sunt, non inepte sane dixeris, ea hereditario iure ad filios transmitti, de ceteris non item rite hoc asseretur. Non me fugit, esse clarissimos viros, qui, etiam regna non patrimonialia partem hereditatis vocare, non dubitant; (f) sed tum quidem ampliores vocis huius limites constitui necesse est. Quin si vel maxime concedamus, regna quaecunque vt hereditates priuatorum transmitti, quod tamen concedi nequit, hinc tamen primogeniti non firmabitur successio, cum in priuatis hereditatibus aequalitas fere sit sectanda, aut, si vnus plus ceteris accipit,

(e) *in Tract. de Primogenit. n. 37.* (f) *vid. Hugo Grotius lib. II. de I. B. & P. c. VII. §. 19. & Boeclerus ad h. l.*

id ex libero potius parentum arbitrio, quam naturae quadam lege fieri, iam eſt euictum. Hornio itaque ſuffragari nequeo, hanc ſententiam ideo impugnanti, quod maieſtas numquam hereditate acquiratur, cum ſupra hominum commercia poſita ſit. Etenim ius illud, tum in perſonas, tum in res, quod maieſtas denotat, hereditate ad alios quin transmitti poſſit, non video, quid obſtet. Sed quicquid auctor doctiſſimus hic diſſerit, id omne praua iſta, qua imbutus eſt, nititur opinione, maieſtatem immediate principibus a Deo conferri, & iis defunctis ad Deum redire, quem tamen errorem accurate & exquiſitis argumentis confecit Pufendorffius. (g)

§. XVII. Quae de iure ſanguinis dicuntur, praeterquam quod obſcuriora ſint, & multis difficultatibus praepedita, non firmiora, certioraque eſſe arbitror. Etenim conſanguinitatis & affinitatis vinculum ſi denotetur, (quid vero aliud denotari poſſit, non video.) tum certe omnibus filiis idem ad ſuccedendum ius erit, cum minores natu aeque ac maiores a patre ſint geniti, ſanguinisque adeo vnius participes facti.

§. XVIII. Nonnulli denique, vt iura primogenitorum tueantur, in omni ſucceſſione latere quandam electionem, ſiue tacitam

(g) *lib. VII. de I. N. & G. cap. III. §. 3.*

citam, siue expressam, contendunt. Dum ergo imperium familiae cuidam a populo fuit collatum, hunc aut semel primogenitum designasse, qui semper mortui parentis suppleat locum, aut patri permisisse successoris constitutionem. Si prius sit, succedere primogenitum propter electionem; sin posterius, penes patrem stabit, quemnam ex filiis suis sibi succedere velit. Ita Ioannes Fridericus Hornius (h) sentit, cui & alii viri eruditione clari adstipulantur. A me autem, vt illi sententiae subscribam, impetrare nequeo. Namque in regnis, quae in patrimonio sunt, talis electio locum non habet. Cum enim bellica vi, aut deditione acquirantur, non sane populi est, de successione aliquid decernere, aut primogeniros eligere. Quod vero ad regna non patrimonialia attinet, in illis, quando familiae regnanti summa rerum a populo defertur, electio aut disertis verbis fit, aut secus. Si prius, succedent quidem primogeniti, ob electionem; sed eiusmodi electionis aut pauca, aut nulla proferri posse exempla existimo. Sin posterius contingat, non ex electione, sed ex praesumta populi voluntate, regnum defertur. (i) Vt vero intelligatur, quare populus voluerit, vt primogenitus ceteris praeferatur,

(h) *l. c. §. 11.* (i) *vid. Hugo Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. VII. §. 14. seqq.*

tur, aliis profecto rursus causis & rationibus, quae hoc doceant, euincantque, opus est. Quae cum ita sint, in fumum abeunt, quae tanto apparatu Hornius congessit.

§. XIX. Iam quid nobis videatur, paucis edisserere iuuat. Et in eo quidem facile omnes consentire arbitror, absoluta quadam naturae lege primogenitorum succession nem neutiquam sancitam esse atque praeceptam. Etenim ita si res se haberet, nec fas esset, eligere reges, & omnes istae gentes, quae aliam succedendi rationem introduxere, naturae sanctissimas leges numquam non inexpiabili crimine violarent.

§. XX. Nec tamen cum naturae legibus pugnat, vt nonnulli perperam sibi persuadent, quorum duriora de iure primogenitorum effata refert Andreas Tiraquellus. (k) Etenim vtut ratio aequalitatem quam maxime obseruare iubeat, superbiaeque & iniustitiae, aliorumque grauissimorum criminum rei fiant, hanc qui migrare audent; nihilosecius si grauiores obstent causae, quo minus aequalitati locus esse possit, tantum abest, vt inaequalitas cum naturae lege semper pugnet, vt potius ab ea praesidium & robur inconcussum accipiat. Sane,

(k) *quaest. IV. n. 11. 12. add. Arnisaeus lib. I. de Republ. c. IX. p. 217. it. Aguirre, part. I. Apolog. n. 106. 114. 115.*

ne, ſi nulla vnquam inaequalitas eſſet admittenda, ſocietates omnes, praeſertim ciuiles, ſine quibus tamen homines neutiquam ſalui & incolumes eſſe queunt, tollendae eſſent, atque euertendae. Non ergo eſt, vt natu minores ſe neglectos aut iniuria affectos conquerantur, ſi illis natu maior praeferatur, cum totius ciuitatis, vt hoc fiat, interſit. Accedit, quod nullo argumento euincere poſſint, ſibi deberi regnum. Etenim ſi filius ex paternis bonis tantum accipiat, quantum, vt honeſte vitam tranſigere poſſit, neceſſe eſt, illum quidem neutiquam plus exigere poſſe, eruditiſſimis viris iam dudum eſt euictum. Quod ſi plura accipiat, tum quidem aut liberalitatem parentum, aut fortunae benignitatem merito praedicabit: iure quidem haec ſibi obueniſſe, ſi exiſtimauerit, oppido falletur. Conticeſcant igitur illepidae quorundam voces, minores natu aeque filios eſſe ac maiores. Sunt vtique. Sed ergone inde maior natu illis non poteſt praeferri, ſi ciuitatis hoc requirat ſalus? ergo regnare quoque debent? Hoc quo pacto inde ſequatur, non video. Nimirum non ſtatim eſuriendum eſt, vt Theſſalus ille putauit, aut fame pereundum, ſi quis non imperitet. Sufficit ſi habeant, vnde honeſte viuere poſſint. Hinc & apud plerasque gentes, ſaltem cultiores, minoribus

natu

natu dari ſolet, quod ad vitam ex generis dignitate atque ſplendore degendam, requiritur, id quod barbara voce *apanagium* vocant. Sed quicquid hac de re dici poterat, id omne erudite ediſſeruit Georgius Henricus Springfeldius.(l)

§. XXI. Et ita quoque diſcordiae fratrum, quam nonnulli ex primogenitorum ſucceſſione numquam ferre non oriri contendunt, afferri medela poteſt. Abſit enim, vt eorum conſilia ſequamur, qui qualia ſunt apud Geometras, quae illi ſibi concedi iure poſcunt, & poſtulata appellant, tale poſtulatum commune regibus eſſe aiunt, & quaſi conceſſum, vt fratres necare ſecuritatis cauſa ipſis liceat. (m) Quibus quidem moribus, barbararum gentium propriis, Turcarum Imperatores viuunt, ſaltem olim vixerunt, dum imperium non aliter, quam fratrum caede, ſe firmare poſſe, crediderunt. (n)

§. XXII. Quae cum ita ſe habeant, id, quod probandum ſuſcepi, ita porro euinco.

Licet

(l) *in tract. iuridico-politico, de apanagio eiusdemque iure.* (m *vid. Plutarchus in Demet.* (n) *vid. Busbequius Epiſt. I. leg. Turc. p. 38. Io. Andreas Boſius in diſc. acad. de Imp. Turc. §. XII. Traianus Boccalini, in Relat. ex Parnaſſo cent. II. n. 33. Hermannus Conringius in diſſert. de regno & tyrannide theſ. LXXXI.*

Licet ius naturae non praeſcribat, definiatque, ſintne eligendi potius reges, an ſuccedere ſibi inuicem debeant; licet nec modum ſucceſſionis deſignet, ſed gentium arbitrio haec omnia permittat; interim tamen ſi ciuitati magis expediat, vt ſuccedant ſibi inuicem reges, quam vt eligantur; praeterea ſi hic ſuccedendi modus magis ad ciuitatis conſeruationem faciat, quam alius, tum vtique ratio poſtulat, vt illud ſequamur, quod e re ciuitatis eſt, aut quod ad eius conſeruationem requiritur. Quin enim ciuium hae ſint partes, ex rationis praeſcripto, & pacti quoque, cui ciuitas innititur, lege, vt faciant decernantque, quae ad ciuitatis ſalutem pertinent, dubitari nequit. Iam ergo ſi euictum fuerit & comprobatum, inter omnes ſuccedendi modos, hunc, quo primogenitus ceteris praefertur, ad ciuitatem conſeruandam maxime eſſe accommodatum, eundem etiam quandoque a ratione praecipi, inde palam fiet. Et iſtud quidem eſt, quod a nonnullis dici ſolet, primogenitorum ſucceſſionem eſſe lege naturae praeceptam, *mediate & hypothetice.*

§. XXIII. Vt ergo euincam, primogenitorum ſucceſſionem ad rempublicam conſeruandam apprime facere, initio quidem aſſero, neutiquam expedire ciuitati, vt dividatur in partes. Enimuero dum ita diſcer-

cerpuntur & diuelluntur in partes, regna minus idonea redduntur, vt potentiorum auſis obuiam ire poſſint, quin cuiuis fere in praedam exponuntur. Taceo, quod nulla contentionum & bellorum foecundiora ſint ſemina, quam diuiſiones. Debebant funeſta omnium gentium, omniumque ſeculorum exempla homines erudire, ſi ſaperent, aut aliena pericula eos cautiores reddere poſſent. Atque ne procul a rebus noſtris abeam, nonne infauſta illa Ludouici pii Imperatoris diuiſio hoc ſatis ſuperque comprobat? Nithardum adeat velim, ſi quis hac de re dubitauerit, qui de Ludouici pii filiorum diſſidio quatuor compoſuit libros, erudite & bona fide. Neque vero poſteris tantum hoc eius conſilium diſplicuit: fuerunt, ipſa Ludouici aetate, quibus iſtud minime ſe probauit. (o) Potuiſſet vtique Ludouicum, eiusque filios, rectiora docere inauſpicata Imperii Romani in occidentale & orientale diuiſio, tot malorum, quae orbi incubuere, tot motuum, tot bellorum fons & ſcaturigo. Namque praeter alios ipſum Conſtantinum, cautum ceteroquin & prudentem principem, ad huncce ſcopulum

(o) *vid. Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis & primatis Aquitaniae Epiſtola ad Ludouicum Imperatorem, quae extat in Melchioris Goldaſti Monarchia S. R. I. T. I. p. 1. ſeqq.*

lum naufragium feciſſe, Euſebius neutiquam diſſimulat. (p) Si ire per ſingulas non tam Europae, quam orbis vniuerſi partes liceret, infinitis ſententiam meam comprobare poſſem documentis, & demonſtrare, florentiſſima regna, ſimul ac diuiſa fuerunt, & in partes diuulſa, perdita quoque & in praeceps data eſſe. Hiſpaniam quantopere inconſultae & intempeſtiuae afflixerint diuiſiones, notius eſt, quam vt hic referri debeat. Poſtquam enim Sanctium maiorem haec dementia ceperat, atrociſſimis bellis nunquam defuit fomes. (q) Idem vero & Gallia grauiſſimis bellis, ex diuiſionibus ortis, nunquam fere non vexata & vulneribus ſuis ingemiſcens, comprobat atque teſtatur. Quem enim fugiunt iſtae calamitates, quibus cum regno nobiliſſimo conflictandum fuit, poſtquam Chlodouaeus, & eius filii, iterum in partes illud diſcerpſerunt & dilacerarunt? Gregorium Turonenſem, (r) & Aimoinium (s) legat, qui huius rei conuinci cupit, & noſtrae ſine mora

(p) *in vita Conſtantini M. lib. II. c. V. & lib. III. cap. XLIX. add. Theophanes ad A. C. 315.* (q) *vid Rodericus Toletanus de reb. Hiſpanor. lib. VI. c. X. Rodericus Santius Hiſt. Hiſp. p. III. c. XXVI. Franciſcus Tarapha de Reg. Hiſp. ad A. C. 1025. Mariana de rebus Hiſp. lib. IV. c. IV.* (r) *lib. III.* (s) *lib. IV.*

mora ſuffragabitur ſententiae. Sed referre pedem & cetera praeterire ſilentio, inſtituti leges iubent. (*)

§. XXIV. Non ergo expedit, vt regna diuidantur. Vnus ſuccedat, neceſſe eſt, ſi ſalua, ſi incolumis ciuitas eſſe debet. Cum enim plures ſucceſſionem ſibi vindicare poſſint, quisnam prae ceteris hoc iure gaudeat, id quidem eſt, quod tam promte diſcerni nequit. Si mores & inſtituta gentium ſpectemus, variam admodum, multiplicemque ſuccedendi ſubinde rationem deprehendimus. Sed ex ciuitatis ſalute ſuccedendi quoque modum metiri nos decet: hinc quid fas, quidue nefas ſit, facile diiudicabimus. Et initio quidem palam eſt, vt liberi excipiant parentes, naturae & rationis legibus prorſus eſſe conueniens. Non enim habent parentes, qui propiori gradu ſe attingant. Praeterea, ſi ſciant reges, alios, quam liberos, in regno ſe excepturos, nunquam tanti illis erit ſalus, incolumitasque ciuitatis, vt non pluris ſit, proſpicere liberis, hisque vt conſulant cuncta agere, vertere, diuina humanaque miſcere, non dubitabunt. In patrimonialibus itaque regnis liberi ideo ſuccedent, quia ob inſignem

(*) *Interim. vid. Meurſius in Hiſt. Dan. part. III. lib. II. p. 21. add. Förſtnerus in Tacit. Annal. lib. XX. c. II. Barclaius in icone anim. cap. V.*

gnem parentum in liberos amorem, recte colligitur, voluiſſe id patrem; in ceteris populum hoc ſemper velle, colligitur inde, quia, ſi ſecus ſucceſſio eſſet comparata, magnis periculis ciuitas exponeretur.

§. XXV. Cum vero omnes ſimul ſuccedere nequeant, vt mares praeferantur feminis, itidem ratio iubet. Ad bella enim aeque ac alias imperii partes, rite adminiſtrandas, magis ſunt idonei. Non deſunt quidem, qui feminas plane ſuccedere nolunt, indignumque eſſe putant, illis committere regna. Sed perperam, vt mea fert opinio. *Nemini enim* Seneca iudice, *praecluſa eſt virtus, ſed omnes admittit, nulla vel cenſus vel ſexus ratione habita.* (t) Britannos feminarum ductu bellare ſolitos fuiſſe, ex Tacito diſcimus. (u) Et feliciter ſaepius feminas rerum ſummae praefuiſſe, recentiora ſecula quoque nos docent. Vel vnica Eliſabetha, Angliae regina celeberrima, huic aſſerto fidem facit. (x) Non ergo eſt, quod rationis dictata ſe ſequi glorientur Galli, dum feminas nunquam rerum ſummae admoueri patiuntur. An vero in lege Salica firmius praeſidium inueniant,

(t) *de benefic. c. XVIII.* (u) *Annal. lib. XXV. c. XXXV. add. idem de Mor. Germ. c. XIII.* (x) *vid. Gregorius Leti in Hiſtoria Eliſabethae, part. I. lib. I. circa init.*

disquirere noſtrum non eſt. Clariſſimos viros hac de re dubitaſſe, neminem fugit. (y)

§. XXVI. Inter fratres igitur merito praefertur natu maior. Idque rurſus ciuitatis ſalus exigit, quippe cuius magnopere refert, contentiones atque lites, ceteroquin orituras, euitare. Nec vero vlla alia ſupereſt ratio ad pacem concordiamque ſeruandam. Omnes ſimul ſuccedere nequeunt. Ergo aut maior aut minor, imperabit. Minor praeferri maiori non cupiet, cum, ſi non potiori, ſaltem eodem iure ad regnum adſpirare maiorem, haud difficulter intelligat. Ergo, vt finiantur lites, maiorem natu ſuccedere neceſſe eſt. Accedit enim, quod hic ſemper iudicio perfectior eſſe credatur. Cyrus apud Xenophontem: (z) *τὸ προηγεῖσθαι προστάττω τῷ πρότερῳ γεννωμένῳ, καὶ πλειόνων κατὰ τὸ εἰκὸς ἐμπείρῳ. Imperium relinquo maiori natu, vt quem par eſt rerum eſſe peritiorem.* Sed & dum primo loco natus eſt, per quoddam ſortis naturalis genus videtur hanc praerogatiuam conſecutus, vt adeo non ſit, cur minores natu eum ſibi praeferri aegre ferre poſſint.

§. XXVII.

(y) *vid. Franciſcus Hottomannus de iure ſucceſſionis in regno Gallorum leg. II. & in Franco-Gallia c. X. it. Antonius Hottomannus de lege Salica. p. 224.* (z) *in Cyropaed. p. 128.*

§. XXVII. Si vero contingat, per numerosam sobolem diffundi gentem, tum quidem rursus, ad lites euitandas felicitatemque adeo ciuitatis conseruandam, faciet apprime, succedendi rationem ita esse comparatam, vt omnes, qui ab auctore stirpis regnatricis descendunt, velut lineam quandam perpendicularem constituant, quarum quaelibet regno propior sit, prout quisque in eodem gradu, sexus, deinde aetatis, praerogatiua potior est, nec prius ad aliam lineam regnum deuoluatur, quam omnes ex priore linea fuerint extincti. Etenim secus si succedendi modus se habeat, fieri aliter non potest, quam vt aliquando, qui ab auctore stirpis aeque remoti sunt, regnum sibi vindicent, vnde diffidia prouenire necesse est, eo difficilius componenda, quod eodem vterque nitatur iure. Sed vero si linealis ista successio, ita enim in scholis politicorum vocari solet, obtinuerit, nec ad repraesentationem, quae tamen ceteroquin argumentis, quibus firmari possit, non destituitur, recurrere necesse est. (a)

§. XXVIII. Facere non possum, quin quaestionem haud ignobilem, an patruus

(a) *vid. Cardinalis Tuschus pract. concluſ. LXXXVIII. Hugo Grotius lib. II. de I. B. & P. c. VII. §. 22. Pufendorfius lib. VII. de I. N. & G. c. VII. §. 13.*

praeferri nepoti debeat, si forte pater praematura morte rebus mortalium eripiatur, quae saepius disceptationibus acerrimis argumentum praebuit, paucis, vt instituti ratio fert, hic attingam. Baldus quidem, iureconsultus haud contemnendus, adeo nihil hic definiri posse existimauit, vt litem ab Apolline solo dirimendam dixerit. Interest tamen gentium omnium, vt, quid fas iusue sit, palam fiat. Neque enim apud exteros tantum populos, sed & cumprimis ab Imperii nostri principibus, non semel infensis animis, hac super re concertatum fuit. Vel sola gens Palatina illustrissimum huius contentionis exemplum praebet. Defuncto enim Rudolpho Electore, filii eius superstitis Adolphi nulla ratione habita, frater Rudolphus II. Electoratum velut iure proprio occupauit, & per triginta annos gessit, eoque defuncto, alter itidem frater Rupertus senior, non magis ratione habita Ruperti iunioris, qui filius erat Adolphi, ad dies vitae auguſtam hanc dignitatem sustinuit, reclamante licet & renitente Adolpho, eiusque filio, Ruperto iuniore. Quin ante sanctissimam legem, a Carolo IV. latam, quam auream bullam vocant, non videtur hoc adeo fuisse insolens. Saltem non satis clarum, luculentumque est, quid recepti mores probaverint.

§. XXIX.

§. XXIX. Sed vt rite in fundamenta huius negotii deducamur, illud monemus, neutiquam litem esse de nepote, cuius pater hereditatem aui, siue viuentis, siue mortui iam adiit. (b) Sed & si lege quadam ciuili aut consuetudine gentis, quid fieri debeat, sit constitutum, superuacaneum erit, hac de re disceptare. Namque & in ipso imperio nostro Carolus IV. Imperator, vt litibus eiusmodi finis imponeretur, (c) diserte sanciuit, vt nepotis potior in successione in Electoratum, quam patrui, esset conditio. Id quod sapientissime, & ita vt debet, factum esse, deinceps patebit. Mentem vero sententiamque legislatoris huius, sensumque legis, pluribus ediserunt Marquardus Freherus, (d) & Arnoldus Engelbrecht. (e) Sic & apud Scotos constitutum erat, vt patruus praeferretur nepoti, quam legem ad Kennethi II.

(b) *vid. Michael ab Aguirre p. I. Apol. pro Philippo II. Hisp. regen. 106. Corsetus de potest. & excell. Reg. qu. CXV. Martinus Laudensis de primogenit. in Tract. Tractatuum vol. XII. p. 107.* (c) *artic. VII. A. B.* (d) *in commentariolo ad cap. VII. A. B. Carolinae de successione principum in primogenitis & heredibus eorum.* (e) *in quaest. ad tit. VII. A. B. Caroli IV. de successione in Electoratum & iure primogenit. vid. quoque Gerlacus Buxtorfius ad A. B. tit. VII.*

aetatem duraſſe, teſtatur Buchananus. (f) Idemque apud Vandalos lege ſancitum fuiſſe, diſcimus ex Procopio. (g) In Hiſpania vero in locum parentis ſuccedunt nepotes, per legem Taurinam XL. (h) In Franciae regno per conſuetudinem nepotes praeferri patruis, itidem doctiſſimis viris eſt obſervatum. (i)

§. XXX. Nos, miſſis ciuilibus legibus, ceterisque ambagibus, quid rationi maxime ſit conueniens, diſpiciemus. Et nepotis quidem potiorem eſſe conditionem, iure meritoque, quam patrui, haud difficulter demonſtratur. Etenim iisdem rationibus, quibus euictum ſupra eſt, inter omnes ſucceſſionum modos linealem a ratione ipſa commendari, etiam probatur, nepotem iure praeferri patruo. Nec etiam robore ſuo deſtituuntur, quae de vicaria ſucceſſione, quam repraeſentationem dicunt, in medium afferre ſolent. Etenim hanc efficere, vt in patrimoniali regno nepotis potior ſit conditio, vel inde conſtat, quod aequitatis leges poſtulent, vt filius ea

(f) *lib. IV. Hiſt. Scot.* (g) *lib. III. de bello Vandal.* (h) *vid. Antonius Gomezius ad l. l. n. 65. & Michael ab Aguirre part. I. Apol. n. 103.* (i) *vid. Limnaeus in notitia regni Franc. lib. II. c. III. p. 334. add. Arniſaeus relect. polit. lib. II. c. II. ſect. 10. Bodinus de republ. lib. VI. c. V.*

ea, quae patri superstiti obuentura fuissent, capiat, cum mors, quam euitare nemini licet, liberis nullo modo nocere possit, aut eos iure, quo viuente patre gauisuri fuissent, priuare. Durum hoc nimis & inhumanum, ne dicam barbarum, esset. Hinc Hugo Grotius recte naturam ipsam vicariae successioni fauere asserit, (k) & Iacchiades, Ebraeorum multum doctissimus, huius iuris vt naturalis, meminit. (l) In regnis vero non patrimonialibus, siue, vt a nonnullis vocari solent, legitimis, iure proprio niti nepotes, sunt qui asserunt. Statim enim ac nati sunt primogeniti, iam ius aliquod ad succedendum habent: quin iam ipso tempore conceptionis, si alios audias, hoc ipsis acquiritur: idque licet non exerceant, nihil tamen obstat, quo minus in liberos suos istud rursus transmittere possint. Paucis: niti hic nepotes ipsa, vt loqui amant, *proximitate, non ratione proxime defuncti principis, sed ratione eius, qui ex praescripto legis vt proximus deberet succedere, si supereſſet.* (m)

(k) *lib. II. de I. B. & P. c. VII. §. 31.* (l) *in comment. ad Daniel. c. I. v. 2. add. Tiraquel. de iure primogen. qu. XLVI.* (m) *vid. Boxhornius in dissert. de succeſſ. primogen. §. XIII. add. Tiraquellus de iure primogen. qu. XV.*

§. XXXI. Multa quoque ſunt, quae pro patruo afferri in medium ſolent. Sed quod pondus aliquod momentumque trahat, vix inueneris. Plerique ad aetatis praerogatiuam, tanquam ad ſacram confugiunt ancoram. Ipſum Carolum M. inquiunt, hac ratione adductum, non Bernhardo ex Pipino nepoti, ſed filio ſecundo genito Ludouico Pio ſummam rerum detuliſſe. (n) Quo ipſo tamen, ſi recte rem aeſtimes, parum proficient. Etenim, vt taceam, contingere quandoque poſſe, vt nepos patruo, aetate pariter ac prudentia praeſtet: aetatis maioris tum demum haberi recte rationem palam eſt, ſi de iis, qui in eadem velut conſtituti ſunt linea, lis ſit. Aſt vero vt ex vna in aliam ideo tranſiliatur lineam, id quidem neutiquam conſultum eſt, cum ſaepius ita euenire poſſit, vt, qui in diverſis lineis conſtituti ſunt, & a communi ſtirpe aeque remoti, & eadem etiam aetate ſint, vnde magnis periculis ciuitatem iterum exponi neceſſe eſt. Sed rationes pro liberorum ſucceſſione §. XXIV. allatae, hic itidem militant. (o)

§. XXXII.

(n) *vid. quoque Pandulphus Collenutius Hiſtor. Neapol. c. V. it. Antonius Bonfinius de rebus Hungar. dec. II. lib. IX.* (o) *add. Michael ab Aguirre, part. II. Apolog. pro Philippo n. 286.*

§. XXXII Aſt iniquum eſt, ſi Bodinum audiamus, (p) infantem, puerum atque impuberem, nullo rerum vſu imbutum, rudem & imperitum, ad ſceptra vocari: infelicem rempublicam eſſe, cui pueri praeſunt, ipſae diuinae litterae autumant. Fateor, impetraret hoc argumentum a me quoque conſenſum, niſi huic incommodo tum alia ratione tum per tutelam, obuiam iri poſſet. Quin, regeris, ne tutelae locus ſit, maxime expedit, ſuccedere patruos. Namque nonne ad patruum tutela pertinebit? Sane ipſe Carolus IV. probe hoc intellexit, vnde & minorennium Electorum non alios tutores, quam ipſos eorum patruos, conſtituit. Sed patruos, dum tutelam nepotum gerunt, nihil aliud quam caedes & parricidia meditari, in vulgus notum eſt. Saltem regnum, aut bona nepotis, quouis modo ad ſe rapere, annitentur. Annales gentium hoc loquuntur; & ſi recentiora cupias, illuſtre exemplum dabit Antonius Maria Gratianus. (q) Mea vero opinione, praui quorundam hominum mores non ſtatim euincunt, nunquam ſecus ſe rem habere. Quin patruos nepotum res ſumma quandoque fide adminiſtraſſe, itidem hiſtoria-

 rum

(p) *lib. VI. de republ. c. V.* (q) *de caſibus viror. & feminar. illuſtr. p. 62.*

rum nos ignorare non ſinunt monumenta. Lycurgi fides, integritasque quem fugit? Fratre enim mortuo, viduam grauidam eſſe cum reſciuiſſet, licet iam ipſe regnaret, nihiloſecius *principatum fore pueri, ſi mas ederetur*, conſtituit: regnumque deinceps tutorio nomine adminiſtratum, poſtquam adoleuerat Charilaus, illi absque fraude vlla, vt debitum, reſtituit. (r) Nec recentiora ſaecula adeo ſterilia eſſe, vt non eiusmodi virtutum exempla proferat, Henrici III. Hiſpaniae regis frater, Ferdinandus comprobat, Caſtiliae regnum, vtut ſibi a proceribus oblatum, acceptare nolens, ſuoque ex fratre nepoti Ioanni II. itidem tutoris munere ſumma fide fungendo, conſeruans. (s) Accedit vero quod, ſi patruis deferatur regnum, non minora hinc incommoda fluant, quam tutelam comitari ſolent. Etenim, ſi princeps non ſit certus, filium ſibi ſucceſſurum, neglecta publicae rei cura, ſuis tantum commodis augendis & promouendis incumbet, vnde longe maiora profecto mala, quam ex tutela, in ciuitatem proficiſci neceſſe eſt. Quae cum ita ſint, mirandum non eſt, quod apud plerasque gentes nepotis ſemper potior fuerit conditio, quam

(r) *vid. Plutarchus in vita Lycurgi, & Iuſtinus lib. III. cap. II.* (s) *vid. Marineus Siculus de rebus Hiſpan. memorab. lib. XI.*

quam patrui. Diserte id asserit Molina, t) ex quo id repetit alter Molina. (u)

§. XXXIII. Hisce itaque, similibusue rationibus dum omnis maioratus nititur, sua sponte quoque eundem, vtut a multis clarissimis viris acriter defensum, corruere necesse est. Neque vero Hispanorum iure consulti tantum pro eo ceu aris & focis pugnant, sed & vir omni doctrina cultus, Melchior Goldastus, contra Engelbrechtum, Hotomannum, & alios, eundem tuetur. Maioratum vero talem intelligo, qui a primogenitura differt. Nimirum antiquis vtique primogenitus & maior dicebatur; sed & ius primogenitiurae nonnulli maioratum, item maioricatum, vocare solent. (x) Sed apud recentiores vsu inualuit, vt is demum maior dicatur, qui in tota familia, post mortem vltimi possessoris, aetate ceteris praestat. (y) Hinc & maioratus est ius, quo

(t) *de primogen. c. VI. n. II.* (u) *de Maioratibus tract. II. disput. 625. n. 4. add. Petrus Gregorius Tholosanus lib. VII. de republ. c. X. & Richardus Zouchaeus quaest. iur. inter gentes part. II. sect. III. qu. XII.* (x) *vid. Goldastus lib. II. de Maioratu c. V. Sprinpfeldius de Apanagio, c. V. n. 6. Ioannes le Cirier de primogen. lib. I. qu. 2. Ioannes Torre in tract. tripartito de Maioratibus & primogenituris Italiae in praefat.* (y) *vid. Nicolaus Betsius, de pactis famil. illustr. cap. VIII*

quo ad ſucceſſionem vocatur, qui in familia, poſt mortem ſucceſſoris, maior natu reperitur: eoque fine apud nonnullas gentes introductum eſt, ne tutelae locus ſit. Repreſentationem quoque non admittit maioratus, vel potius, vbi obtinet, non neceſſe eſt, ad repraeſentationem ſe recipere. (z)

§. XXXIV. Haud difficile quoque nunc erit, & in illa lite, an filia ex filio ſit praeferenda filio ex filia, ferre ſententiam. Enimuero cum filios recte praeferri ſororibus, ſupra comprobatum ſit, & vero ex vna linea in aliam non eſſe tranſiliendum, etiam pateat, nemo non intelligit, filiae ex filio potiorem iure meritoque eſſe conditionem. Displicuit equidem illud Philippo II. Hiſpaniae regi, ob ſucceſſionem in regnum Portugalliae, tum cum aliis, tum maxime cum Catharina Ducis Bragantini coniuge, contendenti. (a) Hinc & cum ſolo ſenioratus iure niteretur, iure-conſulti Hiſpa-

f. 461. Arnoldus Engelbrecht, in disquiſit. de Iurisdict. Imp. th. CXLI. Beſoldus lib. I. diſſert. nomicop. diſſert. IV. n. 3. (z) *vid. diſcurſus exotericus de iure repraeſentat. in primogen. &c. praemiſſus tractatibus Iacobi aSaa de Primogen. & Ludouici Molinae de maioratibus.* (a) *vid. Hieronymus Conneſtaggius de coniunctione Caſtiliae & Portugalliae, & Io. Antonius Viperanus de obtenta Portugallia a rege Philippo.*

Hiſpanici id acriter defenderunt, repraeſentationem autem, vtpote Philippo aduerſam, vt iniuſtam damnarunt, & execrati ſunt. Quin ipſam legem Taurinam quadrageſimam, huic fauentem, cum legibus diuinis & gentium moribus pugnare, aſſerere non dubitauit Ioannes Lupus, referente Menochio. (b) Perperam ſane, vt itidem ex dictis liquet.

§. XXXV. Ceterum quae hactenus in medium attuli, neutiquam ita capienda ſunt, ac ſi numquam alius, quam primogenitus, ſuccedere poſſit. Quin poſſunt & ceteri fratres quandoque praeferri primogenito, ſi euidens reipublicae hoc exigat neceſſitas. Sed & iuri ſuo renunciare poteſt primogenitus, & tum quidem, quin, cui naſcendi ordine illum exipit, rite capeſſat rerum ſummam, dubium non eſt. Neque vero hoc adeo inſolens eſt. Ipſa Germania noſtra exempla longe illuſtriſſima protulit. Ecquis enim eſt, qui Ioannem iſtum Brandenburgicum, Friderici filium ignoret, cuius modeſtiam, an Friderici fratris ſapientiam, magis mirari debeam, anceps haereo. Sed iuuat ipſius Aeneae Syluii, Cardinalis, verbis, rem referre: *In hac prouincia*, ait, de Franconia loquens, *Fridericus Marchio Brandenburgenſis potentiſſimus fuit, imperatori Sigismundo inter caros amicos habitus. Ei quatuor*

(b) *lib. III. conſil. CCL. n. II. 3.*

quatuor filii fuerunt, Ioannes, Fridericus, Albertus, & alter Fridericus. Ioanni, qui primogenitus esset, Electoratus imperii debebatur: sed iudicium patris Fridericum praetulit, qui secundo genitus erat, & aptior ad imperii munera obeunda videbatur. Prius itaque, quam moreretur, hereditatem suam inter filios diuisit, Fridericum Electorem instituit: neque male iudicauit. Nam Fridericus inter principes Germaniae sapientia clarus habitus est, cuius consilio multae saepe prouinciae pacatae sunt, &c. Hoc vero neutiquam inuito Ioanne ita constituit pater Fridericus, quin, postquam parentis sententiam percepit, haec subiecit: *existimaui, pater, ante hunc diem, chariorem tibi multo quam me Fridericum esse, cum illi saepius blandirere, neque id ferre non aegre potui: nunc sententiam muto, & te pater amo, coloque, qui mihi otium, illi negotium, suprema voluntate dimittis.* (c) Nec minus posterorum sermonibus celebratur Otto Henricus Palatinus, quem patruo Friderico sponte cessisse, vir Palatinarum rerum peritissimus, Hubertus Thomas Leodius, memoriae prodidit. (d) Taceo cetera, quae subinde sese offerunt, exempla. Et vero nihil eos, qui hanc primogenitorum praerogatiuam aliis cedunt, committere, quod nefas sit, vel ex isto prudentum doctorumue hominum celebri effato,

(c) *Europae cap. XXXI. & in paral. Alfons. lib. XI. c. XXX.* (d) *de vita & gestis Friderici II. lib. VI.*

by Google

to, quemlibet iuri suo & fauori renunciare posse, conficitur. (e)

§. XXXVI. Sed & priuari inuitus suo iure potest, si forte turpi quodam facinore illo se indignum reddidit: & in regnis quidem, quae sunt in patrimonio, ex arbitrio patris, in legitimis, ex consensu populi. Enimuero cum ratio primogenitorum successionem commendet, iubeatue ea lege, si expediat, sane quidem an e re ciuitatis sit, hunc aut alium hocce iure frui, in legitimis populus, in patrimonialibus pater diiudicabit. Qualenam autem delictum esse debeat, nunc non definio: saltem non leue illud sit, oportet, id quod omnes intelligunt. Sic Ruben, maior natu, iussu & auctoritate patris, regni iure excidit. (f) Guilielmus Conquestor non primogenitum parum sibi morigerum, sed Guilielmum Rufum, natu minorem, sibi succedere voluit. (g) Taceo cetera, quae vulgo afferri solent. Quare autem Adoniae filio natu maiori Salomonem praetulerit Dauid, cum diuinarum litterarum oracula hac de re nihil prodant, definire non licet. Saltem grauissimis eum, vt hoc faceret, adductum fuisse causis, credamus par est.

§. XXXVII. Sed vela contraho, meque in portum recipio. Immensum pelagus est, cui

(e) *vid. Petrus Gregorius Tholosanus de republ. lib. VII. cap. IX. n. 18.* (f) *Gen. XLIX.* (g) *Guilielm. Neubrigensis lib. I. cap. I. & II.*

cui me commiſi. Singulas partes quis permeabit, ſine naufragii periculo? Quis tam ampli argumenti omnes perſcrutabitur minutias? Haec vero, ſi tibi non ſufficiant, iſtos adeas, qui ante nos in eodem campo ingenii periclitati ſunt vires. Nec vero fugere quenquam poſſunt ſummi, & in omni doctrinae genere praeſtantisſimi viri, Martinus Garratus Laudenſis, Ioannes le Cirier, Andreas Tiraquellus, Melchior Goldaſtus, Samuel Reyherus, Caſpar Queſtelius, Molina vterque, Saa, Marcus Zuerius Boxhornius, Iacobus Thomaſius, aliique, qui ſuis aut commentationibus, aut academicis diſſertationibus, argumento huic nobilisſimo affundere lucem allaborarunt.

Ἐπίμετρα.

I. Apud Aſſyrios primogenitorum olim in vſu fuiſſe ſucceſſionem, non quidem abnuo, Beroſi tamen & Metaſthenis auctoritate hoc euincere non auſim, vtut Goldaſtus de Sen. lib. II. c. XXX. *ad eos prouocet*

II. Ob corporis vitia nemo primogenitvrae iure poteſt priuari. Non immerito itaque Hungari Calomannum, vtut deformem, Almo fratri praetulerunt.

III. Filius in priuata patris fortuna natus, neutiquam poſtponendus eſt illi, qui, poſtquam pater rerum ſummae eſt admotus, in lucem editus eſt.

EXERCITATIO

IVRIS NATVRALIS,

DE

PIETATE PHILOSOPHICA

SEV

RELIGIONE NATVRALI.

HABITA HALAE SAXONVM

DIE X. NOV. ANNO M DC XCV.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO LVCHT,

HALENSI-SAXONE.

Digitized by Google

Σύναψις.

PHilosophia moralis etiam de officiis erga Deum praecipit, §. I. quae pietatis nomine veniunt, quanquam variis haec vox gaudeat significationibus, §. II. Sumitur enim pro pietate erga patriam, §. III. erga parentes, §. IV. erga quosuis superiores, §. V. item parentum erga liberos, §. VI. & denique erga Deum, tum apud veteres, §. VII. tum apud sequioris aetatis scriptores, §. VIII. Non raro & propensio erga clericos hoc nomine venit, §. IX. Reliquae significationes summatim indicantur, §. X. Religio quid? §. XI. De naturali, non reuelata, nobis sermo est, §. XII. Per hanc existentia Numinis constat, cuius notitia omnium cordibus est inscripta, §. XIII. Cartesii demonstratio quam vim habeat? §. XIV. A posteriori quo pacto demonstrari existentia Dei possit? §. XV. Speciatim ex structura corporum, §. XVI. itemque ex consensu omnium gentium, §. XVII. Constat praeterea ex religione naturali, Deum vnum esse, §. XVIII. Vnitatem eius aeque euidentem ac eius existentiam esse, contra Hugonem Grotium asseritur, §. XIX. Tres autem in vna Numinis essentia esse ὑποστάσεις, ex ratione demonstrari nequit, §. XX. Attributa, seu perfectiones Numinis summatim indicantur, §. XXI. Mun-

dum a Deo esse conditum, itidem ratio docet, §. XXII. eumque prouida sum cura rebus omnibus adesse. §. XXIII. Quae ex hac Numinis consideratione hominis erga illud officia fluant, tum ratione intellectus, §. XXIV. tum ratione voluntatis? §. XXV. Deum esse colendum vnde probari queat? §. XXVI. Cultus diuini ratio ex attributis eius intelligitur, quae inter eminet bonitas, §. XXVII. quae ad summum Dei amorem hominem excitat, itemque ad abnegationem sui, & deuotionem, §. XXVIII. Summa praeterea Numinis excellentia, in homine excitat adorationem spiritualem, §. XXIX. Potentia & iustitia, timorem amore temperatum, §. XXX. Veracitas, & sapientia, & prouida circa omnia cura, fiduciam filialem, & aduersorum tolerantiam, §. XXXI. De cultu externo generatim, speciatim de precibus, §. XXXII. Preces quo pacto comparatae esse debeant, §. XXXIII. Reliqua cultus externi capita, §. XXXIV. De iure iurando & caute concipiendo, §. XXXV. & sancte seruando, §. XXXVI. De votis quid censendum? §. XXXVII. Nihil nisi eximium Deo praestandum: cumque confessoria quoque pietate, & obedientia vera venerandum, §. XXXVIII. De sacrificiis: sententia illorum, qui ex lumine naturae ea colligunt, §. XXXIX. Quae tamen refellitur, §. XL. Certum quoque tempus cultui Numinis esse consecrandum, §. XLI. Apud plerasque gentes septimi diei, cultui Numinis destinati, quaedam occurrere vestigia, §. XLII. Ex quo

ta-

tamen perperam colligitur, celebrationem Sabbathi esse iuris naturalis, §. XLIII. Quod etiam ex numeri septenarii mysterio, aut flumine Sabbathico probari nequit, §. XLIV. Ex ratione nihil aliud constat, quam subinde cultui Numinis vacandum, neutiquam, vt septimum diem huic destinemus, §. XLV. Vt vnus ex septem diebus sacer habeatur, iuris positiui vniuersalis est, vt septimus, iuris particularis, §. XLVI. De ritibus & ceremoniis sacris, quid censendum, §. XLVII. Finis pietatis est summa hominis felicitas, §. XLVIII. Post hanc vitam demum plene obtinenda, §. XLIX. Ast non solo rationis ductu, §. L. sed reuelationis, ad quam religio naturalis ducit, §. LI. Finis pietatis secundarius, officiorum omnium fundamentum, & societatis vinculum, §. LII. Pietatis adminicula, §. LIII. Pietati opponitur impietas, cuius variae itidem sunt species, §. LIV. Et primo quidem atheismus; an dentur athei? §. LV. De Spinoza, & scriptoribus antiatheisticis, §. LVI. Characteres atheorum, §. LVII. Vnitati Numinis opponitur polytheismus gentilium, §. LVIII. ab ipsis sanioribus inter eos reiectus, §. LIX. a Romanensibus postliminio reuocatus, §. LX. Perfectioni eius, κακοζηλία gentilium, errorque anthropomorphitarum, §. LXI. Impietatis praeterea notam subeunt, qui mundum a Deo conditum negant, §. LXII. aut prouidentiam diuinam cum Epicuro in dubium vocant, §. LXIII. vel hanc ad res omnes conditas se extendere, inficiantur, §. LXIV. aut per fatum

aliquod cum Stoicis euertunt, §. LXV. Cultui Numinis quae opponatur impietas? §. LXVI. Deismus quid? §. LXVII. Idololatria, §. LXVIII. varii eius modi, §. LXIX. rei etiam eius sunt, qui imagines colunt, §. LXX. Superstitio quid? & quotuplex? §. LXXI. Summatim vitia specialia, pietati aduersantia indicantur, & primo quidem, quae verae Numinis cognitioni opposita sunt, §. LXXII. Deinde quae cultui eius repugnant, tum interno, §. LXXIII. tum externo §. LXXIV.

§. I.

QUi morum doctrinam ita tradunt, vt de Numinis sensu & cultu nihil praecipiant, illi, vt mea fert opinio, iustos saluberrimae arti ponere non didicerunt limites, & de maiestate quoque eius ac amplitudine multum detrahunt. Vtique enim ita est, quemadmodum & M. Tullius Cicero, grauissimus auctor, iudicat, philosophia nos primum ad Dei cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi, erudire debet.

§. II. Hominis autem erga Deum officia dum pietatis nomine designamus, nihil prorsus, quod cum rei ipsius indole, aut vocis signi-

gnificatione pugnet, committimus. Non fugit nos, apud probatos & emendatae latinitatis ſcriptores non vnam hanc vocem induere ſignificationem. Solennius enim nihil eſt, quam quae erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine coniunctos officium conſeruare monet, virtutem, pietatem dicere.

§. III. Et erga patriam quidem pietatem, Ciceroni quoque (a) & Valerio Maximo (b) memoratam, haud raro veteres quoque deſignant & innuunt nummi quam plurimi, Galbae cumprimis & Traiani imperatorum, quales, praeter Occonem, exhibet vir ſummus & eruditi orbis maximum decus, Ezechiel Spanhemius, (c) & Ioannes Weidnerus. (d)

§. IV. Nec minus frequens in parentes pietatis, tum apud veteres ſcriptores latini ſermonis peritos, tum in nummis quoque, iniicitur mentio. Attici laudat pietatem Cornelius Nepos, ideo, quod in funere matris ſuae vere gloriatus fuerit, ſe numquam cum matre in gratiam rediiſſe, numquam cum ſorore fuiſſe in ſimulta-

(a) *Orat. Philipp. XIII.* (b) *lib. V. cap. VI.* (c) *de praeſtant. & vſu numismat. diſſert. VIII. p. 723.* (d) *in pietate ex nummis antiquior. delineata p. 30. ſeqq.*

te. (e) Cicero quoque, dum pietatis munus esse docet, parentum iniurias aequo ferre animo, idem comprobat. (f) Taciti, Suetonii, Plinii, aliorumque documentis idem euinci posset, nisi alii iam abunde id praestitissent. Ex nummis autem qui afferri solent, celeberrimi longe pulcherrimique sunt, & pietatem erga parentes maxime commendant, qui Aeneae patrem Anchisen flammis eripientis, aeterna laude dignum facinus, ab obliuione vindicant. (g)

§. V. Quin & obsequium erga quosuis superiores pietatis nomine subinde venit. Testem omni exceptione maiorem damus illustrem Spanhemium. Postquam enim obseruauit, pietatem principis, cum erga Deos, tum in liberos ac subditos, Romanis celebrari, rursus & subiectorum erga principem, vt parentem communem, aut etiam Numen tutelare, subinde commemorari pietatem, addit. (h)

§. VI. Rursus & parentum in liberos pietatem, inscriptionum & nummorum monumenta praedicant: ex quibus erga aequales etiam, quin quosuis homines, alicui licere esse pio, colligas: sed minus frequentem apud veteres hanc esse significationem, non

(e) *in vita Attici cap. XVII.* (f) *orat. pro Cluentio.* (g) *vid. Weidnerus l. c, p. 56.* (h) *l. c. dissert. VIII. p. 722. add. Tacit. annal. lib. II. cap. LX. & Lampridius in Alexandro Seuero cap. XI.*

non ignorabit, qui purioris castique sermonis latini antistites, ea, qua par est, diligentia consuluit.

§. VII. Sed nobis quidem pietas nunc aliud nihil, quam officia erga immortale & praepotens Numen, denotat. Cicero ita hac voce vtitur. (i) Nec enim semel, pietatem esse iustitiam aduersus Deum, diserte pronunciat. Latini sibi suffragantes habent Graecos, vocem εὐσέβεια non aliter vsurpantes. Ex Diodoro Siculo, & Iosepho, id obseruatum est aliis. Addo ex Iosepho & illud, quod Antiocho Pii nomen haesisse memoriae prodidit, ob singularem in religionem Ebraeorum amorem: *δι' ὑπερβολὴν τῆς θεοσεβείας εὐσεβῆ πάντες ἐκάλεσαν.* (k) Platoni quo pacto haec vox vsurpetur, erudite edisserit Spanhemius. (l)

§. VIII. Nec sequiori aeuo infrequens fuit hac voce ita vti. Exempla illorum, quibus piorum nomen inditum est, quod sedulí Numinis essent cultores, sacrisque operari in deliciis haberent, hoc comprobant. Robertum sane Gallorum regem memorant annales, principem, vt Aemilii verbis vtar, in templis frequentem, Numinis reuerentissimum, liberalibus studiis sacrisque di-

(i) *lib. I. de natura Deor. & orat. pro Cluentio.* (k) *lib. XIII. antiquit. cap. XVI.* (l) *l. c. p. 720.*

ſciplinis deditum, priſcae ſanctitatis aemulum, indeque pium dictum eſſe, referunt. (m) Sic Ericum ſuum Dania, Alphonſum Arragonia, Bohemia Boleslaum, Flandriaque Carolum Comitem, oſtentant, quibus omnibus piorum nomen titulumque, Numinis quo flagrarunt amor, indeque ſecuta vitae morumque integritas, peperit.

§. IX. Non procul hinc abit & ea vocis huius ſignificatio, qua propenſionem erga ſacri ordinis viros denotat. Etenim, qui erga Deum pius eſt, non poteſt non illos, qui rebus ſacris praeſunt, viamque ad beatorum ſedes mortalibus pandunt, inſigni proſequi amore. Quandoque tamen haec pietas a crimine prope abeſt, dum turpiſſimae ea teguntur fraudes. Nimirum non deſunt, qui, ad ſuas cupiditates explendas, ſua referre putant, virorum ſacri ordinis animos ſibi conciliare. Quicquid huius ſit, certe Ludouico imperatori, Caroli filio, pii nomen non alia de cauſa obueniſſe, quam quod *clericos* ſingulari fauore proſequeretur, intelligimus ex auctore anonymo, qui vitam eius litterarum monumentis conſecrauit, & in corpore hiſtoriae Francicae extat. (n)

§. X. Si in criticorum amoeniſſimis campis diutius commorari, per inſtituti leges, nobis liceret, & illud neutiquam nobis praetermittendum eſſet, multos ob res, pro doctrinae

(m) *Hiſt. Gall. f. 97.* (n) *cap. X. ad A. C. 817.*

ctrinae caeleſtis puritate, eiusque & conſeruatione, & propagatione, praeclare fortiterque geſtas, itemque ob munificentiam in pauperes, vel alias ob cauſas, piorum promeruiſſe nomen; cultum diuorum quoque ſaepius pietatem dictum eſſe, euincere poſſem: ſed muneris, quod nunc quidem nobis impoſuimus ipſi, ratio ad alia nos vocat.

§. XI. De *religionis* voce iſtud addimus, quod in latiori ſignificatione itidem nobis adhibeatur. Cognitionem enim Numinis, non minus ac cultum eius, nobis denotat. Non fugit nos, aliter quandoque, tum alios auctores, tum maxime Lactantium, hac voce vti. Et hic quidem (o) *non poteſt*, inquit, *religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a religione ſecerni: quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiae, honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia praecedit, religio ſequitur: quia prius eſt, Deum ſcire, conſequens colere.* Subinde tamen limites huius vocis eousque proferri, vt ſapientiam quoque, ſeu cognitionem Numinis denotet, palam eſt. Nobis itaque pietas ſeu religio virtus eſt, qua Deum rite cognoſcimus, & cognitum recte colimus.

§. XII. Vtrumque autem cum vel ex rationis vel reuelationis praeſcripto fieri poſſit, nemo tamen dubitauerit, nobis de illa Numinis cognitione & cultu ſermonem eſſe,

(o) *lib. IV. inſtitut. diuinar. cap. IV.*

esse, quem ex ratione, sepositâ tantisper reuelatione, sed ea, quam specialem & supranaturalem vocant, haurire licet. Pollere autem rationem tanta vi, vt quaedam de Numine eiusque cultu, vtut caelitus reuelatione quadam non colluſtrata, cognoscere possit, & vnusquisque mentis suae explorando indolem intelligit, & ipsius diui Pauli sanctissimum nos edocet oraculum *Rom. I, 19. 20.* Nec sane superuacaneum erit hodie quoque haec tradere, aut in hisce exquirendis, & perscrutandis, operam collocare. Praeterquam enim, quod ipse seruator, virique Numinis afflatu perculsi, saepius ad rationis clarissimam lucem legesque prouocarint, nobisque praeiuerint exemplum; vt singulae moralis doctrinae partes, ita haec cumprimis, quae de Numine praecipit, ad inquirendum in quandam reuelationem, inuentam comprobandam luculenter, & contra hostium insultus tuendam, & defendendam, plurimum facit, multumque roboris habet, id quod praeclare & erudite demonstrauit Vincentius Placcius. (p)

§. XIII. Rationis ergo sanae si sequamur ductum, haud difficulter intelligimus, Deum esse. Id quidem apud omnes in confesso est, saltem esse debet, praesertim apud eos, qui seruatori Christo se dedisse nomen gloriantur.

(p) *in philosoph. moralis pleniorisque praecipuo fructu.*

tur. Nihilosecius cum omni tempore homines maleferiatos ex orco protruserit infernalis genius, quos dementia & stultitia eousque abripuit, vt rem manifestam impugnare ausi fuerint; sui muneris esse arbitrati sunt viri cordati, solidis rationibus profanorum hominum furori obuiam ire. Et sane primum firmissimumque argumentum, ipsa illa mentibus nostris insita notitia, nobis suppeditat. Hanc equidem non in actu secundo, liceat enim mihi more recepto loqui, vt perperam Caietanus, Medina, Azorius, & alii de scholasticorum grege, sibi persuadent, nec in actu primo, vt illi contendunt, quibus Platonicorum decreta reuocare in scenam volupe est, (q) sed in potentia propinqua nobis inesse, ipsa testatur experientia. Ad hanc quoque & illos ablegabimus, vti & ad omnes homines, qui gaudent ob recte atque praeclare facta, ob scelera anguntur & excruciantur, Smalcium, Ostorodum, ipsumque Socinum, quin & Simonem Episcopium, & quotquot notitiam insitam ire inficias ausi fuerunt, r) quibus & merito Petrum Chauuinum addo, quippe qui Numen ali-

(q) *vid. Zeidlerus in Analyst. p. 585. seqq.* (r) *vid. Socinus in praelect. theolog. cap. II. Smalcius contra Frantzium p. 44. Ostorodus institut. lib. I. p. 10. Simon Episcopius lib. I. institut. theolog. cap. III.*

aliquod esse, probans, (s) notitiae huius insitae ne verbo quidem meminit. Rectius hosce homines sapere doceat ipse Epicurus, qui ex prolepsi, siue generali anticipatione, Deum esse demonstrauit. (t)

§. XIV. Renatus Cartesius, & qui in eius militant castris, ad ideam quandam Dei hominibus connatam, & ab ipso Deo inditam, prouocant. (u) Sed vero quid viri eruditi subinde opposuerint, neminem fugere potest. (x) Quibus an ita, vt par erat, a Cartesii sectatoribus obuiam itum sit, alii iudicent. Sane quidem, vt cetera nunc taceam, non video, quid obstet, quo minus formare ideam ipsi, & quidem perfectissimam possimus, si vnam rem cum altera contendamus, ita tamen, vt neutiquam inde sequatur, huius ideae necessario aliquod existere exemplar. Non inepte itaque Petrus Chauuinus, dum hac de re disserit, lepidum ex Luciano commentum refert, de duo-

(s) *de relig. naturali part. I. cap. IV.* (t) *vid. Gassendus, phyſ. ſect. I. lib. IV. p. 290. & de vita moribusque Epicuri, lib. IV.* (u) *vid. Carteſius meditat. III. Claubergius de cognit. Dei & noſtri, diſp. VII. Alexander Hermannus Roel. de relig. natur. Florentinus Schyl. in orat. de veritate ſcient. & art. academ. p. 11.* (x) *vid. Ioannes Baptiſta Morinus Aſtrol. Gall. lib. I. p. 1. ſeqq. Petrus van Maſtricht in Gangraena Novit. Cart. p. 198.*

duobus philoſophis, quibus conſtitutum erat coram Graeciae populis, an Deus ſit, ita diſputare, vt vnus hoc aſſereret, alter negaret: ſed eos iuſto metu perculſos, ne cauſa caderet, qui illos vindicare in ſe ſuſceperat, *quia nimium acutus erat, ac verendum erat, ne eius acumen in auras euaneſceret.* (y)

§. XV. Sed demonſtrari etiam a poſteriori poteſt, Deum eſſe. Non omnes quidem vnam eandemque hic ingrediuntur viam, ſed diuerſimode rationes ſubducunt. Nonnulli ex *motus* aut *dependentiae* lege, quidam ex *contingentiae* & *neceſſitatis* ratione, aut *gradibus* & *perfectionibus* rerum, alii ex *rerum gubernatione*, itemque ex *eo, quod eſt in homine*, aut ex *ordine, conſtitutione* & *pulchritudine huius vniuerſi*, id euincunt. Sunt &, qui ad miracula, aut perpetuum omnium gentium conſenſum prouocant. Diſpicere nunc de ſingulis, vimque horum argumentorum ediſſerere, cum inſtituti legibus pugnat. Interim vtut omnia non aeque firma ſint, nullum tamen adeo omni deſtituitur robore, vt veſania impiorum hominum inde refrenari nequeat. (z)

§. XVI. Inter omnes vero modos Numinis exiſtentiam demonſtrandi iucunditatis plu-

(y) *l. c. part. I. cap. IV.* (z) *vid. Theophilus Raynaudus, theol. natural. diſt. V. qu. I. art. VI.*

plurimum habet, roboreque inuicto & inconcusso pollet, qui ex singulis rebus creatis Numen aliquod esse euincit. Etenim si structuram & pulchritudinem earum considéremus, & quam apte cohaereant, quam ad vtum & conseruationem sui cuncta sint attemperata, sane non casu haec ita euenisse, sed a causa apte & prudenter omnia dispensante dirigenteque, esse profecta, palam fiet. Etenim vt casu semper arborum folia, & flores ita proueniant, vt color colori, linea lineae, figura figurae, exacte respondeat, id quidem plane fieri nequit. Quod si naturam forte crepes, haec vnde sit, vnde ista vi polleat, scire lubet. (a) Ad primam tandem, quocunque te vertas, deueniendum erit causam, a qua omnia pendent, quae alia, quam ipse Deus, esse nequit. Possem nunc ire per varia corporum genera, & ex naturalis quoque scientiae fertilissimo campo multa decerpere, non minus euidentiae quam iucunditatis plurimum allatura, sed subinde doctissimos viros illud iam praestitisse memini, quos inter Ioannes Raius eminet, qui erudite in hac doctrinae parte versatus est, in libro, cui titulus: *the Wisdom of god manifested in the Works of the creation.* (b) Huc & oculus θεό-

σκο-

(a) *conf. Robertus Boyle disquisit. de ipsa natura sect. VIII.* (b) *add. Robertus Boyle disquisit.*

σκοπος, auris θεόδεικτος, & demonſtratio Dei ex manu, doctiſſimorum virorum, Sturmii, Ioannis Andreae Schmidii, Chriſtiani Donati, aliorumque commentationes, pertinent.

§. XVII. Nec contemnendum plane eſt, quod a conſenſu omnium gentium, quas aut antiqua aut recentiora tulere ſecula, depromitur argumentum. Vtique enim ita eſt, quemadmodum & veterum nonnulli cenſuere, nulla gens adeo eſt efferata, quin Numen aliquod habeat. Non me fugit, afferri exempla illarum gentium ſolere, quae ſine more ac lege, ſine Numinis ſenſu & cultu, vixiſſe dicuntur: quin ipſos Germanos veteres, Romanosque & Graecos, priusquam hi ab Aegyptiis & notitiam Numinis, & rationem illud colendi, acceperant, illi autem a Numa rege legibus ſanctiſſimis ad omnem humanitatem formati erant, vt omnis cultus, ita & Numinis ſenſus expertes vixiſſe, nonnulli perhibent. Sed perperam haec ita tradi, commentaque eſſe profanorum hominum. aeque ac illa, que de recentiorum in Africa aut America gentium impietate referuntur, erudite euicit Ioannes Ludouicus Fabritius. (c)

qua in finales rerum cauſas inquiritur &c. (c) *in apologetico pro genere humano, contra calumniam atheismi.*

§. XVIII. Alterum, quod ratio omnes docet, eſt: Deum vnum eſſe. Hoc inde euinco, quia quod a ſe eſt, ſingulare etiam eſt, ſeu, vt in ſcholis loquuntur, *eſſentialiter hoc exiſtens.* Singulare autem quod eſt, non poteſt cum pluribus eſſe communicatum. Deum ergo & ſingularem, & vnum, quin vnicum eſſe, neceſſe eſt. Accedit, quod Dei nomine ens ſummum, perfectiſſimumque, intelligamus. Quare ſi quis plures vellet admittere Deos ille admitteret entia, quae & perfectiſſima eſſent, ſimul tamen & imperfecta, quia vnum careret perfectione alterius. Praeterea, ſi duo eſſent aut plures Dii libere agentes & volentes, poſſent contraria velle: impediretur autem alter ab altero, quo minus, quod vellet, efficeret: impediri autem poſſe, Deo indignum eſt. (d)

§. XIX. Quod cum euidentiſſimum ſit, merito mirari ſubiit, quid adduxerit ſummum virum Hugonem Grotium, vt aſſereret, (e) haſce notiones: *Deos plures vno non eſſe, nihil eorum, quae videmus Deum eſſe,* non aeque euidentes eſſe, ac illam de Numinis exiſtentia notitiam. Accedit enim, quod & ipſi ethnici prudentiores vnum tantum eſſe Deum, ſolo rationis lumine ducti, agnouerint intellexerintque. De Socrate id aſſerit

(d) *add. Athenagoras legat. pro Chriſtian. p. 67.*
(e) *lib. II. de I. B. & P. cap. XX. §. XLVIII.*

asserit Iustinus Martyr, (f) de Platone Porphyrius apud Cyrillum, (g) & Iamblichus, (h) de aliis alii. (i)

§. XX. Ast tres esse in vna Numinis essentia ὑποστάσεις siue personas, id quidem eiusmodi est, vt ex sola ratione probari aut demonstrari nequeat: vtut non pauca, quae hoc illustrent, nobis suppeditet argumenta, id quod egregie euincit Wilhelmus Scherlock in libro, cui titulus: *a vindication of the doctrine of the holy & ever blessed Trinity &c.* (k) Falluntur itaque & in magno versantur errore Richardus a Victoria, (l) Ioannes Duns Scotus, (m) Raymundusque de Sabunde, (n) itemque Mornaeus, (o) & Petrus Poiret, (p) qui rationis limites, vltra quàm par est extendunt. (q)

(f) *Apolog. I.* (g) *lib. I. contra Iulian.* (h) *de Myster. sect. I. c. V.* (i) *vid. Huetius in Demonstrat. Euangel. propos. IV. p. 122. & Petrus Chauuinus de Rel. Nat. part. I. cap. V. p. 40.* (k) *sect. IV. p. 45.* (l) *lib. I. de Trinit. cap. IV.* (m) *I. Sent. dist. II. IX. X.* (n) *Theol. Natur. cap. XLVI.* (o) *de verit. christ. relig. cap. V.* (p) *in cogitat. ration. de Deo, anima, & malo, lib. III. cap. VIII.* (q) *add. Gerhardus loc. theol. de S. Trinit. myst. cap. XII. Musaeus in dissert. Anti-Vedelio adiecta. Gisb. Voetius part. I. disp. select. p. 148. seqq.*

§. XXI. Enumeranda nobis nunc essent singula, ut vocari solent, Numinis attributa: nisi ea philosophiae pars, quae de Numine ex instituto praecipit, hoc sibi vindicaret. Istud euidens est, nec a nobis praetermittendum, nihil de eo efferendum, nisi quod summam & infinitam arguit perfectionem. Recte igitur faciunt, qui, de Numine quoties loquuntur, ea vsurpant nomina, quae aut imperfectionem omnem procul ab eo abesse docent, aut perfectione quadam, sed modo longe praestantiori excellentiorique, quam qui rebus conditis est proprius, Deum gaudere, euincunt, aut denique quae opera eius laudant, simulque cum admiratione, & nostrae infirmitatis confessione, sunt coniuncta. Praecipue vero id tamquam certissimum ponimus, esse Deum & sapientissimum, & summe bonum, & iustissimum, & veracissimum potentissimumque. Hoc, qui de theologia naturali ex instituto exponunt, tum veteres, tum recentiores, accuratius demonstrant edisseruntque. (r)

§. XXII. Nunc porro & istud addendum, Deum esse conditorem huius vniuersi. Etenim licet ex nihilo non posse fieri quicquam,

(r) *add. Hugo Grotius lib. I. de veritate Christ. relig. cap. IV. V. VI. Hermannus Alexander Roell l. c. §. LX. seqq. Petrus Chauuinus l. c. cap. VI. VII. VIII.*

quam, ſapientum ſit effatum, hoc tamen non eſſe eousque extendendum, vt potentiae Numinis inde limites ponantur, palam eſt. Quod autem a Deo conditus ſit mundus, ſic euinco: Mundus eſt vel a ſe, vel ab alio. Si ab alio, a Deo erit, niſi tandem in infinitum excurrere, & ab vna cauſa ad aliam, id quod ratio vetat, ſemper tranſilire velimus. Sin dicas, eum a ſe eſſe, ergo aut ſui ipſius erit cauſa, aut, ſi hoc ita capias, quod non ſit ab alio, mundum in Deum mutabis, cui ſoli illud proprium eſſe novimus: vtrumque autem cum ratione pugnat. Praeterea artium omnium inuentio, atque progreſſus, idem docet. Recte Lucretius:

Praeterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum & caeli, ſemperque aeterna fuere,
Cur ſupra bellum Thebanum & funera Troiae
Non alias alii quoque res cecinere poetae? (s)

Accedit & iſtud, quod ſingulae partes orbis opificem ſapientiſſimum arguant. Niſi ergo aſſerere velis, temere haec & caſu contingere, atque in vniuerſo orbe tam apte & concinne eſſe diſpoſita, Deum ſane cauſam mundi eſſe, fateare neceſſe eſt. Sed taceo cetera argumenta apud illos quoque obuia, qui de mundi aeternitate non perfunctorie diſputarunt, quos inter

(s) *lib. V. de rerum natura p. 158.*

ter eminent Claudius Berigardus, (t) Nicolaus Taurellus, (u) Bernhardinus Telesius, (x) Thomas Anglus (y)

§. XXIII. Denique & istud ex rationis praescripto constat, Deum prouida sua cura rebus omnibus adesse, iisdemque prospicere quam benignissime. Sane si quis est, qui hac de re dubitet, vti sane sunt, nae! eum adeo rationis omnis expertem esse oportet, vt & sapientiam, & potentiam, & bonitatem summi & optimi creatoris in dubium vocare sustineat. Num vllus mortalium adeo nulla operis a se producti tangitur cura, vt abiiciat illud, nec de eo sit sollicitus? & nos vero crederemus, Deum hoc facere? Praeterea vti res conditae sibi ipsis non debent, quod conditae sint, ita profecto se ipsas sine Numinis ope conseruare nequeunt. Non minoris enim potentiae est, efficere, vt stabilis res sit, nec iterum diffluat, quam eandem producere. Quid ambagibus opus est? Nonne ordo perennis & constans causarum & euentuum, illud satis superque euincit? Taceo, quod nec honestati, nec virtuti, nec legibus ipsis futurus sit locus, ituraeque in praeceps sint ciuitates, resque cunctae, si asseramus, Deo mortalium res non esse curae.

(t) *in circulo Pisano in prooem. & circ. II.* (u) *de rerum aeternitate.* (x) *de rerum natura.* (y) *dialog. III. de mundo.*

rae. Aſt cum de bonitate Numinis multum detrahat profana quorundam, quicquid in mentem venit, aſſerendi libido limites huic Numinis benignitati & potentiae ex ſuo arbitrio conſtituendo, quid ratio dictitet, ipſius Epicteti pulcherrimo effato complecti iuuat: *Quod ad Deos attinet*, inquit, *ſunt qui negant vllum Numen eſſe: ſunt qui eſſe docent, ſed ignauum, incurium, & nulli rei prouidere. Sunt tertii, qui & eſſe & prouidere, ſed non niſi magnis & caeleſtibus, terrenarum autem nullii: quarti & caeleſtibus & terreſtibus, ſed vniverſis duntaxat, non autem ſingulis & vnicuique ſeorſim. At quinti, in qua parte Vlyſſes & Socrates, aſſerunt ſtatuuntque, quod te, o Deus! nec in minimo motu lateam aut fallam.* (z)

§. XXIV. Haec omnia cum ex lumine rationis intelligi poſſint, ſane noſtrarum partium erit, ſumma cum attentione & diligentia haec conſiderare & meditari, &, quis exinde ad nos redundet fructus, expendere. Et iſtud quidem intellectus munus eſt, primamque adeo pietatis conſtituit partem. Sed cum non vna eademque ratione conſideratio Numinis noſtrum intellectum occupet, varias inde pietatis ſpecies oriri neceſſe eſt. Obſeruauit iam eruditiſſimus vir Vincentius Placcius, aliud hic practici, aliud theoretici intellectus

(z) *ap. Arrian. I. Diſſert. cap. XII.*

munus esse, suisque nominibus haec officia discreuit, *studiositatemque sacram, religiositatem, obseruantiam sacram, & honorificentiam sacram,* huc retulit. (a)

§. XXV. Nos vero, missis hisce, qua ratione voluntas erga Deum debeat esse comparata, paucis edisseremus. Namque illa voluntatis pietas, per eminentiam, cultus nomine venit, quem & alii *adorationem,* sed sumta voce in latiori significatu, vocant. Ita Petrus Chauuinus cultum Numinis designat, dum adorationem nihil aliud, quam *piarum cogitationum commixtionem, nempe timoris, reuerentiae, gaudii, desiderii, gratiarum actionum, supplicis animi, qui se humillime profiterit atque annihilat coram Dei solio, esse, asserit.* (b) Nec aliter hac voce vtitur Arnoldus Geulingius, (c) dum, *adorationem,* inquit, *generaliter sumimus pro quouis cultu diuino, quem & christiani latriam vocant.* Alii contra voce amoris cultum omnem Numinis designant. (d) Vtique perinde est, vtcunque vocetur: attamen ne misceamus, quae secernenda separandaque sunt, rectius forte voce *cultus* ita vtemur, vt omnes actus modosque, quibus Numen veneramur, innuat.

§. XXVI.

(a) *part. II. accession. ethicar. cap. I. §. III.* (b) *de relig. natur. part. II. cap. I. p. 217.* (c) *ethic. tract. II. §. X.* (d) *vid. Becmanni lin. doctrinae moralis cap. XI V.*

§. XXVI. Ceterum, Deum esse colendum, palam est. Aristoteles quidem eos, qui ambigunt, vtrum oporteat Deos colere nec ne, poena dignos esse existimauit. Idem vero etiam ex nostra infirmitate, itemque ex eo, quod tutius sit, Deum colere, quod impiis magna immineant pericula, quod maiestas Numinis summaque & infinita eius hoc exigat perfectio, demonstrari potest. (e)

§. XXVII. Descendere nunc ad singulas, quibus hicce cultus absoluitur, partes, iuvat. Lubet enim, quod & multis in more positum est, prout singulae Numinis perfectiones, accuratius consideratae, aliam aliamque in mente hominis commotionem excitant, secernere cuncta & separatim expendere. Inter omnes vero Numinis perfectiones nullam aeque hominis mentem ad se rapere, & quodam vehementiori impulsu ad se trahere, quam summam eius bonitatem, saltem illis, qui diuina meditari scrutarique solent, exploratum est. Eminet vtique inter omnes, quas Deo tribuimus, perfectiones bonitas, vt Dionysius Areopagita non inepte dixerit, boni nomine ceu peculiari, recte Deum insigniri, ipsamque substantiam diuinam bonitatem appellari. Praeterquam enim, quod summa in Deo

(e) *vid. Petrus Chauuinus l. c.*

ſit perfectio, vnde bonitas conſequitur, infinita fere ſunt, quae a benigniſſimo Numine in nos redundant, beneficia. Quod vitalem auram trahimus, quod ratione pollemus, quod noſtris vſibus commodisque ceterae res omnes inſeruiunt, id omne propitii fauoris, quo nos proſequitur Deus, munus eſt. Iam vero ſi porro cogitamus, nos nihil eiusmodi promereri, ſi, eundo per omnes res creatas, nihil in iis, quod bonum dici debeat, ſi cum diuina bonitate conferatur, deprehendimus, vtique tantam Dei bonitatem eſſe intelligimus, cuius ne minimam quidem partem quisquam mortalium cogitatione aſſequi poteſt.

§. XXVIII. Haec ergo dum voluit ſecum homo, & paulo altius rimatur, amorem ſummum in animo eius excitari neceſſe eſt. Nihil magis enim deſiderabit, quam vt iungatur ſummo huic Bono, & cum illo vniatur quam arctiſſime. (f) Palam itaque eſt, non tantum amandum eſſe Deum, ſed & ſupra omnia eum eſſe amandum. Nulla enim res bonitate ea gaudet, quae cum Numinis bonitate conferri debeat. Deum etiam, vt magis, quam nos ipſos, amemus, par eſt. Maiorem enim in eo, quam in nobis bonitatem deprehendimus. Plus etiam Deo, quam nobis ipſis: quin Deo omnia, nobis nihil, debemus. Vnde & illa ſui deſpe-

(f) *vid. Placcius l. c. part. II. cap. I. §. V.*

ſpectio oritur, qua homo ſibi nihil tribuit, parui facit, quae ad ſe ſpectant, & omnia prius, ipſam quoque vitam, aut ſi quid vita charius eſt & pretioſius, proiicere paratus eſt, quam admittat quid, quo Deus laedatur. Hanc ſui deſpectionem *reſignationem ſacram*, ſiue *abnegationem ſui & voluntatis ſuae*, nonnulli vocant. (g) Deus etiam propter ſe ipſum eſt amandus. Eſt enim per ſe bonus. Quin, quicquid ideo ſaltem amamus, vt ad aliud conſequendum praeſidio ſit, illud, ſi accurate rem metiaris, non amamus: adeoque, qui Deum amare ſe putant, vt opes, aut ſi quid aliud praeter Deum ſibi bonum fingit improbitas, adipiſcantur, illi quidem falluntur turpiter. Ceterum ex amore Numinis fluit etiam ſtudium Deo placendi & ſeruiendi, quod nonnulli recentiorum *deuotionem* vocant, ſed rectius forte cum Vincentio Placcio *conformitatem aut conformationem voluntatis noſtrae cum Deo* dicerent, qua *eiuratis nobis Deo ſoli ſacramentum dicimus*. Ita & Arnoldus Geulingius (h) docet, qui & iſtud addit: *Nota, deuotionem hic aliter capi, quam vulgo ſolet. Hic enim, ſcilicet vulgus, intelligunt tenerum illum affectum, quo perfundi ſolent boni, dum rebus diuinis vacant.* Huic & ſuffragatur Antonius le Grand, dum deuotionem ſpeciem amoris eſſe autumat. (i) Quin omnem in Deo collocan-

(g) *Placcius l. c.* (h) *l. c. p. 36.* (i) *Inſtitut. philoſ. part. IX. art. IX. p. 499.*

candam esse fiduciam, recte hinc colligitur, praesertim, quoties cum rebus aduersis nobis est conflictandum. Summe enim bonus cum sit, quis dubitauerit, eum nobis praesto futurum? Quod vero & succurrere possit potentia eius nullis circumscripta limitibus, ambigere neminem sinit.

§. XXIX. Praeterea, quicquid suspicere, quicquid admirari nos decet, id omne in se excellentissima quadam ratione ita complectitur Deus, vt ratio hic merito stupeat attonitaque haereat. Hinc in mente hominis sedulo haec secum reputantis affectus plane singularis excitatur, quem cum recentioribus *adorationem specialem* tantisper vocare liceat. Arnoldus Geulingius, vir doctissimus & ingenio nemini cedens, hac de re ita verba facit: *Adoratio naturaliter suboritur nobis, cum videmus aliquem praestare & efficere ea, quae praeclara sunt & bona, atque ita ingeniose inuenta, vt modo, quo ista fiant, percipere vix ac ne vix quidem valeamus: sic Barbari adorant Mathematicos nostros, dum eclypses praedicunt, aut horologia, & ex arte statica confecta automata illis ostendunt.* Nimirum designat, ex mente eius, adoratio, & laudem, quia praeclarum opus est, & admirationem defixumque stuporem, modum quo opus confectum sit, ignorantis, & agnitionem dignitatis, qua opificem tanti operis nobis

bis praeſtare, putamus, & profundam denique ſubmiſſionem, qua nos, vtpote imperitos inertesque, tam ſapiente opifice inferiores ducimus. Tali ergo adoratione colendus vtique proſequendusque Deus eſt. Eſtne enim praeclarum aliquod opus, quod illum non agnoſcat auctorem? aut ſi homines admiratione digna efficiunt, nonne Numinis munus eſt, quod haec efficere poſſint? Modum vero, quo haec omnia aut condidit olim Deus, aut hodienum conſeruat, quis vnquam habuit exploratum? Quis ſapientior Numine? quis adeo dignior? aut quis profundiorem ſuo velut iure a nobis exigere poteſt ſubmiſſionem?

§. XXX. Ex eo vero, quod potentiſſimus aeque ac iuſtiſſimus Deus eſt, nunc rite colligimus, eum eſſe timendum. Optimas enim nobis tulit leges: latas nemo impune migrabit. Secus ſentire nefas eſt. Ergo nec peccatis ſceleribusque eſt laceſſendus. Namque nec vires illi deſunt, quibus efficere poſſit, vt mox petulantiae ſuae & audaciae legum transgreſſores poeniteat. Ita tamen timendus eſt, vt & amori locus ſit. Meminiſſe ſemper iuuabit, eum & regem potentiſſimum eſſe, & patrem benigniſſimum. Praeclare Thomas: *Deum vt Deum veneror, vt iuſtum tremo, vt bonum amo.* (k) Quod ſi autem offenſus fuerit, iterum erit placandus. Hinc

(k) *opuſc. LXI. cap. III.*

dret, eius, inquam, qui fato sibi destinata aequo fert animo, & in iustis suis actibus placidoque mentis statu, vt ad summam felicitatem sufficientibus libens acquiescit. Antonino suffragatur Seneca: *Magnus animus Deo paret, &, quicquid lex vniuersi iubet, sine cunctatione patietur.* (n)

§. XXXII. Quae hactenus retulimus, cultus interni nomine venire solent. Externus precibus, gratiarumque actionibus absoluitur. Qui quidem cultus an ab homine exigatur, idque an luculenter ex lumine rationis demonstrari possit, sunt, qui dubitant. Sed natura indoleque precum cognita & perspecta, res patebit. Intelligimus autem per precationem, mentis nostrae cogitationumque ad Deum, quem amamus, timemus, & veneramur, & in quo omnem fiduciam collocamus, directionem, qua optamus & expetimus ea, quae ipse Deus, vt sapientissimus, expedire nobis intelligit: siue, vt alii breuius, precatio, interna nimirum, de ea enim nobis nunc sermo est, est *volitio futuri ad Deum directa.* (o) Sic & gratiarum actio est mentis cogitationumque ad Deum directio, qua bonitatem Numinis & propitium eius fauorem extollimus, quod ea indulserit, quae expedire nobis videntur. Tales itaque preces gratiarumque actiones, quae ex cultu

(n) *Epist. LXXIV.* (o) *vid. Placcius l. c. p. 347.*

tu interno fluunt, vel potius ad ipſum cultum internum pertinent, a nobis exigi, extra litem eſt. Etenim ea, quae nobis expediunt, vel quibus indigemus, bona, a Deo non expectare, perinde eſſet ac Dei munera contemnere, ab alio autem quam Deo expetere, idem eſſet ac alium ſibi Deum fingere. Qui ex acceptis autem beneficiis non intelligunt, aut intelligere nolunt Numinis bonitatem, ſeque ideo Numini non deuouent, illi quidem hoc ipſo, a Deo haec ſe munera accepiſſe, inficiantur. Quae cum ita ſint, preces & gratiarum actiones non poſſe ſine ſcelere & piaculo intermitti, palam eſt: quin cum ſingulis momentis nouis Dei muneribus indigeamus, nouis beneficiis augeamur, non aliae quidem cogitationes mentem noſtram occupare debebant, quam preces & gratiarum actiones, modo per adhaerentem omnibus ad alia quaeuis procliuitatem hoc fieri poſſet. Quod vero ad preces gratiarumque actiones ore prolatas attinet, ita quidem eſt, non indiget Deus externis ſignis ad animi noſtri percipiendos ſenſus, cum & intimos mentis receſſus cognitos exploratosque habeat: expedit tamen voce fundere preces, voce praedicare collata in nos Numinis munera, cum animi motus ita magis magisque excitentur, excitati autem facilius foueantur & conſeruentur.

Recte

Recte Auguſtinus: *neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri, niſi motu animi praecedente, non poſſint, iisdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis, qui eos fecit, augetur.* (p)

§. XXXIII. Preces vero vt cultui diuino ſint attemperatae, nec ita fiant, vt hic negligatur euertaturue, neceſſe eſt. Ergo nihil a Numine petendum, quod optare nefas eſt. *Nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam,* recte Seneca monet. (q) Adeoque cum neſciamus, an bona corporis atque fortunae ſemper nobis vtilia ſint, haec ita a Deo petenda, ne diuinae ſapientiae ponamus leges. Namque hoc niſi fiat, Solis ad Phaetonem effatum ad nos quoque pertinebit: *poenam Phaeton pro munere petis.* Hinc & tum demum precibus noſtris locum a Deo relictum iri exiſtimemus, ſi rite fuerint fuſae. Non dubita, *dabitur, quodcunque optaris, ſed tu ſapientius opta.* Omnis quoque in precibus euitanda oſtentatio. Vanae preces ſunt illorum, qui non venerantur Numen. Venerari autem Numen nemo ſine ſubmiſſione ſumma, quae omnem oſtentationem procul faceſſere iubet, poteſt. Formulis precum caute vtendum: ne forte, dum minus ad noſtram conditionem quadrant, illudere Numini ſanctiſſimo videamur, aut ne ore verba recite-

P mus,

(p) *lib. de cur. pro mort. cap. V.* (q) *Epiſt. X.*

mus, quorum vim mente non percipimus. Ceterum formula eiusmodi, ad ductum luminis naturalis concinnata, exhibetur in *Catholico discreto* & in *summa Catholici discreti*. Externi gestus corporis ad omnem modestiam & submissionem sint compositi. Genua itaque flectere, prosternere corpus, & quae alia sunt submissi animi signa, precantes maxime decent. (r)

§. XXXIV. Alterum cultus externi caput est, vt de Numine considerate loquamur. Reuerentiam sacram hanc pietatis speciem non inepte vocat Vincentius Placcius, (s) eamque summa Numinis a nobis exigit maiestas. Ergo nec temere diuino nomine, nec frustra, quis vtatur. Quin enim vtrumque inconsiderate fiat, dubitari nequit. Nec, nisi necessitate vrgente, est iurandum: qui enim putant, omnino non iurandum esse, oppido falluntur. (t) Nec curiose nimis aut petulanter, aut tempore aut loco, quo id minime fieri par erat, de rebus diuinis differendum est, & disputandum. Contra, quoties de rebus sacris verba facimus, summa cum modestia & animi submissione, citra ineptam variae doctrinae ostentationem, istud fiat. (u)

§. XXXV.

(r) *vid. Gauantus in thesauro sacror. rit. lib. I. part. II.* (s) *l. c. p. 351.* (t) *vid. Ioannis Mulleri Anabaptismus, errore XIX.* (u) *add. Beecmannus lin. doctrin. mor. cap. XIV. §. VII.*

§. XXXV. Praeſertim vero ſi iurandum eſt, per ſolum Deum iuretur. Solus enim Deus intimos cordium noſtrorum receſſus ſibi exploratos habet, adeoque iurantium fraudem, ſi fallere forte audeant, intelligit, & tanta inſuper potentia gaudet, vt nemo facile, impune eum irritari, credat. Si quis ergo per rem creatam iuret, ille quidem aut committet, vt vis iurisiurandi in fumum abeat, aut creatae etiam rei virtutes perfectionesque ſoli Deo proprias tribuet. Aſt execrationes tamen iſtas, quibus rem nobis chariſſimam deuouemus, ex hoc quidem capite non damnandas reiiciendasque eſſe, arbitramur. (x)

§. XXXVI. Sed ſanctiſſime quoque & religioſiſſime iusiurandum eſt obſeruandum. Sane qui iurisiurandi religionem habet inſuper, is quidem Deum aut omnia noſſe, aut praepotentem eſſe, hoc ipſo inficiatur: certe eiusmodi hominem parui facere iram Numinis, palam eſt. Hinc & gentes cultiores, aeque ac barbarae, nullum

(x) *vid. Pufendorf. lib. IV. de I. N. & G. cap. II. §. III. Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. XIII. §. X. ſeqq. Setſerus de iureiurando lib. I. cap. I. n. 12. Sanderſonius de iuramenti obligat. praelect. I.*

vinculum, ad adſtringendam fidem iureiurando arctius eſſe, cenſuerunt. (y)

§. XXXVII. Votorum quoque hic inicienda eſt mentio. Licet enim a iureiurando differat votum, non minus tamen ad cultum Numinis pertinet. Hinc & *fidelitatis ſacrae* nomine apud Vincentium Placcium hoc officium venit, quod circa ſacramenta aeque ac vota rite verſatur. Ceterum Deum vota eiusmodi, quae particularia vocari ſolent, a mortalibus non exigere, palam eſt. Quod ſi tamen aliquis in animum inducat, vota Numini nuncupare, ille quidem in hoc intendat neceſſe eſt, ne quid voueat, quod vouere nefas, aut quod ſupra vires mortalium eſt poſitum: non impetu inconſulto ad vota feratur, ſed deliberato animo atque conſilio ea faciat: non denique alium ſibi conſtitutum habeat finem, quam vt aut crimen aliquod deuitet, aut animum gratum ſignificet, Deumque veneretur. Secus quae comparata ſunt vota, cum leges Numinis migrent, animique profani aut ſuperſtitioſi ſint documenta, Deo neutiquam placent, quin non poſſunt non illi eſſe execrabilia. Rite autem concepta & nuncupata, non minus ac ſacramenta, religioſe ſunt obſeruanda: cum, qui iſta violat, impune

(y) *add. Schilterus in manuduct. philoſ. mor. ad iurisprud. cap. II. §. XIII. ſeqq.*

pune ſe Numen laedere poſſe, arbitretur neceſſe eſt. (z)

§. XXXVIII. Ceteras cultus externi partes vnico nunc faſce complectar. Nimirum & iſtud ratio dictitat, vt omne, quod Deo praeſtandum, eximium ſit & praeſtans, quia cum quodam Numinis contemptu coniunctum videtur, ea illi dicare aut conſecrare, quae forte hominibus ſordent. Atque hanc quoque rationem fuiſſe arbitramur, cur Deus, ſacrificiorum leges genti Ebraeae ferens, ſaepe ſeduloque inculcet, vt macula omni & vitio careat, quicquid offerri Numini debebat. conf. *Leuit XX 18. 19. & XXII. 20. it. Deut XV. 21. XVII. 1.* Idque gentiles etiam intellexerunt. De Aegyptiis teſtimonium perhibet Chaeremon apud Porphyrium. (a) De Romanis Virgilius:

Quatuor eximios praeſtanti corpore tauros
ducit, & intacta totidem ceruice iuuencas.

(b) Palam quoque & coram aliis, ſi occaſio ferat, omni metu inſuper habito, colendus &

(z) *conf. Laymannus theolog. mor. T. II. lib. IV. Leonhardus Leſſius lib. II. de I. & I. cap. XL. Molina de I. & I. tom. II. tract. II. diſp. CCLXVII. Seldenus lib. VII. de I. N. & G. & c. c. II. Schilterus l. c. c. I. §. IX.* (a) *Lib. IV. de abſtinent. ab eſu animal.* (b) *lib. IV. Georg. v. 550. add. Hieronymus Magius lib. IV. Miſcellan. cap. IV. Tertullianus Apolog. cap. XIII. Auctor obſeruat. in Natal. Comitem, tit. ſacrificia.*

venerandus eſt Deus. Nefas enim eſt, hominum auctoritatem aut potentiam pluris facere, quam Numinis iuſſa. Hinc illa pietatis ſpecies, quam *profeſſionem pietatis* itemque *confeſſoriam pietatem*, vocat Placcius. (c) Denique & illud pietatis munus eſt, vt diuinis legibus noſtras actiones attemperemus quam diligentiſſime. Neque enim luculentius, Numen ipſum nobis curae cordique eſſe, demonſtrare poſſumus, quam iuſſis eius obſequendo. Iſtud nimirum eſt, quod multi veterum dicunt, dum illum demum recte Deum colere autumant, qui eum imitatur. Ita Marcus Aurelius Antoninus: *Meminiſſe Dei, quodque ille non amat demulceri adulationibus, ſed rationalia omnia ſibi ſimilia efficit.* d) Quae ex Placcii mente hinc enaſcitur virtus, *obſequioſitas ſacra*, itemque *obedientia ſacra externa*, vocatur.

§. XXXIX. Prius autem quam prouehamur vlterius, expendendae nobis quaeſtiones ſunt, de quibus magnis animorum motibus fuit concertatum. De ſacrificiis prima eſt, altera, de certo die cultui Numinis conſecrando. Sane ad illam quod attinet, clariſſimi doctiſſimique viri ſibi perſuaſerunt, cultus diuini, quem ratio mortales docet, haud extremam partem conſtitue-

(c) *l. c. p. 349.* (d *lib. X. §. VII. add. Henricus Morus in enchirid. eth. lib. II. cap. V. pag. 105.*

ſtituere ſacrificia. Taceo Ebraeos, quos in hoc errore verſari mirum non eſt, cum doctrinae, quam animis ſuis firmiter infixam tenent, compages, vt aliter ſentiant, non permittat. (e) Quosdam etiam ex Romanenſis eccleſiae doctoribus, eosque qui Arminii placitis imbuti ſunt, idem ſentire, notius eſt, quam vt a nobis referri debeat. (f)

§. XL. Aſt exploſa eſt haec ſententia iampridem atque reiecta. Nec ſine ratione. Hoc vt euincamus, argumenta Chauuini, quibus eandem firmat, reuocare ſub examen iuuabit. Praecipuum robur primo, quo pugnat, argumento ineſſe videtur. *Hoſtiarum*, inquit, *immolatio euaſit neceſſaria homini Deum amanti, ſiquidem hinc demonſtrabat, ſe Deo pro ſua gratitudine praebere munera, quae hoc pacto illi accepta referebat: illinc teſtabatur, ſeſe in Dei manus plane tradere atque committere, ſub victimarum ſpecie, quae in illius locum ſubrogabantur: nam haec duo videntur nobis primitus inſtituta in ſtabiliendis ſacrificiis.* Sed ponit hic vir

(e) *vid. Abarbanel comment. in legem fol. 228. col. 2.*

(f) *vid. Gregorius de Valentia lib. I. de Miſſa cap. XX. Paulus Burgenſis Epiſcopus in ſcrutinio ſcripturae part. II. diſt. III. cap. XI. Simon Epiſcopius lib. I. theol. de relig. nat. cap. II. Hugo Grotius in comment. ad Geneſ. IV. 3. Chauuinus de rel. nat. part. II. cap. IV.*

doctiſſimus ceu euictum, finem ſacrificiorum non alium eſſe, quam animi grati Deoque deuoti ſignificationem: id quod tamen falſum eſſe, alii, in quorum campis nobis nunc nec metitur nec ſeritur, iamdudum comprobarunt. Praeterea id quidem ratio docet, decere quam maxime homines, vt munera Numinis grato agnoſcant animo, vt ſubmittant ſe eiûs voluntati, eique ſe deuoueant: ſed vnde ſciuerunt priſci mortales, quod per ſacrificia victimasque hoc fieri debeat? & cum mactatio animalium, ſanguinis effuſio, neſcio quid crudelitatis ſecum vehere videatur, nonne facile in eam deſcendere opinionem potuiſſent, offendi potius quam placari hoc cultu Numen? Sane ſua ſponte hinc conſequitur, diuinitus eos fuiſſe edoctos, colendum eſſe Numen imagine iſta, ipſum ſeruatorem hominum luculentiſſime exhibente. Ceterum potuit haud difficulter iſta ratio Numen colendi a primis parentibus ad ceteros homines propagari, vt adeo conſentientes gentium circa ſacrificia mores noſtrae ſententiae inſigne concilient robur, tantum abeſt, vt eam infirment. Nec eſt quod putes, non potuiſſe facile ad omnes gentes per tot ſecula hanc legem diffundi. Etenim, vtut doctrina quaedam facile mente memoriaque hominum excidat, ritus tamen eiusmodi & ſigna-

ex-

externa quam facillime & conſeruantur & propagantur. Sed piget plura addere: cetera enim, quae a clariſſimo viro afferuntur, adeo omni probandi vi deſtituuntur, vt ſua ſponte corruant. (g)

§. XLI. De tempore certo cultui diuino conſecrando ita ſentio, ſalutare admodum, quin quodammodo neceſſarium eſſe, vt quandoque, negotiis ceteris ſepoſitis, cultui Numinis vacemus vnice, mentemque adeo ſenſu quodam diuiniori imbuamus. Reuocanda nimirum interdum mens noſtra eſt a ſeculi rebus, ne, iis immerſa penitus, Numinisque adeo & conditoris ſui immemor, citatis in praeceps eat gradibus. Sed vero & ipſe amor Numinis, modo quis Numen amet, vnumquemque monebit, vt eius ſubinde in memoriam ſibi reuocet beneficia, mentisque ſuae exploret receſſus, ſeque ad Numinis venerationem erigat. Aſt vero, vt vnus ex hebdomade dies, aut ſeptimus dies, huic cultui ex lege naturae deſtinari debeat, id quidem quo pacto poſſit euinci, non video.

(g) *conf. Samuel Rhetor fortis in examine Arminianismi p. 502. Andreas Rivetus exercitat. XLII. in Geneſ. Iacobus Bolducius de eccleſia ante legem lib. I. cap. II. Ioannes Cloppenburgius in ſchola ſacrificior. patriarchal. p. 116. Stuckius de ſacris & ſacrificiis gentilium, Outramus de ſacrificiis, & alii.*

§. XLII. Sunt, fateor, quae cum hac ſententia pugnare videntur. Namque apud plerasque gentes ſeptimi diei Numinis cultui deſtinati, quaedam deprehenduntur veſtigia. Sane & Aegyptiis, & Indis, & Graecis, & Gallis, & Germanis, & Britannis, & ipſis Americanis discreta fuere per hebdomadas temporum ſpatia. Septimum diem ceu ſacrum, carminibus ſuis celebrarunt Heſiodus, atque Homerus. (h) Quin Flauius Ioſephus, ad omnes gentes morem celebrandi ſeptimi diei penetraſſe, diſerte autumat. (i) Ioſepho ſuffragatur R. Gedalia in *Catena Cabbalae*, in confeſſo apud Ethnicos eſſe autumans, vniuerſum orbem ſabbathum celebrare: & auctor libri Cosri ſiue R. Iehuda Leuita Hiſpanus: *an vnquam audiuiſtis de populo aliquo, qui de hebdomade diſſentiat, cuius principium ſit a die primo, & finis in Sabbatho?* (k)

§. XLIII. Hinc igitur nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ipſam naturam gentes edocuiſſe, vt ſeptimum diem Numini ſacrum eſſe iuberent. Iſaacus Atias Iudaeus (l) di-

(h) *vid. Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. fol. 690 Euſebius lib. XIII. praeparat. euangel. cap. VII. p. 677.* (i) *lib. II. contra Appion.* (k) *p. 126. add. Is. Caſaubonus ad Sueton. p. 282. Heraldus ad Tertulliani Apolog. cap. XVI. Riuetus exercitat. in Geneſ. II.*

(l) diſerte docet: *Ethnicis id notum fuiſſe, ac in ipſorum cordibus impreſſum de ſabbathi feria.* Perperam vtique. Etenim, re accuratius penſitata, haud difficulter intelligimus, non quidem ab Aegyptiis, vt Herodotus aſſerit, ſed ab Ebraeis illorumque maioribus, quin primis parentibus, quibus hancce legem poſitiuam promulgauerat Deus, notitiam eius ad omnes dimanaſſe gentes. (m) Illis enim ſuffragari nequeo, qui antiquorum quae afferri ſolent teſtimonia, de ſeptimo die poſt lunae ortum, aut die Apollini in faſtis ſacro, capiunt. (n) A mente enim veterum hoc prorſus abhorret, & diſerte inſuper refellitur a Ioſepho, (o) vt & Theophilo Antiocheno (p) & Tertulliano. (q)

§. XLIV, Vt vero nihil ad rei ſummam proficiunt, qui in ſeptenario numero neſcio quae myſteria quaerunt: (r) ita plane ridi-

(l) *in Theſ. A. 1627. Venetiis editis, part. I. num. 157.* (m) *vid. Hugo Grotius de veritate chriſt. rel. cap. XVI. Pet. Dan. Huetius demonſtr. euangel. prop. IV. cap. XI. p. 227* (n) *conf. Seldenus de I. N. & G. lib. III. cap. XV. Meurſius in denario Pythagorico cap. IX. Rudolphus Hoſpinianus lib. I. de orig. feſtorum. Gomarus lib. IV. de ſabbatho p. 92. 93.* (o) *l. c.* (p) *lib. II. ad Autolycum.* (q) *lib. I. adu. gentes cap. XIII.* (r) *vid. Gellius noct. attic. lib. III. cap. X. Macrobius in ſomn. Scip. lib. I. cap. V. Cenſorinus de*

ridiculi ſunt atque inepti, qui Ebraeorum de flumine ſabbathico, Plinio quoque (s) commemorato, commenta vt euincant, ſeptimi diei cultum ab ipſa ratione praecipi, in ſubſidium vocant. Fabulae enim originem iampridem ſolertiſſime detexerunt Nicolaus Füllerus (t) Bellorius, (u) L'Empereur. (x) Pudere ergo tandem huius commenti Manaſſem ben Iſrael debebat, qui illud denuo reuocare ab orco auſus eſt. (y)

§. XLV. Quod vero alii aſſerunt, rationi eſſe conueniens, vt ſubinde cultui Numinis vacemus, id quidem ita ſe habere fateor, aſt minime exinde conſequitur, ſeptimum ſemper diem huic cultui eſſe deſtinandum. Quid enim obſtat, quo minus aut ſextus, aut octauus illi conſecrari poſſit? Non mirari ergo ſatis potui, non tantum Ebionitas apud Nicephorum, (z) ſed & alios recentiori aetate ita in transuorſum actos fuiſſe, vt ſeptimum diem ex naturae lege

die natali cap. VI. Petrus Bungus de numeror. myſteriis p. 282. Iodocus Clichtoueus de myſtica numerorum ſignificatione cap. VI. (s) *hiſt. natur. lib. XXXI. cap. II.* (t) *miſcellan. lib. I. cap. IX.* (u) *lib. II. obſeruat. cap. LXXXVII.* (x) *not. ad itinerarium Beniaminis Tudelenſis pag. 206.* (y) *concil. ad Exod. qu. XXXVI. add. Galatinus in arc. cath. verit. lib. XI. cap. IX. & Hottingerus in archaeol. orient. part. II. p. 126.* (z) *lib. III. cap. XIII.*

lege cultui diuino sacrum deuotumque esse contenderent. (a)

§. XLVI. Nimirum ita se res habet: vt certum tempus diuino cultui consecremus, ratio iubet. Id omnes fatentur, & supra quoque euicimus. Vt vnus ex hebdomade dies huic cultui destinetur, leges Numinis positiuae, toti hominum generi latae sanciunt; vt vero septimus semper dies destinetur, id eiusmodi est, vt ad leges genti Ebraeae proprias hoc pertineat. Qui ergo illud, quod hac de re a Numine sancitum est, ad naturae leges referre renuunt, si de certo hebdomadis die aut septimo die hoc capiant, ita vt par est sentiunt: sin vero nullum plane tempus cultui Numinis consecrandum esse censeant, turpiter falluntur. Sed pluribus hoc exequuntur Franciscus Gomarus, cui hac de re lites intercesserunt cum Riueto, (b) Antonius Thysius, (c) Ioannes Prideaux (d) & Ioannes Cocceius. (e) Sed & ceteri, qui de Sabbatho ex instituto scripserunt, quos inter Thomas Brodaeus, Capellus, Ellenius, Iosua le Vasseur, eminent, conferri merentur. §. XLVII.

(a) *vid. Nathanael Eathonus inquisit. de sabbatho & die domin. qu. II. Antonius VValaeus de sabbatho cap. V.* (b) *in lib. de sabbatho cap. IV. n. 2. & in defens. cont. Riuet. p. 13. seqq.* (c) *in synopsi pur. theolog. disp. 21. de sabbatho. p. 227.* (d) *tract. de sabbatho p. 64.* (e) *tract. de sabbatho p. 74.*

§. XLVII. Iam cetera perſequi lubet. Et ad ritus quidem quod attinet, quibus ſacra publica peragi ſolent, eos rebus indifferentibus annumerandos eſſe, ratio dictitat. Eo magis tamen liciti erunt & laudandi, quo maiori, ad cultum Numinis internum promouendum, vi pollent. Hinc *ritualitatem ſacram ſeu ceremonialem pietatem* Placcius deriuat. (f) Contra qui impediunt cultum internum, aut animos hominum vlla ratione ab illo auocant, merito reiiciuntur & vt execrabiles a viris cordatioribus damnantur. Enimuero & de ritibus, & de omni cultu externo, rectae rationis lumen ſecutus ita ſentio, ſi mentem Deo deuotam conſecratamque ſecum non habeant coniunctam, non poſſe non iis ad grauiſſimam iram prouocari Numen, tantum abeſt vt placetur, aut reddatur propitius. Id quod prudentiores gentilium perſpectum quoque habuere, & exploratum. Hinc Perſius, (g) & Horatius, (h) impuris hominibus nequaquam prodeſſe ſacrificia, diſerte pronunciant. Plato, (i) & Pythagoras apud Philoſtratum (k) idem docent.

§. XLVIII. Nunc quis finis pietatis ſit, quae eam comitentur, qua via ad eam perueniatur, quae denique cum ea pugnent, pau-

(f) *l. c. p. 350.* (g) *ſat. II.* (h) *lib. III. carm. ode XXIII.* (i) *in Alcibiad. I.* (k) *de vita Apollonii Thyanaei lib. I.*

Digitized by Google

paucis addere, inſtituti leges iubent. Et ad finem quidem quod attinet, is quidem alius quam beatitudo ſumma, ſeu, vt aliis loqui placet, ſummi boni fruitio, eſſe nequit. Etenim natos homines inque lucem editos eſſe, vt ſummae felicitatis participes fiant, ipſum illud mortalium ſummi cuiusdam boni deſiderium, quod inſitum illis eſt, comprobat luculenter. Praeterea nullam rem, praeter ſolum Deum, iis pollere perfectionibus, vt ſummi boni titulum nomenque promereatur, is demum inficias ibit, qui, res creatas perfectiores forte melioresque ipſo conditore eſſe, exiſtimauerit. Nullum igitur ſummum bonum eſt praeter Deum: nulla felicitas ſumma, praeter Dei, vt ſummi huius boni, fruitio. Certe quidem id euidens adeo eſt, vt ſine impietate negari nequeat. Hinc & antiquiſſimi philoſophorum in ea fuerunt ſententia, ſummam hominis felicitatem in fruitione Dei poſitam eſſe. (l)

§. XLIX. Aſt vero dum hic inter mortales commoramur, non eſt quod putemus, nos plene felicitatis huius compotes fieri poſſe. Obſtat tum intellectus, tum voluntatis, nemini non explorata imperfectio. Ergone Deo frui

(l) *vid. Meurſius in denario Pythagorico cap. II. Philippus Mornaeus de verit. chriſt. relig. cap. XIX.*

frui quis perfecte posset, quem nec cognoscere, nec amare, & colere ita vt par est, potest? Recte itaque hinc colligimus, dari aliam, post seculi huius decursum, vitam, quae hoc desiderium exsatiare possit. Sed vero idem quoque ex eo colligitur, quod mentes nostrae non pereant vna cum corpore, postquam domicilium suum deseruere. Non autem interire eas inde euinco, quia materiae omnis corporeaeque molis, id quod vel ex operationibus earum intelligimus, sunt expertes. Quod vero in se non habet, quo dissolui destruique essentia possit, id quidem ex naturae suae conditione perenne est, & in omne aeuum durat. Quin ipsa iustitia Numinis, & immortales esse mentes, & dari aliam post hanc vitam, satis superque euincit. Etenim, cum improbos multos & opibus, & honore, & auctoritate florere videamus, donec infelicem dimittant animam, sane quidem, si illos nulla post hanc vitam maneret poena, aut temere cuncta & fortuito euenire, aut Deum etiam esse iniustum, id quod sine piaculo cogitari nequit, inde consequeretur. De probis eodem modo est censendum, per ipsam summam Numinis bonitatem, fieri secus non posse, quin aeterna illos maneat felicitas, quam non quidem promerentur, promereri enim nihil possumus, cum, si pie viuamus, facimus, quod nostrarum partium erat, sed tamen

men a ſumma nullisque limitibus circumſcripta bonitate merito exſpectant. Sed ad animae immortalitatem quod attinet, pluribus eandem iampridem adſtruxit rationibus Ioachimus Hildebrandus, de *immortalitate animae rationalis ex ſolo lumine naturae apodicticis & topicis rationibus liquido oſtenſa &c.* & ex Carteſii discipulis cumprimis Schwelingius, in *mente immortali certo contra atheos ſcepticosque demonſtrata* itemque Vincentius Placcius in *demonſtratione ſolida immortalitatis animae ex ſolo lumine naturae facta*, & Germanico idiomate ab auctore conſcripta. Conſenſus gentilium hic neutiquam etiam negligendus eſt. Sane Theophilus ad Autolycum, (m) & Auguſtinus, (n) poetas & philoſophos, iuſtitiam, iudicia, poenas & prouidentiam, praedicare, & in eo nobiscum conſentire, iampridem pronunciarunt.

§. L. Quod tamen ad hasce beatorum ſedes nemo rationis lumine tantum colluſtratus peruenire poſſit, id quidem imperfectioni, quae religionem naturalem comitatur, eſt imputandum. Sane quidem cognitionem Numinis rationi innixam non eousque ſuos proferre limites, vt tres in vna eſſentia ὑποστάσεις eſſe inde intelligamus, iam euictum

Q

(m) *lib. II.* (n) *de C. D. lib. XXII. cap. XXV. add. Petrus Daniel Huetius in Quaeſt. Alnetanis lib. II. cap. XXIV.*

ctum est & comprobatum: sed & modum iram Numinis placandi, criminaque, quorum nemo mortalium est immunis, expiandi, ratio plane ignorat. Cultum vero Numinis ipsum, qui ex rationis lumine nobis innotescit, numquam ita comparatum esse, vt esse debebat, ecquis est, qui nescit? Quis vero mortalium non instructus caelitus maioribus viribus Deum supra omnia amauit? quis, dicta rebus creatis plurima salute, soli Numini se deuouit & consecrauit? Cetera taceo. De communi, quae omnium pectoribus insidet, labe hoc saltem addo, magnam illam, quae nos ad deteriora rapit, ad mala quaeuis pronitatem, neminem quidem fugere posse, veteresque philosophos subinde hac de re fuisse conquestos, sed causam tamen rationemque eius detegere non potuisse. Aristoteles quidem ad τὸ συγγενὲς prouocat, (o) dum in mali huius originem inquirit: sed quid sibi velit, non satis constat. Stoici ad materiam prouocant, ne Deum mali causam fateri cogantur. (p) Epicurei, sublata diuina prouidentia, mala sua sponte euenire, docebant. Alii aliter. Sed ratio hic suam prodit infirmitatem. Et qui potest homo haec cogitatione assequi, cum de lapsu

(o) *lib. III. Ethic. cap. vlt.* (p) *vid. Lipsius manu ducl. ad physiolog. Stoic. lib. I. disse* 11. *XV.*

lapſu primorum parentum non aliunde, quam ex ſacris annalibus certiores fieri poſſimus. Mirari ergo ſatis nequeo, Ludouicum Ferrandum (q) ex rationis lumine labem iſtam originalem deriuare voluiſſe, in quo tamen exemplum illi praeiuerat Ioannes Belinus, Bellicenſium Epiſcopus. Equidem fateor, occurrunt ſubinde in gentilium ſcriptis documenta luculentiſſima, quae probare videntur, fuiſſe eos huius rei notitia imbutos. Taceo, quae de Pythagora alibi commemorauimus. Sunt qui de Prometheo quae tradunt poetae, quod humanum finxerit genus, ignemque ſuffuratus de caelo detulerit in terram, Deos vero iratos per Mercurium eum alligaſſe in Caucaſo monte, appoſita aquila, quae ſuccreſcens ſubinde iecur ſemper exederet, ita capiunt, vt primorum parentum lapſum elegantiſſima hac imagine adumbrari, contendant. Etenim ignis caelo ſubductus, quid aliud, inquiunt, quam diuinitatis affectatio? aquila vero iecur Promethei exedens, nonne infixam medullis originis labem refert? Id vero & Horatius (r) comprobat, dum hocce Promethei furtum omnem malorum cohortem mortalium ceruicibus attraxiſſe docet:

(q) *annotat. ad Pſalm. L.* (r) *lib. I. ode III.*

Poſt ignem aetherea domo
Subductum, macies & noua febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi, corripuit gradum.

Sed & quod Plato comminiſcitur, animas mortalium plures ſimul conditas a Numine, & ob neſcio quod ſcelus caelitus dejectas, detruſasque in corpora velut carceres eſſe, idem comprobat. (s) Verum ſi vel maxime Plato, aut ceteri philoſophi de originali iſta labe fuerunt locuti, nondum tamen inde colligere licet, quod ratio hoc illos docuerit. Certe rationis limites numquam ſatis habuere perſpectos, qui ita ſentiunt. Etenim quid obſtat, quo minus & Plato, & ceteri, vt multa alia, ita & hoc, ab Ebraeis, quibuscum illis interceſſiſſe commercia, veterum hiſtoriarum neutiquam nos dubitare ſinunt monumenta, acceperint? (t)

§. LI. Hunc igitur finem licet naturalis religio conſequi nequeat, alius tamen in eius velut ſuccedit locum. Nimirum ad reuelationem quandam, quae certiorem & veram, ad beatitudinem aeternam conſequendam, viam monſtret, inueniendam, nos

(s) *vid. Marſilius Ficinus comment. ſuper Platon. conuiu. orat. IV. cap. IV.* (t) *conf. Huetius demonſtrat. euangel. prop. IV. cap. V. VI. ſeqq.*

nos manuducit. Sane si homo id sedulo secum expendat, sibi, quin cunctis mortalibus. aeternos maximosque subeundos esse cruciatus, nisi Deus viam rationemque ex hisce miseriis eluctandi hominibus monstret, & vero Deum summe bonum esse, adeo vt quin monstrauerit, plane dubitandum non sit, in eam tandem deueniet sententiam, scrutandum & inquirendum sibi esse, num forte tale quid hominibus reuelauerit Deus. Sed hic demum periculosum admodum infinitisque illusionibus, imposturis, & fraudibus circumseptum iter homo ingreditur. Quam multi enim turpissimique errores, quanta deliria reuelationis, sed specialis, titulo superbiunt? Magna itaque prudentia & circumspectione opus est, Sed vt tuto hocce iter quis ingrediatur, iuuabit sedulo obseruare signa, quae veram diuinamque reuelationem non possunt non comitari, eamque a falsa discernere. Praecipua haec sunt: vt omnia ea beatitudinis verae consequendae media, quae ratio ignorat, sufficienter exponat; vt vsque quaque Deo digna sit; vt modus, quo mortalibus innotescit, Deum non dedeceat; adeoque vt verba siue ore proferantur, siue litteris sint consignata, nihil nisi diuinum quid spirent; vt vi quadam & efficacia singulari polleat, quae ipsum Deum auctorem prodat & luculenter testetur;

pitized by Google

vt antiquitate ſe commendet; vt promulgatio, propagatio & conſeruatio eius diuinitatem arguant; vt hinc facile conſtet, ceteras reuelationes falſas eſſe, & meras impoſturas. Haec omnia ſi probe obſeruentur, ſtatim ſedulus harum rerum ſcrutator intelliget, gentilium aeque ac Muhamedis illepidiſſima figmenta, reuelationum diuinarum titulo plane iudigna eſſe: contra in diuinis litteris, quibus Chriſtianorum coetus regitur, viam ad beatorum ſedes vnice inueniri. (u)

§. LII. Quem hactenus conſiderauimus, pietatis finis, ſi dicendum quod res eſt, ad theologiam naturalem ſpectat. Iam vero & alius eſt, ciuili doctrinae proprius, ſed priorem neutiquam excludens. Pietas enim eſt fons & ſcaturigo, quin ſtabilimentum omnium officiorum, quae homini tum erga ſe, tum erga alios ſunt praeſtanda: eſt ſane vltimum firmiſſimumque humanae ſocietatis vinculum. Siue enim Deum eſſe quis inficietur, ſeu eundem non colat, is quidem migratis naturae legibus, ea omnia facere, ad quae libido aut turpis lucri cupido, ambitioque, illum impulerint, non dubitabit. Paucis: ſublata religione quadrata miſcentur rotundis, nec iuſtitiae, nec vlli alii virtuti erit locus, quin vnusquisque

(u) *conf. Placcius in philoſ. moral. plenior. fructu praecipuo, cap. III.*

que tantum ſibi licere putabit, quantum libet. Fruſtra quoque ab imperantibus ſperabitur praeſidium, ſi illis religio praeſidio non ſit. Rupto enim pietatis vinculo, quid eſt, quod cohibere homines maleferiatos poſſit, quo minus in ipſos principes omnem effundant furorem, quoties aut auaritia, aut libido, aut petulantia hoc iuſſerit, praeſertim quoties impune hoc fieri poſſe putant. Recte Lactantius: *Timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur.* (x)

§ LIII. Denique vt virtutum omnium, ita & pietatis ea eſt conditio, vt ad eam rite colendam animus ſit erigendus & excitandus. Morali ergo doctrinae proprium eſt, ſaltem eſſe debet, certa hunc in finem ſuppeditare media. Ad pietatem itaque excitandam & fouendam multum conferent hae regulae: Humilitati operam demus. Haec enim, vt praeclare Henricus Morus ait, *mundanis cupiditatibus nos auferri non ſinit, nec humanarum rerum ſplendore & ſtrepitu, vt pueros picturis & crepundiis, vehementius oblectari.* Temperanter viuamus. Voluptates enim, quicquid praeclari & diuini in mente noſtra eſt, ſupprimunt & extinguunt, & ad diuina cogitanda & tractanda in-

(x) *conf. Pufend. lib. I. de offic. hom. & ciu. cap. IV. §. IX.*

ineptos nos reddunt. Semper cogitemus, quantum dedecus ſit, conditorem noſtrum, a quo tot in nos quotidie proficiſcuntur munera, contemnere aut illi illudere. Poenas, quae improbos, & quae probos manent praemia, ſedulo ſunt expendenda. Precibus implorandum Numen, vt nobis ſemper gratia ſua praeſto ſit, vt nihil improbe cogitemus aut committamus. (y) Ceterum vt pietas chriſtiana hic longe praeſtantior eſt pietate philoſophica: ita & diuinae litterae longe praeſtantiora ad hanc excitandam, & fouendam, media ſuppeditant.

§. LIV. De impietate nunc, quae cum pietate pugnat, diſſerendum nobis eſt. Denotat autem nobis impietas eiusmodi vitium, quo nec de Deo recte ſentimus, nec ita vt par eſt, eundem colimus. Vt autem rectus verusque de Numine ſenſus eiusque cultus variis officiis abſoluitur, ita & impietatis diuerſas eſſe ſpecies neceſſe eſt, prout quis aut hunc aut alium de Numine errorem fouet, aut etiam illud alio alioque modo, ex ſuo arbitrio, colit.

§. LV. Vt ergo primum notitiae, qua de Numine per naturam imbuti ſumus, caput erat, Deum eſſe, ita & prima impietatis ſpecies erit atheismus. Nimirum in ar-

(y) *add. Henricus Morus in enchirid. p. 184. & 204.*

arctiori significatu vocem accipimus. Ceteroquin enim omnem impietatem, aut eam praecipue, quae cum ceteris notitiae naturalis partibus pugnat, denotare solet. Equidem an dentur homines omnis plane de Numine sensus expertes, saepius inter viros eruditos quaesitum memini. Ego ita sentio, veritatis quidem omnis, huius tamen cumprimis, quae Deum esse docet, tantam vim esse, tantam de se eam spargere lucem, vt nullus vnquam homo extiterit, qui non plane eius rei fuerit conuictus, licet ipse euellere forte hanc notitiam aut eradicare, omni ope annisus fuerit, aut etiam ad tempus sibi persuaserit, non esse Numen. Interim quosdam eousque furoris processisse, vt stulta atque insana temeritate verbis aeque ac facinoribus suis Deum inficiari ausi fuerint, nemo, nisi qui animum rudem ex antiquis pariter ac recentioribus annalibus retulerit, abnuet. Equidem iam apud ethnicos nonnullis ἀθεότητος crimen inustum fuit. Sextus Empiricus, (z) Epicurum, Protagoram, Diagoram, Theodorum Cyrenaicum, Euemerumque atheis annumerat. (a) Sed vt Epicurum Cicero, (b) & Protagoram La-

(z) *lib. VIII. contra mathem. p. 307.* (a) *add. Petauius dogmat. theol. tom. I. lib. I. cap. I.* (b) *lib. I. de nat. Deor.*

Digitized by Google

ctantius, (c) ita & alii ceteros hocce crimine liberarunt. (d) Etenim perquam ſolenne erat gentilibus, omnes, qui ſuperſtitionem, quae animos illorum occupauerat, execrabantur, arguere impietatis & ἀθεότητος, adeo quidem, vt ipſis chriſtianis id obiicere auſi fuerint. Hoc vero cum parum penſi haberent nonnulli ſcriptores, chriſtianorum quoque ſacris initiati, incautius gentilium preſſerunt veſtigia, & eos itidem pro atheis venditarunt, quos criminis huius reos peregit ſuperſtitioſa gentilitas.

§. LVI. Recentiora ſecula eiusmodi tuliſſe monſtra palam eſt. Ecquis enim Benedictum Spinozam, ceterosque, dignos vtique, quorum nomina memoriamque aeterna nox premat, ignorat? Quin eousque veſania illorum progreſſa eſt, vt ſpeciem quoque & ornatum conciliare turpiſſimo errori auſi fuerint: quos inter Spinoza quidem prae ceteris eminet: Sed retuderunt veſaniam horum hominum quamplurimi, Franciſcus ſcilicet Cuperus in *arcanis atheismi reuelatis*, Petrus Serrarius in *libro contra atheos*, Henricus Morus in *antidoto aduerſus atheos*, Birckerodius in *exercitationibus contra atheos*, Chriſto-

(c) *lib. I. de falſa relig. cap. XI.* (d) *vid. Gerhardus Ioannes Voſſius lib. I. de orig. & progreſſ. idololatr. cap. I. & Mornaeus de veritate Chriſt. rel. cap. I.*

Digitized by Google

ſtophorus Franckius in *atheo conuicto*, Burcherus Volderus in *diſputationibus contra atheos*, Petrus Yuo, in *impietate conuicta*, & alii. Seriem vero atheorum, omnemque atheismi hiſtoriam haurire licet ex Marini Merſenni *comment in Geneſ.* Gisberti Voetii *diſput. de atheis & atheismo*, (e) Theophili Spizelii *ſcrutinio atheismi hiſtorico-aetiologico, & epiſtola eiusdem* ad Antonium Reiſerum de *atheismo eradicando*, itemque ipſius Reiſeri *diſſertat. epiſtol.* ad Spizelium de *origine, progreſſu, & incrementis atheismi.*

§. LVII. Id ſaltem hic praetermittendum non eſt, plerosque, ſi non omnes, atheos, poenarum metu aut numquam, aut raro admodum prodire in lucem, ſed mentem ſuam ſententiamque callide occultare, aut ea ſaltem proferre, quibus, velut per ambages, homines ad hocce impietatis faſtigium ducant. Hinc vtique prudentis hominis eſt, per certa ſigna, atque notas, malitiam fraudemque horum hominum detegere ſolerter. Non facile autem nobis imponet obiecta impietati nubes, modo obſeruemus, poſitum in more eſſe id genus hominibus, naturam vbique crepare, ad vniuerſum, ceu rerum omnium cauſam & fontem prouocare, fatalem mortalibus obtrudere neceſſitatem, libertatem illis abiudi-

e) *tom. I. diſp. ſelect.*

iudicare, vocare in dubium, quae naturae vires ſuperant, miracula aut inficiari, aut ad naturales cauſas reuocare, non adhibere fidem illis, quae de apparitionibus & operationibus ſpirituum a ſcriptoribus fide dignis traduntur, diuinarum litterarum eleuare auctoritatem, impugnare diuinitatem, imperfectionis aut contradictionis eas arguere, litterarum ſanctiores ſedes vilipendere, ceteros doctores vt ſtupidos & minus perſpicaces, aut parum ſapientes, aut praeiudicatis opinionibus imbutos traducere, & ſubinde ſatyrico perfricare ſale, impietatis contra magiſtros, vt homines eruditos, ingenioſos, ſubtilitate omnibus ſuperiores oſtentare, laudare, tollere in caelum impias, opiniones referre & frigide impugnare, aut pro eiusmodi venditare, quae dilui aut refelli non poſſint, contra ſcripta illorum, qui impietatem ſerio impugnant, acerbe perſtringere, morum integritatem prae ſe ferre, in clandeſtinis autem congreſſibus omne effundere virus, & quae id genus alia ſunt. Sed circumſpectione ſumma hic opus eſt, ne temere atheismi notam probis & cordatis viris inuramus. Siquidem hisce tum demum probandi vis ineſt, ſi iuncta ſint inter ſe aut omnia aut pleraque, ſique nobis cognita accurate ſint & explorata.

§. LVIII. Vnitati Numinis opponitur poly-

polytheismus gentilium. Etenim vtut ratio, vnum saltem esse Deum, luculentissime doceat, infernalis genii fraus tamen tantam mentibus mortalium caliginem offudit, vt parum illis esset, res creatas divinis prosequi honoribus, quin plures etiam & fere infinitos sibi finxit Deos sibi relicta improbitas. Hinc caelum & terram, vrbes & templa, ipsasque culinas diis suis compleuit dirus error. Fidem superat, quod a nonnullis memoriae proditum est, vnicam vrbem Athenienſem tot coluisse Deos, vt incolarum numerum multitudine si non superarent, certe adaequarent. Operae pretium erit, ad gentilium impietatem eo rectius intelligendum, illos consulere scriptores, qui de illorum religione & idololatria ex instituto commentati sunt, quos inter Gerhardus Ioannes Vossius eminet, itemque Seldenus, & Schedius, quorum ille Syrorum, hic Germanorum idololatriam exhibuit: de Romanorum autem impietate doctissimus Choulius exposuit, *de la religion des anciens Romains.*

§ LIX. Fuerunt quidem inter ipsos ethnicos, qui rectius saperent, vnumque Deum, ratione magistra edocti, colerent. Hi ipsi autem polytheismum ita excusatum ibant, vt, quam fabularis historia exhibet multiplicem Deorum turbam, vnum eundem-

demque esse Deum, pro variis effectis varia nomina sortitum, contenderet. Inter Stoicorum dogmata haud postremum istud fuit, vnde & prorsus ex illorum mente Diogenes Laërtius: ὁ θεὸς πολλαῖς προσηγορίαις ὀνομάζεται κατὰ τὰς δυνάμεις. *Deus pluribus nominibus appellatur, vt sunt potestates* (f) Quam male autem hoc commento sibi consuluerint, docet Augustinus. (g)

§. LX. Ex christianis in polytheismi vitium iterum inciderunt illi, qui ingentem illam sanctorum sanctarumque turbam, obtrudere mortalibus annituntur. Recte id obseruat Petrus Chauuinus: *Tota*, inquit, *familia tua, O! Iupiter, reuocata est, atque adoratur, sub obtentu tot diuorum, qui nunc inuocantur, nec est, quod irascaris de tua religione deserta.* (h) Non me fugit, quid ad polytheismi suspicionem amoliendam regeri soleat, nec id nescio, esse in illorum coetu, qui satis caute loquuntur, sed nihil ad rei summam profici, quamdiu diui diuaeque palam inuocantur, ab aliis iam est euictum.

§. LXI.

(f) *in vita Zenonis: add. Plutarchus de Iside & Osiride. Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XVII. Iulianus orat. in solem.* (g) *lib. IV. de C. D. cap. XI. add. Lactantius lib. IV. diuin. institut. cap. III.* (h) *de relig. nat. part. I. cap. V. pag. 52.*

§. LXI. Cum perfectione Numinis pugnat cacozelia. Ita enim cum recentioribus quibusdam vocare nobis liceat illud vitium, quo imprudenter Deo talia quis tribuit, quae illi tribui non debebant, aut cum ſumma eius perfectione pugnant. Hic plerique, ſi non omnes, gentilium rurſus redarguendi ſunt, qui Deum corporeum ſibi finxerunt. Enim vero cum ſpiritus perfectior ſit corpore, iniurius vtique eſt in Numinis maieſtatem & perfectionem ſummam, qui corpus aut membra corporea illi tribuere auſus fuerit. Procul itaque faceſſat tota Anthropomorphitarum cohors, quibus exemplum praeiuit Epicurus, teſte Cicerone. (i) Sed & Tertullianum, aliosque eccleſiae doctores huius erroris non immunes fuiſſe, quem Conradus Vorſtius infelici conatu ab orco reuocauit, conſtat. (k)

§. LXII. Ad opera Dei quod attinet, mundum a Deo conditum eſſe, ſupra euictum eſt. Impietatis ergo rei ſunt, qui id inficiantur. Inficiati tamen ſunt non pauci, praeſertim ex ethnicis. Ariſtotelem, Plinium, Proclum, Auerroëm, Simplicium & alios, in hoc verſatos fuiſſe errore, notius eſt, quam vt hic dici debeat. Ante Ariſtote-

(i) *lib. II. de nat. Deor.* (k) *add. Petrus Daniel Huetius in Origenianis p. 29. 30.*

telem ex Graecis philoſophis neminem ita ſenſiſſe, teſtatur Auerroes. (l) Rectius Epicurus, quem Lactantius (m) hoc nomine laudat, quod auctore Democrito mundum & ortum eſſe, & periturum aliquando, exiſtimauerit. Aſſid perperam addidit, caſu hoc fieri. Plato non minus productum a Numine mundum exiſtimauit, ſed ita, vt ſemper extiterit. (n) Stoici quidem ſapere hicprae ceteris videntur, ſi Lipſio credimus. (o) Sed tamen, ſi accuratius cuncta excuſſeris, ad infinitam illam periodorum conuerſionem fatorumque numquam interruptam ſeriem, cuncta redeunt, id quod accurate oſtendit Iacobus Thomaſius. (p)

§. LXIII. Hinc Epicureismus ſequitur, ab auctore & propugnatore praecipuo denominatus error, qui Deum a mortalium rebus, quin toto orbe procul remouet, prouidaque Numinis cura cuncta regi, abnuit. Et ſediſſe quidem menti Epicuri hanc ſententiam dubitari nequit, cum ex epiſtola eius ad Herodotum, itemque ratis ſententiis, & iis, quae Diogenes Laërtius

(l) *ad lib. I. de caelo text. 102.* (m) *lib. VII. inſtit. diu. cap. I.* (n) *vid. Iacobus Thomaſius de exuſt. mundi Stoica diſſert. III. ad theſ. VIII.* (o) *in phyſiol. Stoic. lib. II. diſſert. VIII.* (p) *l. c.*

tius refert, (q) hoc palam fit. Sed confecerunt hunc errorem exquisitis argumentis ex veteribus quidem Athenagoras, r) ex recentioribus Petrus Gassendus, ceteroquin Epicuraeae sectae vindex. (s) Leucippum atque Democritum in eodem errore fuisse, discimus ex Stobaeo. (t) Heraclitum addit Nemesius, (u) Stratonem Cicero, (x) qui & Dicaearchum existimasse refert, indignum esse Numinis maiestate, causas omnium rerum introspicere, vt videat, quid cuique conducat.

§. LXIV. Prope etiam ab hoc errore & impietate absunt, qui minimarum saltem rerum aut terrestrium, aut singularium, aut hominum, Deum nullam gerere curam arbitrantur. Sane quidem ipse Hieronymus (y) indignum plane esse putat, ad hoc maiestatem Numinis deducere, vt sciat, quot nascantur per singula momenta aut pereant muscae, cimicesque. Hominum vero res non curari a Numine, itidem non pauci sibi omni tempore persuaserunt. Facile enim, Lactantio iudice, in huncce er-

(q) *lib. X. de vit. philos.* (r) *legat. pro christian. p. 284.* (s) *not. ad lib. X. Diog. Laertii T. III. opp. & phys. sect. I. lib. IV. p. 32. T. I. opp.* (t) *Eclog. phys. eclog. XXV.* (u) *de natura hominis cap. XIII.* (x) *lib. IV. quaest. academ.* (y) *comment. in Habacuc.*

rorem incidere poterant homines, quoties animadue:tebant, improbis cuncta bene & ex animi ſententia fluere, probis vero nunquam fere non cum magnis miſeriis & calamitatibus eſſe colluctandum.(z) Cui robur addit exemplum Danaes, Leontii Epicuraei filiae, apud Athenaeum. (a)

§. LXV. Non minus in diuinam prouidentiam iniurium eſt fatum Stoicum. Non deſunt quidem, qui fati nomen in mitiorem detorquent ſenſum. Geneſius Sepulueda, (b) *fatum*, inquit, *nihil aliud eſt, quam ipſa natura, & quod natura fit, fato fieri dicitur.* Iuſtus Lipſius autem ipſam prouidentiam diuinam, fati nomine deſignari, contendit. (c) Hinc poſtquam retulit, a Stoicis tam fortiter diuinam prouidentiam aſſertam propugnatamque fuiſſe, vt *fatidica anus Stoicorum* appellata ſit, ſubiicit exultabundus: *ſed ades noſtra anus ades amanda nobis ſupra omnes Veneres, & Venerum amores.* Verum accuratius ſenſum mentemque Stoicorum ſcrutantibus perſpectum iampridem eſt & exploratum, fatum Stoicis nihil aliud eſſe, quam συμπλοκὴν, *complicatio-*

(z) *lib. III. diuin. inſtitut. cap. XVII. add. Ambroſius lib. III. de offic. cap. XIII.* a) *lib. XIII. dipnoſ. add. Gellius noct. attic. lib. XVII. cap. II.* (b) *lib. I. de fato.* (c) *lib. I. phyſiol. Stoic. diſſert. XI.*

cationem cauſarum omnium, ἀπαράβατον *indeclinabilem* ſiue *immutabilem*, vt ipſe Chryſippus iſtud definiuit. Et hanc fati immutabilitatem eousque extenderunt, vt Deum hominesque illi ſubiicerent, illi quidem ſummam potentiam, hisce libertatem, ereptum euntes. Demonſtrauit id praeclare Iacobus Thomaſius. (d)

§. LXVI. Perſequenda nobis nunc ea vitia ſunt, quae cum vero Numinis cultu pugnant. Infinita vero ſcelerum hic ſe nobis offert cohors, vt difficile admodum ſit, nominibus peculiaribus ea a ſe inuicem discernere. Iuuat tamen ire per praecipua, vt, iis rite cognitis, vera pietas magis exſplendeſcat. Triplici autem potiſſimum ratione iſta naturae lex, de colendo Numine, violatur. Primo quidem ſi Deus plane non colatur, deinde ſi res creata vt Deus colatur, denique ſi non eo modo colatur, quo ex rationis aut reuelationis praeſcripto coli debet. Hinc ergo deismus, idololatria, & ſuperſtitio, ſuam trahunt originem.

§. LXVII. Deismus itaque eſt vitium, quo Deum quis plane non colit. Equidem quam horribile & varium monſtrum deismi voce tegatur, non ignoro: nec id me fugit, deiſtas quosdam ab atheismo prope abeſſe, aut ſaltem cum Epicuro,

(d) *de exuſt. mundi Stoica diſſert. XIII. ad theſ. XII.*

quod Deus prouida cura res mortalium regat, inficiari; ſed tamen, ſi ad vſitatiorem vocis ſignificatum attendamus, haud fine ratione iſtud vitium, quod aliis atheismus practicu audit, deismi voce inſigniri, patebit. Sane quidem Ioannes Laurentius Lucheſinius Lucenſis, (e) atheos a deiſtis ita discernit, vt illos nullam agnoſcere diuinitatem, hos agnitam nullo dignari cultu, aſſerat. (f)

§. LXVIII. Idololatria autem eſt vitium, quo rem creatam diuinis proſequimur honoribus. Et licet cum polytheismo, & idolologia, vt alii vocant, nunquam fere non coniuncta ſit, nihil tamen obſtat, quo minus haec ita diſcernamus, vt hanc ad peruerſum de Numine ſenſum, illam ad cultum prauum referamus. In latiori etiam vocem idololatriae accipimus ſignificatione, quam vt ſolum imaginum & ſimulacrorum cultum denotet; quin omnem cuiuscunque rei creatae cultum ea deſignamus. Qui ergo genios, ſtellas & ſidera venerantur, qui heroes adorant, qui ipſos daemones malos diuino honore proſequuntur, aut ſi qui alia ratione cultum Numini praepotenti proprium creatae rei tri-

(e) *in noua copia & ſerie centum euidentium ſignorum verae fidei p. 550.* (f) *add. Chauuinus lib. I. de rel. nat. cap. II.*

tribuunt, ii omnes huius criminis rei ſunt. Legendus eſt ea de re R. Iſaac Abarbanel in *comment. ad II. Reg. XVII. 7.* vbi praecipuas idololatriae ſpecies recenſet.

§. LXIX. Inter reliquas eminet magia. Et huius quidem iterum multi variique ſunt modi. Ad diuinatoriam, quam vocant, oracula tum ethnicorum, tum chriſtianorum ſpectant. Etenim caeleſtis doctrinae luci tantam offudit quandoque caliginem infernalis genius, vt neſcio quas diuorum diuarumque ſtatuas conſulere, indeque in rebus dubiis petere reſponſa, non dubitaverint maleferiati homines. Commercia quoque cum geniis, quos *ſpiritus familiares* vocant, itidem recte huc retuleris, cum, in quamcunque etiam ſe vertat partem impietas, qui iisdem gaudent, non poſſint initi cum daemone malo foederis crimine liberari. Quin & foeditatem omnis μαντείας illis non ſatis perſpectam credo, qui vanitatis ſaltem eam arguunt. Procul ergo faceſſere iubeat homo pius omnem ἱεροσκοπίαν, πυροσκοπίαν, ἰχθυομαντείαν, ἀνθρωπομαντείαν, ὀρνιτομαντείαν &c: multo magis execretur omnem γοητείαν, νεκρομαντείαν &c. & quidquid ineptiarum aut olim excogitauit, aut hodie ab orco reuocat, hominum impietas. Ab ethnicis enim ad Chriſtianos haec & alia impietatis genera deriuata

esse, vel *ψευδομαντεία* documento est luculentissimo. (g) Praestigiatoriam vero & effectiuam, vt vocari solet, magiam damnare & reiicere vt idololatricam eo minus dubito, quo magis, qui daemoni malo in ea exhibetur cultus, inde eluceſcit. Plura qui cupit, Bodinum, Wierum, Peucerum, & alios, qui infernalis genii impoſturam & hominum illi addictorum vanitatem, & impias artes delineant, conſulat.

§. LXX. Ceterum, licet craſſioris idololatriae varia genera ethnicis vſurpata, ex iis ſaltem orbis partibus, quibus benignius doctrinae caeleſtis affulſit ſidus, penitus profligata videantur, imaginum tamen cultum & hodie ſubinde obtinere, nemo ignorat. Neminem autem, ſine ſummo & inexpiabili crimine, imagines venerari, in aprico eſt. Sane qui imagines colit, aut ipſa ſimulacra diuinitate quadam gaudere arbitratur, aut per imagines verum ſe rite venerari Deum, ſibi perſuadet. Illud ſi autument, idololatriae manifeſtae rei ſunt, minusque ſapiunt ipſis gentilibus prudentioribus, qui huncce errorem ſaepius execrati ſunt. Omnium inſtar ſit Horatius, (h) qui,

(g) *conf. Aelius Spartianus in Adriano cap. II. & Iſaacus Caſaubonus ad h. l. p. 19. add. Auguſtinus lib. IV. confeſſ. cap. III.* (h) *lib. I. ſat. VIII.*

qui de Priapo verba faciens, acriter hanc insaniam perstringit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego furum aui- (*unque*
Maxima formido.

Hoc vero si asserant, saltem quo pacto a superstitionis crimine liberari possint, non video. Etenim tantum abest, vt aut ratio, aut reuelatio huncce modum colendi Numen commendet, aut approbet, vt potius reiiciat, damnet, execretur.

§. LXXI. Superstitio denique cetera vitia omnia circa cultum Numinis comprehendit. Tot vero superstitionis sunt genera, tam infinita cohors, vt omnium inire numerum velle, res plane supra hominum vires posita sit. Praecipue autem rei sunt huius impietatis, qui modos colendi & placandi Deum ipsimet sibi fingunt & comminiscuntur. Pertinent huc inepti illi homines, qui tum demum propitium sibi fore Deum credunt, si certo vtantur vestimentorum genere, aut nudis incedant pedibus, aut cibis suetis se abstineant. Sic insigne superstitionis exemplum posteris praebent Pattolorynchitae, Epiphanio memorati, qui digitum tanquam palum ori admouebant, idque qui non faciebat, eum parum pium esse, superstitione

ducti, clamitabant. Ceterum & illi hic peccant, qui puerili quacunque de cauſa percelluntur metu, & quoscunque euentus irae Numinis imputant, qui actiones licitas etiam peccatis annumerant, qui pietatis, quam prae ſe ferunt, ſtudio, etiam quae ex charitatis lege praeſtanda erant, intermittunt, itemque quos externus Numinis cultus eousque occupat, vt valetudinis illi poſtponant rationem, & quae id genus alia ſunt. Quin nihil obſtat, quo minus cum nonnullis huc referamus omnem pietatis reſtrictionem, omnem fictionem ſeu ſimulationem, cultum ambitioſum & vanae gloriae affectatione inſtitutum, illum quoque, qui emolumenti ſaltem cauſa exercetur, qui externis & ſpecioſis adhaeret, neglectis internis, qui cum auſteritate & ſeuera aliorum cenſura eſt coniunctus, qui minutias ſcrupuloſe ſectatur, grauiora praetermittit, aut qui maiora ſaltem obſeruat, minorum nulla habita ratione. (i) Eiusdem criminis merito arguuntur, qui quasdam de cultu Numinis leges obſeruant ceteris neglectis, & ita ſe munere ſuo ſatis praeclare functos eſſe exiſtimant, qui ſingularem cultus rationem affectant, qui miracula & reuelationes fingunt, diuinarumque

(i) *conf. de la Volpilier in libro cui titulus: le caractere de la veritable & de la fauſſe pieté.*

que litterarum ad ſuos errores firmandos abutuntur auctoritate, qui ritus indifferentes rigoroſe obſeruant, qui Deum ita colunt, vt improbis etiam hominibus ſe probare ſatagant, qui diuini cultus rationem ſuo genio ſuisque cupiditatibus attemperant, qui inconſulto impetu abripiuntur, qui praemii cupidine aut poenae metu Deum colunt, qui nimis curioſi ſunt & ſcrupuloſi, & qui denique in ratione cultus diuini ſibi non conſtant. Sed latiores voci ſuperſtitionis limites conſtituere oportet, ſi haec vitia omnia ſub ambitu ſuo complecti debeat.

§. LXXII. Ceterum, vt hactenus ſumma ſaltem capita vitiorum cum pietate pugnantium indicauimus, ita deſcendere ad ſingula in procliui eſſet, ſi inſtituti leges hoc permitterent. Iuuat tamen, per apices ſingulorum decurrendo, quaedam delibare. Nimirum contra mentis tum intelligentis, tum iudicantis pietatem, non tantum athei, Epicuri alumni, deiſtae, ceterique profani homines ſupra commemorati peccant, ſed & illi, qui res diuinas non ea, qua par erat, attentione & meditatione proſequuntur, aut aliis rebus cogitandis ita occupantur, vt numquam vel raro admodum Numinis rerumque diuinarum eos ſubeat recordatio, vel, ſi ſubeat, non ita in grauiſſimo hocce negotio ſe gerunt, vt

ex rationis praeſcripto ſe gerere debebant. Rurſus in hunc profanorum hominum ordinem redigendi ſunt, qui plane non curant, quae aut ratio de Numine dictitat, aut lumen quoque reuelatum, ad quod ratio eos ducit, inſuper habent, vel plane in dubium vocant, qui per ſupinam ignauiam & execrabilem errorem perinde eſſe putant, quibuscunque ſacris initiati ſint, qui in veram religionem non ita, vt decebat, inquirentes, neſcio quas fingunt & comminiſcuntur reuelationes, aut errores, qui animis illorum inhaerent, ad doctrinae caelitus traditae aut rectae etiam rationis ductum corrigere & emendare recuſant, aut a veritate ad errorem religionemque falſam deſciſcunt, aut fluctuant ancipitesque haerent, quid arbitrari de Numine deceat, aut denique mente cogitationibusque ſuis idola ea tribuunt, quae ſolus Deus ſibi vindicat. Haec, & alia vitia huc ſpectantia, ſuis rite discreuit & inſigniuit nominibus Vincentius Placcius. (k)

§. LXXIII. Cultum vero Numinis, qui ex voluntate hominis fluit, parum penſi habent. qui Deum non amant, qui non ſupra omnia amant, qui propter aliud quid eum amant, qui non ceteris rebus omnibus in gratiam Numinis plurimam dicunt ſalutem, qui non Deo tantum pla-

(k) *medic. moral. part. III. cap. II. p. 305. ſeqq.*

placere ſtudent, qui non venerantur Numen atque adorant, qui non placere iram eius ſceleraque ſua expiare annituntur, qui dictis promiſſisque diuinis non adhibent fidem, aduerſa iniquo animo ferunt, & neſcio quam fortunae iniquitatem inepte & impie ſemper accuſant, qui diuinae voluntati in omnibus ſe non ſubmittunt, aut ceteris denique cultus interni partibus, prolixius ſupra enumeratis, non rite funguntur.

§. LXXIV. Non minus vero externus Numinis cultus, quam internus, ſua ſecum aduerſa fronte pugnantia vitia habet. Nimirum rationis leges itidem migrant, qui preces aut nunquam, aut non ita, vt ratio iubet, fundunt, qui inconſiderate de Numine rebusque diuinis verba faciunt, qui per idola resque creatas iurant, qui iurisiurandi votique religionem inſuper habent, qui metu perculſi Deum palam colere & venerari renuunt, qui ſuos ad leges diuinas non componunt mores, qui externis circa religionem & ſacra ritibus inhaerent. Paucis: omnes illi perperam agunt, quos externus cultus aut aliae actiones ita occupant, vt interno non ſit locus, vel vt inde impedimenta & obſtacula ei obiiciantur.

S. D. G.

EXER-

EXERCITATIO

IVRIS NATVRALIS,

DE

IVRE BELLI

CIRCA

RES SACRAS.

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XVI. NOV. ANNO M DC XCV.

RESPONDENTE

MATTHIA IACOBO WAHL,

STRENZ. NAVND. SAX.

Σύνοψις.

Bellorum incommoda, §. I. In iis nonnulla iniusta esse creduntur; quae tamen non iniusta sunt, vt exemplo eorum, quae circa res sacras contingunt, probari potest. §. II. Quid res sacrae, ecclesiasticae, religiosae? §. III. Rerum sacrarum, praesertim templorum consecratio, & horum apud christianos origo, §. IV. Consecratio templorum in ecclesia Romanensi vsitata, superstitione non caret, §. V. An res sacrae christianorum Romani pontificis dominio sint subiectae? §. VI. VII. In bello mores gentium circa res sacras non conueniunt, cum aliae ab earum vastatione abstinuerint, §. VIII. aliae non item; speciatim de Romanorum institutis, §. IX. Quid Ebraeis hic receptum, speciatim de lege diuina, fana & lucos gentilium destruere iubente, §. X. A moribus gentium ad ius naturae transitur; ex quo vt definiatur, quid circa res sacras in bello liceat, ponitur, res sacras in dominio esse imperantis, §. XI. Et hinc colligitur, quicquid in res imperantis aut ciuitatis licet, hoc etiam licere in res sacras, §. XII. adeoque & has deuastari posse, si belli ratio hoc exigat, §. XIII. Sacris tamen rebus magis parcendum, quam reliquis: ab iis autem, qui diuinitatem iis inesse per errorem credunt, neutiquam violandae sunt. §. XIV.

XIV. Rationes illorum, qui res ſacras ſemper in bello inuiolabiles eſſe cenſent, refelluntur, §. XV. An & quousque rerum ſacrarum dominium ad victorem transeat, docetur, & diſſertationi finis imponitur. §. XVI.

§. I.

SAeua res bellum eſt, cumulumque ſecum trahit iniuriarum & inſolentiae. Nullum crimen tam turpe, cuius non miles peragatur reus. Mox arguitur iniuſtitiae, mox humanitatis tranſiliit limites, & crudelis audit, mox ſacrilega impietate ſacratas Numini aedes violaſſe dicitur. Vtique ita eſt, pauci admodum caſtra ſequuntur, qui horum ſcelerum ſint immunes. Quotusquisque eſt, quem ratio capeſſere arma iubet? Nonne plerosque coecus abripit impetus? Nonne ipſi imperantes ſaepius ex ſua ſaltem cupiditate & libidine cuncta metiuntur? idque ius fasque eſſe putant, quod expedit?

§. II. Aſt non raro tamen videas, multa vituperari perperam, eaque ſubinde reprehendi, quae nihil minus quam reprehenſionem promerentur. Enimuero vt omnium mortalium, ita militum cumprimis, actiones ita comparatae ſunt, vt nonnullis virtutum ſpecie ſe commendent, aliis contra

vt

vt execrabiles & deteſtandae damnentur. Sed quam turpiter fallantur, qui non ad rationis leges accurate cuncta exigunt, ex iis, quae de belli iure circa res ſacras tradere animus eſt, palam fiet.

§. III. Vt vero rite ad arcem rei contendamus, quid ſacrarum rerum nomine nobis veniat, paucis eſt ediſſerendum. Ex peritorum iuris diſciplina, ſacrae, eccleſiaſticae & religioſae res ita diſcernuntur, vt per iſtas res a pontificibus rite conſecratas, vel, vt ex noſtri ſeculi more loqui amant, quae diuino cultui deſtinatae ſunt, per illas autem, quibus viri ſacris operantes aluntur, per has denique loca mortuis ſepeliendis dicata, intelligunt. Ad ſacras itaque res, de quibus nobis praecipue ſermo erit, praeter ſacratas Numini aedes, quas & templa (a) vocant, veteres autem chriſtiani Dominicas (b) aut Martyria (c) dixerunt, aut aliis nominibus inſigniuere, omnia loca & aedificia aut precibus fundendis, aut curandis quoque reficiendis-

(a) *conf. Iacobus Gothofredus ad l. I. C. Theod. de fid. Cathol. & Nicolaus Füllerus lib. II. Miſcell. c. IX. Dauid. Blondellus in Apol. de Epiſc. & Presbyt. p. 249. Stephanus Baluzius ad Lactantium p. 356.* (b) *vid. Tertullianus de Idol. c. VII.* (c) *vid. Auguſtinus lib. XXII. de Ciuit. D. cap. XVIII.*

que aegrotis ſdeſtinata, itemque vaſa & veſtimenta, & quicquid ad ſacrarum aedium ornatum ſpectat, referre licet. Qua de re Conradus Rittershuſius, (d) & Leonhardus Leſſius, (e) aliique, pluribus exponunt.

§. IV. Ceterum ſolent res ſacrae, praeſertim templa, ſolenni ritu ſubinde conſecrari, eumque morem iam antiquis temporibus frequentatum fuiſſe, nouimus. Id vero obſeruaſſe, noſtra nunc magnopere refert. Sane quidem in ebraea gente & tabernaculum, & templum vtrumque, tum Salomoneum, tum ſerobabelianum, vaſaque huc ſpectantia, variis ritibus Deo praepotenti dicata fuiſſe, per diuinarum litterarum luculentiſſima documenta nemini dubitare fas eſt. (f) Gentiles vero inſigni ſuperſtitione dedicaſſe, quas idolis ſuis ſacras eſſe iubebant, resque & aedes, notius eſt, quam vt quenquam fugere poſſit. Fiebat autem ea conſecratio apud Romanos vel a conſule vel ab imperatore, accenſo foculo, cum tibicine, verbis priſcis & ſolennibus, praeeunte pontifice maximo, praefante carmen, capite velato, & con-

(d) *in expoſ. Nou. p. I. c. VII. n. 9.* (e) *de Iuſt. & Iure lib. II. c. XLV. dub. III. n. 15. p. 548.* (f *conf. Exod. XXX, 32. I. Reg. VIII, 63. Esdr. VI, 16. 17.*

concione aduocata, ac iussu populi. (g) Sed Ebraeorum quidem exemplum imitati sunt christiani. Memoriae proditum est a nonnullis, iam Felicem Romanum episcopum, ducentesimo trigesimo secundo post natum seruatorem anno, hunc morem aut vsurpasse, aut instituisse. Sed vero cum nondum euictum sit, ea aetate christianis templa extructa fuisse, non immerito ea de re dubitaueris. Non desunt quidem, qui ipsos Apostolos in templis sacris operatos esse, asserunt. Certe Pompeius Sarnellius, in *Basilicographia* A. MDC LXXXVI. Neapoli edita, ita rem se habere contendit. Sed fide saltem Abdiae Babylonii, Anacleti Papae, & Nicephori Callisti, nititur. Praeterea, si templis vsi fuissent, qui gentiles illis potuissent obiicere: (h) *cur nullas aras habent, templa nulla nulla nota simulacra?* Quicquid huius sit, a Constantino M. subinde splendida templa excitata fuisse, nemo ignorat, nec nostra aetate ignorare quenquam sinit industria singularis, qua in iis describendis vtitur vir summus Ioannes Ciampinus, (i) Haec vero templa so-

(g) *add. Alexander ab Alexandro lib. VI. Dier. Genial. c. XIV.* (h) *apud Minucium Felicem in Octau. & Arnobium aduersus Gentes lib. VI.* (i) *conf. Ciampini Synopsis Historica de sacris aedificiis a Constantino M. extructis, Romae A. 1693.*

lenni quoque ritu consecrata fuisse, dubitari nequit. Certe de illo, quod ad exemplum Salomonei, magnifice admodum Hierosolymis extruxit Constantinus, luculenter id testatur Eusebius. (k) Hinc vero cum a pristina simplicitate puritateque ad diros errores praecipiti casu rueret res christiana, immanis quoque in rebus aedibusque cultui Numinis inseruituris, consecrandis ecclesiam Romanam occupauit superstitio, (l) quam iure meritoque exagitat Ioannes Dallaeus. (m)

§. V. Et sane non vno nomine haec aedes resque sacras consecrandi ratio, quam ecclesia Romanensis frequentat, est reprehendenda. Nihil enim nisi meram superstitionem spirat. Vel illud documento est, quod altaria rite dedicari negant, nisi diui cuiusdam, aut diuae, sub eo reconditae sint reliquiae. (n) Praeterea grauissimus & plane non tolerandus error est, dum consecrationem rebus ipsis nescio quam qualitatem impertire contendunt, cui vnice, quod res sacras violare non liceat, sit imputan-

(k) *lib. VIII. H. E.* (l) *vid. Io. Baptista Casalius de vet. christ. rit. Part. III. c. 33. it. Durandus in rat. offic. diuin. lib. XVI. c. 76.* (m) *de religiosi cultus obiecto lib. IV. c. IX.* (n) *conf. Glaber Radulphus lib. IV hist. c. XXX. Henricus Valesius ad Sozom. lib. IX. c. II. Beueregius ad Concil. Niceni II. Can. VII.*

putandum. Id quod is demum crediderit, qui in verbis aut ritibus diuinam quandam vim ineſſe, ſtulto errore ductus, ſibi perſuaſerit.

§. VI. Nunc vero in iſtud quoque inquirendum prius eſt, ſintne res ſacrae chriſtianorum Romani Pontificis dominio ſubiectae? quam ad caput cauſae contendamus. Aſt ex primis fontibus rem omnem repetere iuuat. Eſt nimirum diuini cultus, externi ſcilicet iſtius, quem chriſtianorum ſanctior diſciplina mortalibus praeſcribit, ea conditio, vt commode ſatis ſine ſumtibus inſtitui nequeat. Sane quidem certis hominibus munus, caeleſti doctrina animos mortalium imbuendi, demandandum eſſe, palam eſt. Hi vero dum ſacris operantur, non poſſunt aliis curis vacare. Praeterea vt cultus diuinus decore peragi poſſit, & aedes, & alias res huic vſui dicari neceſſe eſt. Sacra enim dum faciunt homines, caeli iniuriis exponi nolunt. Priuatae autem aedes, praeterquam quod non communi omnium vſui pateant, raro admodum inſignem hominum multitudinem capiunt. Ergo & miniſtris alendis, & aedificiis extruendis, impendendi ſunt ſumtus. Hos quidem quantum eccleſiae ſtatus aut requirebat, aut permittebat, largiſſime ſubminiſtrabat primorum chriſtianorum pietas, praeſertim poſtquam a communione

bonorum iam diſceſſerant. Id quidem conſtat, non ſplendori aut pompae quicquam olim datum: aurea tamen argenteaque vaſa, etiam ante Conſtantini Magni tempora, vſurpata fuiſſe, nonnulla veterum doctorum documenta nos dubitare non ſinunt. (o) Vt vero bona, quae hunc in finem collata erant, rite diſpenſarentur, id quidem tum virorum, quibus haec cura demandata erat, tum praecipue epiſcopi munus erat. Ceterum Conſtantino, ſacris chriſtianorum initiato, haecce bona in immenſum augebantur. Qui enim opibus affluebant, non luculentius pietatis ſuae ſe edere poſſe documentum putabant, quam ſi fortunarum partem ſacris vſibus conſecrarent. Epiſcoporum inſuper auctoritas noua indies capiebat incrementa, tantum abeſt, vt quam vſurpauerant hactenus, neceſſitate iubente, circa regundos chriſtianorum mores, bonaque eccleſiae adminiſtranda, auctoritatem exuerint, principique, ad quem ſpectabat, commiſerint. Ruente hinc in ſuperſtitionem dirosque errores eccleſia, regnoque tenebrarum iam imminente, Romani praeſules euehere ſe ſupra ceteros, miſcere diuina & humana iura, cuncta

(o) *vid. Baronius in Martyrol. ad d. VII. Aug. Dallaeus de religioſi cultus obiecto lib. II. cap. XXII. & Riuetus in catbol. orthodoxo Tr. III. cap. XX.*

cuncta agere, vertere, & ad se rapere coeperunt. Parum vtique illis erat, Imperatorum excussisse iugum, imperare ipsis, orbisque fata ex nutu arbitrioque suo regere, in animum inducebant. Hinc non tantum in episcopos ceteros, sacrique ordinis viros, imperium, frustra tandem renitentibus fortissimis Imperatoribus, sed in bona quoque sacris vsibus dicata, dominium sibi vindicabant.

§. VII. Et hinc quidem obtinuit, vt bona resque sacrae imperantium dominio passim sacrilega impietate eriperentur. Id vero paucis indicandum fuit, cum plerorumque, qui de belli iure circa res sacras disputant, sententia, huic fundamento innitatur. Sed perperam illos existimare, haud difficulter euinci potest. Etenim coetum Christo seruatori sacrum, quem ecclesiam vocant, non esse ciuilem quandam societatem, quae imperium in homines, dominiumque in res, ciuitati non obnoxium, secum coniunctum habere debeat, id quidem ex ipsa indole eius constat. Nec vero per caput, quod videri possit, eandem regi necesse est. Si ergo vel maxime ecclesiae dominium in res competeret, principis dominio non obnoxium, vnde euinceretur, spectare istud ad Romanum Praesulem? Praeterea, si principis potestas non se extendat ad omnia, quae in ciuitate

ſunt, ille quidem princeps eſſe deſinit. Nec enim poteſtas, quae limitibus eſt circumſcripta, ſumma vocari poteſt. Iniurii ergo ſunt in ipſos principes, & omnes qui gentium fata diſpenſant, qui & homines, & bona, illorum imperio dominioque ſubtrahere non dubitant.

§. VIII. Iam vt propius ad caput cauſae accedamus, mores quidem gentium, qui non raro iuris gentium nomine veniunt, a lege naturae, vt nunquam non, ita & hic accurate diſcernere, fas eſt. Etenim circa principem, quae ſeſe nobis offert, quaeſtionem, mores gentium nec inter ſe, nec cum naturae lege conſpirare, deprehendimus. Thucydidis de Graecis ſui temporis teſtimonium extat, quod & Hugo Grotius (p) laudat, quo diſerte autumat, iis in more poſitum fuiſſe, a locis ſacris ſe abſtinere, quoties in hoſticum impetum faciebant. Quem quidem morem & Alexandro M. vſurpatum fuiſſe, Q. Curtius memoriae prodidit. (q) Capta enim Tyro, omnes interfici iuſſit, exceptis, qui in templa confugerant. Sed idem vero ad Negabyzum ſcripſit (r) de ſeruo, qui in templum confugerat, vt euocatum inde, ſi poſſet, caperet, in templo manum non adferret. Imitatus ſcilicet eſt gentis ſuae progenitorem, Liberum,

(p) *lib. I. I. de I. B. & P. c. XII.* (q) *lib. IV. c. IV.*
(r) *vid. Plutarchus in vita Alexandri c. LXXV.*

Digitized by Google

berum, si Plutarcho credimus, (s) quem & ipsum bello apud Ephesum victorem, supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignouisse, perhibent. (t) De Romanis praeter Tacitum, Silius Italicus (u) testis locuples & luculentus est, eos, Capua capta, a templorum incendiis sibi temperasse:

Ecce repens tacito percurrit pectora sensu
Religio, & saeuas componit numine mentes,
Ne flammam taedasque velint, ne templa sub
In cinerem transisse rogo. (vno

§. IX. Ast hi ipsi Romani non semper a sacrarum aedium vastatione se abstinebant. Ne tamen parum pii viderentur, sacro carmine genios Deosque tutelares euocabant. (x) Etenim singulis vrbibus suos Deos geniosque, qui illis praesidio essent, praefecit impia gentilium superstitio, (y) vnde quidem hosce placare sibi, propitiosque reddere, e re sua esse, Romani vrbem oppugnaturi credebant. Nec vero semel Deorum Dearumque vrbes captas deserentium a scriptoribus antiquis iniicitur mentio. Virgilius: (z)

Excessere omnes, adytis arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat.

(s) *de Fort. Alex. c. XV.* (t) *vid. Tacitus Annal. lib. III. c. LXI.* (u) *lib. XIII.* (x) *conf. Macrobius lib. III. Saturnal. c. IX.* (y) *vid. Henricus Lindenbrogius ad Censorinum die natali c. III. p. m. 13.* (z) *lib. II. Aeneid.*

Digitized by Google

Huc & istud Silii Italici: (a) *& demigrantem Tarpeia sede tonantem &c.* spectat. Ita enim explicat & emendat Franciscus Modius. (b) Quintus quoque Curtius (c) refert, Tyro obsessa, ciui cuidam oblatam esse speciem Apollinis vrbem deserentis, vnde Tyrii, superstitione ducti, aurea catena deuinxere simulacrum, araequae Herculis inseruere vinculum.

§. X. Ebraeis quidem, vt fana, lucos, & omnia loca, in quibus gentiles Deos suos coluere, destruerent, euerterentque funditus, peculiari praecepto iniunctum fuit. (d) Eamque Numinis legem de Cananaeae terrae incolis capiunt Ebraeorum magistri, ita tamen, vt maiorum, quos vocant, decretis sancitum fuisse contendant, vt ceterarum quoque gentium, quibus vnquam signa illaturi essent Ebraei, templa itidem solo aequarent. Maimonides (e) hoc me edocuit: מצוה לרדוף אחרי ע"ז ער שנאבר אותה מכל ארצנו אבל כחוצה לארץ אין אנו מצוין לרדוף אחריה *Imperatum est nobis, vt per-*

(a) *lib. XII.* (b) *in lectionib. nou. antiquis, Epist. XXXVIII.* (c) *lib. IV. c. III. ad Plutarchus in vita Alex. c. XLI. & Tacitus Hist. lib. V. c. XIII.* (d) *Deut. XII. 2. Exod. XXXIV. 13.* (e) *in Hal. ע"ז c. VII. add. Moses Mickotzi praecept. affirm. XIV.*

perſequamur cultum extraneum, vsque dum eruatur e cuncta terra noſtra. At vero extra terram noſtram imperatum non eſt, vt perſequamur eum. Sed vero & legem iſtam Numinis, & doctorum Ebraeorum decreta, non tam belli iure, quam idololatriae foeditate, niti palam eſt. Nimirum id agebat ſapientiſſimus legislator, vt Iacobi progeniem omni ratione ab idolorum cultu abſtraheret. Hinc, quicquid huic occaſionem praebere poterat, funditus exſcindendum & euertendum erat. Sed aliis tamen gentibus in more poſitum fuiſſe, ex belli lege ſacris rebus faniſque non parcere, documentis pluribus euincere poſſem, niſi ſuperuacaneum plane ducerem, in re non dubia pugnare argumentis non neceſſariis. Saltem Flauii Ioſephi (f) illuſtre non poſſum praeterire documentum. Cum enim memoraſſet, templum Hieroſolymitanum excidio a Romanis datum, factum illud eſſe, addit: τῷ τῆ πολέμῳ νόμῳ, *belli lege*, quam nimirum gentes nonnullae ipſae ſibi velut ſanciverant.

§. XI. Quae cum ita ſint, ex gentium moribus nihil de iure belli circa res ſacras definiri poteſt. Praeterquam enim quod inter ſe non conſentiant, legis inſtar haberi nequeunt. Nihil ergo ſupereſt, quam vt,

(f) *lib. VI. de Bello Iud. c. XXIV. XXXIV.*

vt, quid ratio dictitet, diſpiciamus. Hic ergo initio quidem pono, ſacrarum rerum non aliam eſſe indolem, quam ceterarum, quarum dominium ad totam ciuitatem pertinet, niſi quod peculiari vſui ſint deſtinatae. Falſum enim eſt, quod per qualitatem ex conſecratione in illis inhaerentem, ſine piaculo non poſſint fieri profanae, vel quod Romani Pontificis, aut alterius epiſcopi dominio ſint ſubiectae. Hinc & nihil obſtat, quo minus ab imperante, neceſſitate id exigente, aliis rurſus vſibus dicari poſſint. Sunt enim eius dominio, vt omnes res publicae, obnoxiae. Nec vero exiſtimandum, quod dominium iſtarum rerum ab hominibus ad Deum tranſierit. Namque qui vel primis moralis doctrinae elementis imbuti ſunt, probe intelligunt, poſſe rem certo vſui deſtinari, vt tamen dominivm eius remaneat penes dicantem, vel ad quem ceteroquin iure ſpectabat. Hinc ratio arceſſenda, quare res ſacrae aliis quoque vſibus dicari poſſint, & ſaepius dicatae ſint. Multa, quae lucem huic ſententiae affundant, ex Plutarcho, Seneca, aliisque, congeſſit Hugo Grotius. (g) Sed luculentum admodum eſt, quod apud Plutarchum legitur Tiberii Gracchi effatum: *nihil*, inquit, *tam ſacrum ſanctumque eſt, quam quae*

(g) *lib. III. de I. B. & P. c. V.*

quae Deorum honori dicantur, & his tamen vti populum, haec transmouere, nemo prohibet.

§. XII. Considerari ergo res sacrae ratione dominii non aliter possunt, ac res principis vel ciuitatis. Quicquid itaque iure belli in res ciuitatis licet, hoc quin etiam in res sacras liceat, dubitari nequit. Illae autem & destrui & deuastari ab hoste possunt, si quidem finis belli hoc exigat. Etenim cum bellum gerere per ipsas naturae leges fas sit, & vero geri non possit, nisi hostibus, eorumque tum corporibus, tum rebus, vis inferatur, profecto nefas neutiquam erit res hostium perdere. Nec vero sine modo in res hostium saeuire licet. Moralium enim rerum haec est indoles, vt aestimationem accipiant ex fine. Tantum ergo licet, quantum finis permittit. Belli autem iusti duplex finis est, defensio, aut reparatio iniuriae illatae. Quae ergo ad hunc finem vtcunque faciunt, ea permissa esse, nemo dubitauerit. Vnde consequitur, quod etiam res, quae sacrae non sunt, non tamen semper perdi aut vastari possint. Nec aliam esse rationem arbitror, quare ipse Deus lege sanciuerit, ne frugifera arbor excideretur euellereturue. (h) Flauius Iosephus (i) addit, quod nec ignem in-

(h) *Deut. XX. 19.* (i) *lib. II. aduersus Appionem.*

iniicere in hoſticum Ebraeis licuerit, ad res deuaſtandas. Qui vero decretis ſuis diuinam Moſis legem explicarunt Ebraeorum maiores, nefas eſſe pronuntiarunt, vaſa diffringere, veſtes dilacerare, demoliri aedes, fontes occludere, aut aliud quid eiusmodi perpetrare, vt inde res periret, vſibusue humanis prorſus eriperetur. Nimirum haec ita demum locum habere poterant, niſi me omnia fallunt, niſi belli ratio atque finis aliud quid exigeret. Iſtud vero probe intellexerunt, qui docuerunt, peccare illos grauiter, qui res ideo perdunt, vt perdant, quas tamen praepotens Deus mortalibus conceſſit, non vt eas perderent, ſed vt iis vterentur.

§. XIII. Poſſunt itaque & res ſacrae deuaſtari atque corrumpi ab hoſtibus, ſed tum demum, ſi belli finis, atque neceſſitas, hoc exigat. Atque id ſane eſt, quod & Polybius (k) iam pridem iudicauit. *Munitiones*, inquit, *hoſtium, portus, vrbes, viros, naues, fructus, hoc genus alia occupare aut perdere, vt eo pacto res inimicorum attenuantur, propriae adaugeantur, & ad exitum conſilia facilius perducantur, ad haec, inquam, omnia leges & iura belli nos cogunt; atque tuis nihil commodatura ſunt, neque autem hoſtibus vlla in re, ad praeſens certe bellum quod attinet, incommodatura, ea nullo bono ire per-*

(k) *lib. V, c. XI.*

perditum, & templa, ſtatuas, atque his ſimilia ornamenta omnia delere, quis neget, opus id eſſe hominis & moribus & ira furentis.

§. XIV. Ceterum cum vſus, cui aliquid dicatum deſtinatumque eſt, rei ipſius augere dignitatem ſoleat, hinc ſacras res digniores nobilioresque ceteris eſſe, haud invitus largior. Atque ita ſane capio, quod dici ſolet, eas cum reuerentia eſſe tractandas. Nimirum ob vſus, cui deſtinatae ſunt, nobilitatem, non aeque perdendae temere ſunt, ac res minus dignae, minusque praeſtantes. Sed vero & ſaepius contingit, vt illi ipſi, qui ſacras res deſtruunt euertuntque, in eo verſentur errore, quod hominum exemptae dominio, Deoque certa ratione propriae ſint. Tum vero dubium non eſt, quin illi, graui crimine ſcelereque non temere expiando, ſe obſtringant. In Numinis enim maieſtatem palam ſunt iniurii. Etenim quod Hugo Grotius (l) de ſimulacro dicit, ſi quis in eo Numen ineſſe errore ductus exiſtimauerit, illudque violare aut corrumpere in animum induxerit, illum quidem ſummae impietatis iure meritoque reum peragi, illud quo minus de quibusuis rebus ſacris dici poſſit, non video, quid obſtet. Et hinc omnino arceſſenda ratio eſt, quare ſaepius vltrices Numinis poe-

(l) *lib. III. c. V. §. 2.*

poenas experti ſint, qui ſacras res aedesque temerario auſu violarunt. Infinita enim huius rei documenta annales gentium ſuppeditant. (m) Exarſit quippe in hosce Numinis ira, non quod plane nefas eſſet, res ſacras contrectare aut perdere, ſed quod, ad Deum peculiari quadam ratione eas pertinere perſuaſi, laeſae diuinae maieſtatis iure poterant argui. Accedebat vero ſaepius & illud, quod, nulla hoc exigente neceſſitate, in res ſacras omnem effuderint iram, id quod tamen per naturae leges, non ſine piaculo, fieri poteſt. Quae vero ex diuinis litteris proferri exempla ſolent, non omnino huc quadrant. Certe ob deſtructum templum, & vaſa ſacra ablata, quenquam poenas dediſſe, me legiſſe non memini, niſi forte illuſio ſanctiſſimi Numinis acceſſerit. Hinc quae a ſanctiſſimo vate Daniele memorantur (n) de Balthaſare, meam ſententiam haud mediocriter firmant ſtabiliuntque, tantum abeſt, vt eandem euertant.

§. XV. Qui vero nunquam non nefas eſſe exiſtimant, res ſacras perdere, nullo profecto argumento pugnant, quod non facile dilui poſſit. Etenim quae a Suarezio diſſeruntur, lubrico innituntur fundamen-

(m) *vid. Oſiander ad Grot. lib. III. c. V. p. 24. 18. ſeqq.* (n) *c. V.*

Digitized by Google

mento. Ponit quippe, res ſacras imperantium dominio non eſſe ſubiectas, id quod tamen confutatum eſt ſupra. Nec rationes, quibus Ioannes Adamus Oſiander (o) vtitur, a me, vt ſecus ſentiam, impetrabunt. Nimirum prima haec eſt: *Quae Deo ſunt relicta, humanis iuribus ſunt exempta, adeoque non poſſunt cenſeri in bonis alicuius hominis.* Aſt vero bona & res ſacras humanis iuribus eſſe exempta, abnuo: quin probaui, dominium rerum ſacrarum eſſe ipſius ciuitatis. Pergit: *Bellum eſt inter principem alicuius populi, & alium principem, non inter eccleſiam & eccleſiam, quae poſſunt eſſe eiusdem religionis.* Recte. Sed bona, quod iterum monendum, quae eccleſiae eſſe dicuntur, dominio principis non ſunt exempta. Quando ergo hoſtis bona & res ſacras inuadit, capit, deuaſtat, non tam bona eccleſiae, quàm ipſius principis, cum quo illi res eſt, inuadit corrumpitque. Addit denique: *Iniuria ab vno facta, alteri, qui eius particeps non eſt, nociua eſſe non debet. Quid ergo ad Deum, ſi princeps peccauit?* Vtique ita eſt. Iniuriae criminaque principis non debent imputari Deo. Sed nec imputantur, dum res ſacrae cedunt victori. Iſtae enim non Deo, quippe ad quem dominium ſpeciale non ſpectat, ſed principi eripiuntur. Quid autem

(o) *l. c.*

de moribus gentium, itemque iis, qui ob res ſacras violatas grauiter a Numine puniti ſunt, cenſendum ſit, iam liquet.

§. XVI. Neque vero tantum deuaſtari poſſunt res ſacrae, ſed & dominium earum ad victorem tranſit. Eſt enim & hic ſacrarum rerum non alia conditio, quam profanarum. Sed vero, quae in omni acquiſitione bellica, quae ab Ariſtotele inter κτήσεις φυσικὰς refertur, obſeruanda ſunt, illa vt non minus & hic obſeruentur, ratio dictitat. Etenim vt rite ſe habeat ex praeſcripto rectae rationis, requiritur, vt bellum ſit iuſtum. In bello quippe iniuſto, vt non ſine crimine hoſtis laeditur, & res eius aut inuaduntur aut diripiuntur, ita & diripiens, aut eas ſibi vindicans, nihil minus quam dominium iuſta ratione nixum, acquirit. Praeterea in bello iuſto tantum ſaltem rite acquiritur, quantum acquirenti debebat hoſtis, vt illi vtpote laeſo fieret ſatis, computatis inſimul impenſis in bellum factis, idque tum demum, ſi alia ratione ius ſuum adipiſci nequiuerit. Quam vero hinc abeant mores gentium, palam eſt. Secundum hos quippe in omni bello, modo ex diſciplina gentium fuerit ſuſceptum, quae-

quaecunque etiam eius fuerit cauſa, id quod ſolenne, & ſi diis placet, etiam iuſtum vocant, rerum hoſtilium omnium, quotquot fuerint captae, dominium rite tranſit ad victorem. Id quod quam ab omni ratione abhorreat, quilibet intelligit. Quare & ſacrae res tum demum rite acquiruntur, ſi iuſtam arma inferendi cauſam habeat hoſtis, & ceterae res captae tanti non ſint, vt per eas ſatis ſibi conſultum proſpectumue exiſtimet victor, vt ponere arma iramque poſſit. Id vero vberiori commentatione proſequi animus eſſet, niſi inſtituti ratio abrumpere filum iuberet.

Digitized by Google

EXERCITATIO

IVRIS NATVRALIS,

DE

CVLTVRA INGENII,

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XII. OCT. ANNO M DC XCIX.

RESPONDENTE

CASIMIRO FRIDERICO Groſſe,

SCHOCHVVITC - MANSFELD.

Digitized by Google

Σύνοψις.

Homo ad aliorum commoda promouenda natus eſt, §. I. Quod facere nequit, niſi animum bonis artibus excoluerit, §. II. Hoc ipſo aliis melius inſeruire poteſt, quam opibus, quippe quae caducae ac inſtabiles ſunt, §. III. Quod homo ad hoc obſtringatur, probatur ex eo, quod Deus velit eum eſſe felicem, §. IV. Idque ad omnes omnino homines pertinet, §. V. Idem demonſtratur ex eo, quod in alios iniurius ſit, qui animum ſuum non excolit, §. VI. Duplex ingenii cultura explicatur, & quo pacto eruditi, quo pacto ceteri animum excolere debeant, oſtenditur, §. VII. Ingenium quid? §. VIII. Num cultura indigeat? §. IX. Haec cultura in quo conſiſtat, itemque quibus partibus abſoluatur eruditio? §. X. Reiiciuntur atque remouentur hinc artes vanae atque inutiles: ſpeciatim de poeſi disquiritur, §. XI. XII. de aſtrologia, §. XIII. XIV. XV. XVI. de theologia ac philoſophia ſcholaſtica, §. XVII. Quaſdam artes excolendas quidem eſſe, ſed euitandum in illis eſſe exceſſum, demonſtratur, ſimulque de arte critica diſſeritur, §. XVIII. Vnam eruditionis partem altera eſſe praeſtantiorem docetur, ſimulque, quae linguae latinae praeſtantia ſit & vtilitas, inquiritur, §. XIX. Redarguuntur, qui certam artem ac diſciplinam vltra

quam decet, laudibus extollunt, §. XX. Vtilia ſaltem & neceſſaria addiſcenda eſſe, denuo inculcatur. §. XXI.

§. I.

NOn ſibi ſoli natum hominem editumque in lucem eſſe, conſtans, iuſtisque rationibus ſuffulta, virorum ſapientiſſimorum eſt ſententia. Natura ad colendam cum aliis ſocietatem compellit omnes exſtimulatque. Nec temere, ipſo Tullio (a) iudice, quisquam reperitur, quin magna felicitatis parte, modo cum aliis eſſe, doloremque non minus quam laetitiam cum iis communicare ſibi liceat, carere, quam cum infinita etiam voluptatum abundantia in ſolitudine vitam agere malit. In quo ſi quis providam diuini Numinis curam non perſpiciat, nec inde aeſtimet rite, nae! eum inertem plane, ineptumque rerum omnium exiſtimatorem eſſe oportet. Subueniendum ita quodammodo erat, qua omnes obruti tantumque non oppreſſi ſumus, miſeriae, quae tanto conſpectior eſt, acerbiusque hominem vrget, quanto ab aliorum remotior eſt conſortio, eorumque magis auxilio eſt deſtitutus. Atque vt quisque iucundam ſibi acceptamque aliorum operam, qua vt commode feliciterque vitam tranſigere poſſit, efficiunt, eſſe

(a) *de finibus lib. III. n. LXVI. p. m. 118.*

esse sentit: ita rursus, nisi mortalium ingratissimus esse velit, fateatur necesse est, se vt non minus prompte vt & aliis inserviat, eorumque commoda promoueat, eadem lege compelli. Idque eo magis quod, quo se aliis praeferat, indeque deteriores ceteros, se meliorem reputet, per naturam non habeat.

§. II. Ast, qui promouebit aliorum commoda, qui nec sua intelligit, nudusque & expers est eorum omnium, quae ad bene beateque viuendum scitu sunt necessaria? Quale consilium deliberanti dabit, qui ipse consilii est inops? Num viam ad sapientiam pandet, qui ob insipientiam inscitiamque omnium prouocat commiserationem? Perinde profecto hoc esset, ac si quis a paupere diuitias, aut sanitatem ab aegroto postularet. Sapientissimus imperator (b) hominem κατὰ φύσιν ζῶον κοινωνικόν vocat, eiusmodi animal, quod per naturam ita sit comparatum, vt aliis quid impertire & cum iis communicare debeat. Ast quid impertiet aliis, qui omnium rerum sapientiaeque & doctrinae inops, ab aliis semper, quo vtcunque vitam toleret, efflagitare necesse habet, tantum abest, vt habeat, quod impertire possit.

§. III. Contra, quanta omnes maximo

(b) *M. Aurel. Antoninus de se ipso ad se ipsum lib. V. §. XXIX.*

ſibi beneficio obſtringendi facultate pollet, qui vt animum ad omnem honeſtatem erudivit ipſe, ita quo pacto alii erudiri queant, oſtendere illis & demonſtrare, vel ſuo ipſius exemplo valet. Et vero vnicum inſuper hocce in noſtris viribus, ad aliorum promouenda commoda, natura poſuiſſe videtur. Opes enim diuitiaeque quoto cuique obueniunt, vt iis inſeruire aliis queat? Fortunae haec vocantur munera, vt demonſtretur, neutiquam, vt eas poſſideamus, penes nos ſemper ſtare. Non magis tamen retinere eas, vtut velimus, poſſumus, omnemque rurſus aliis inſeruiendi cum iis amittimus facultatem, niſi, qui amitti nequit, doctrinae & ſapientiae theſaurum nobis comparauerimus. Ingenii dotes, veraque ſapientia, haec eſt, quae nec flammas, nec vndas timet.

Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis. (c)

§. IV. Eſt vero & aliud, quo idem non tam ſuaderi, quam demonſtrari poſſit, argumentum: Deum ſumme bonum, aeque ac ſumme felicem, non poſſe non velle, vt homines identidem felices ſint, & ab omni miſeria quam longiſſime remoueantur, nemini dubium eſſe poteſt. Felices autem non erunt, niſi intelligant miſeriam ſuam, fontemque felicitatis omnis cognitum atque

(c) *Ouid. lib. III. Triſt. eleg. VII.*

que perſpectum habeant, teneantque rationem, ex miſeriis, quibus circumfuſi ſunt, eluctandi. Πολλῷ τὸ Φρονεῖν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει, ait alicubi Sophocles, *ſapere ad beatitudinem praecipuum eſt.* Si ergo miſeri eſſe nolint, voluntati contra diuinae morem gerere, beatique & felices eſſe cupiant, ſapere discant, quisque pro ingenii ſibi conceſſi modulo, ſiue, quod perinde eſt, ingenium colant.

§. V. Atque vt communis eſt omnibus, quae mortalium pectoribus inſidet, labes; omnes enim, vt recte Tullius (d) pronunciat, ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continua prauitate & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur: ita omnibus ex aequo incumbit colendi ingenii neceſſitas, ſi ex ſuis emergere miſeriis cupiant. Non aetas igitur, non ſexus, non dignitas, nec diuitiae, aut paupertas, ab hoc officii genere abſtrahere quenquam aut poſſunt, aut debent. Non hoc volo, omnes ſine discrimine litteris operari debere, vt eruditorum orbem, iam ceteroquin ſatis ciuium copia laborantem, nouis hoſpitibus compleam, eiusque pomoeria, quae nunc demum coarctanda eſſent, extendam: ſed vnumquemque mortalium eo vsque animum erudire debere, vt & ſuae ſalu-

(d) *Tuſc. Qu. lib. III. p. m. 207.*

ſalutis habere rationem, & vtile inſuper communis, quae inter omnes intercedit, ſocietatis, membrum ſe praebere poſſit. Illud quidem vt obtineat neceſſe eſt, vt quae ſiue recta ratio, ſiue cumprimis diuina revelatio de Numine, hominumque cum eo coniunctione, quae humanae felicitatis ſumma, & quoddam veluti centrum eſt, de animo vitiis expurgando, omnibusque mediis, vt iſtius boni, quod omnes nauibus atque quadrigis expetere deberent, tandem compotes fieri queamus, tradit, accurate diſcat. Nec ſublimia haec adeo ſunt, aut ſupra mortalium intellectum poſita, vt rudioribus obtuſiorique ingenio praeditis ardua nimis & inacceſſa credi debeant: quin facilia ſunt, per ſummam diuini Numinis gratiam, & in medio poſita, vt, niſi prauitas mensque laeua, nihil, quo minus ad metam perueniamus, obſtet.

§. VI. Poſterius eo comparatum eſt, quod eiusmodi arte excolendus perpoliendusque animus ſit, ex qua ad alios rurſus aliquis redundare fructus poſſit. Nec in ſe ſaltem, ſed in alios quoque iniurii ſunt homines ignaui, qui honeſta arte animum non imbuunt, indeque ſibi ipſis moleſti, aliis graues, animam pro ſale habent, ne putrescant. Idque non vna ratione. Namque primo quidem fructu, quem omnes per-

percipere potuiſſent, ſi artem quandam didiciſſent, eos priuant. Deinde cum ignauiam vtplurimum preſſo pede ſequatur paupertas, graues aliis atque moleſti ſunt, bonis aliorum labore partis ſuſtentari cupientes. Denique & ipſi, facultate, aliis praeter culpam forte ſuam cum extrema inopia colluctantibus, aliquid impertiendi deſtituuntur, fruſtra vt inculcetur eiusmodi homini, laborandum illi, ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. (e)

§. VII. Ceterum cum magna ſit ingeniorum diuerſitas, nonnullos ſub feliciori veluti ſidere natos, mentis perſpicacia aliisque dotibus ceteros multum ſuperare videmus. Atque iſtis, vt non fruſtra praeſtantiores animi dotes obtigerunt, ita cumprimis ad hoc eas ſibi a Deo conceſſas facile intelligunt, vt ad artes ſcientiasque animo complectendas, aliisque rurſus tradendas, easque aut inueniendas, aut inuentas perficiendas, quae praeſtantius ſubtiliusque ingenium requirunt, maiorem tamen etiam vtilitatem quam ceterae ſecum coniunctam habent, animum, ea qua decet cura, atque ſollicitudine adiungant. Cuiusmodi iſtae artes ſunt, quas liberales, itemque ingenuas vocamus, & a quibus eruditorum doctorumque nomen titulumque

(e) *Eph. IV. 28.*

que homines referunt. Ad eas itaque perdiſcendas cum praecipua quadam ratione ingenii cultura opus ſit, iſta quidem eſt, de qua praecipue in praeſenti ſumus ſolliciti. Saepius nimirum contingit, vt qui in litterarum ſtudia magno animo ſe dare ſecum conſtituerunt, inanes ſterilesque quasdam artes ſectando, quae tamen ſplendido vtplurimum titulo ſuperbiunt, nubes & inania prenſent. Alii autem, cum per naturae aut fortunae conditionem, ad aliud vitae genus aptiſſimi eſſent, infelici conatu, ſed magno cum ſtrepitu nihil agunt, ſuamque ſibi adaugent miſeriam: nonnulli denique eiusmodi ingrediuntur viam ſtudia tractandi, quae ad praecipitia eos citra ambages ducat. Tam multiplici itaque ratione cum hic aberretur, operae pretium fuerit, officii noſtri rationes circa culturam ingenii vberiori commentatione ediſſerere.

§. VIII. Vt ab ipſo autem quo rem ordiamur, nec quicquam praetermittamus eorum, quae ad cauſam accuratius disceptandam pertinent, in quo ingenii haec cultura conſiſtat, paucis exponemus. *Ingenii* nimirum vox, vt omnibus quotidie in ore eſt, ita pauci vim eius capiunt. Ipſi philoſophi in eo deſcribendo in varias abeunt ſententias. Nimirum varias in mente hominis eſſe potentias ſiue facultates, notum omni-

omnibus eſt. Praeter eam enim, qua bonum appetimus, quam voluntatem vocant, intellectu etiam gaudemus, eoque tum puro, tum ſpiritibus animalibus vtente, ſive impuro, ad quem imaginatiua vis cum memoria ſenſuali ſpectat. Nonnulli itaque (1) omnes iſtas facultates, intelellectum videlicet purum, vim imaginandi & memoriam ſenſualem, ſiue aequatae harum facultatum inter ſe vires ſint, ſiue diuerſae, ingenii voce comprehendunt. Vnde nec illis, qui iudicio excellent, imaginatiua licet & memoria deſtituti, ingenium denegant. Rurſus (2) alii ſolam imaginatiuam facultatem *ingenium* dicunt: indeque poetis velut per eminentiam quandam ingenium tribuunt, quod hi εὐφαντασιώτατοι ſint, hoc eſt, imaginandi vi prae ceteris polleant. Nec raro audias eiusmodi voces: virum quidem iſtum iudicio acri & excellenti eſſe, ingenium tamen fruſtra in eo requiri. Quod aliter quam de imaginativa facultate capi nequit. Denique (3) nonnulli non tam ipſas facultates mentis, aut vnam earum, quam virtutes, & perfectiones, aut omnium, aut vnius facultatis, *ingenii* voce deſignant. Sane ſi facultates omnes ſpectes, nemo mortalium ſine ingenio erit, niſi ipſa mente ſimul eum priuare velis: ſed ſi vſum huius aut illius facultatis, aut vel omnium, vel quarundam, aut

vnius

§. IX. Praeclare vt multa alia, ita hoc quoque Hippocrates (h) dixit, ingenium hominis perinde se habere ad scientias, vti se ager habet ad semina. Ager itaque, licet per se foecundus aut frumenti feraciſſimus ſit, niſi colatur, ſemenque velut vtero ſuo concipiat atque concludat, fructus non dabit: ita & ingenium quantumuis praeſtans & excellens, niſi diligens cultura accedat, doctrinisque liberalibus conſeratur, non eſt, quod praeclarum eruditionis fructum ab eo exſpectes. Atque hoc M. Tullius Cicero (i) innuit, dum *ſubacto mihi*, inquit, *ingenio opus eſt, vt agro non ſemel arato, ſed nouato & iterato, quo meliores foetus poſſit & grandiores edere.* Alibi autem (k) animi cultum *quendam humanitatis cibum* vocat. Equidem rurſus tantum derogare culturae ingenii idem videtur, quantum naturali praeſtantiae ac bonitati eius tribuit, in oratione pro Archia Poeta: (l) *Ego multos homines excellenti animo atque virtute fuiſſe, & ſine doctrina naturae ipſius habitu prope diuino per ſe ipſos & moderatos & graues extitiſſe, fateor: & illud adiungo, ſaepius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina,*

V *quam*

(h) *vid. Ianus Huartus in ſcrutinio ingeniorum cap. III. p. 79.* (i) *lib. V. de finib. n. XIX. p. 135.* k) *lib. II. de oratore c XXX. add. Guilielmus Budaeus de ſtud. inſtit. §. XV. p. 22. ex edit. Thomae Crenii.* (l) *cap. XV.*

quam sine natura valuisse doctrinam. Sed statim subiungit ipse Cicero: *atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tunc illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere.* Ita sane se res habet. Sunt quaedam ingenia suo pretio commendata, qualia summis illis extemporaneae orationis artificibus contigerunt, quos apud veteres quoque extitisse legimus. Apud hos enim Prodichus Chius, Carneades, Chrysippus, Protagoras, Gorgias Leontinus, alique ex sophistarum gente, hoc maxime celebrabantur nomine, quod de quolibet argumento mirifica & incredibili ingenii celeritate disserere in vtramque partem parati essent. Quam dicendi vbertatem, facilitatemque, indolis ingeniique felicitati eos debuisse vti manifestum est, ita quis est, qui dubitet, tanto maiorem vnumquemque illorum doctrinae ac eloquentiae laudem relaturum fuisse, quanto diligentius artibus bonis mentem ingenivmque excoluisset. Hoc ergo & Cicero sibi voluit, quod medicorum facile post Hippocratem princeps, Galenus, (m) dixit. Hic enim, cum septem velut praeparationes in adolescentibus requirat, antequam altioris Philosophiae penetralia subeant, naturam, hoc est, naturalem ingenii indolisque boni-

(m) *de constitut. art. cap. VI.*

bonitatem, quam Ariſtoteles (n) ſubtilitatem quandam ingenii vocauit, primo loco in iis deſiderat. Galeno accedit Gabriel Naudaeus, (o) cuius hac de re laude omnino digna eſt commentatio Rem omnem autem paucis ita complectitur: *Non parum refert, vtrum quis ad iſthaec Muſarum ſacra naturam adferat Palamedis aut Theſitae, Ariſtotelis aut Margitae, Ciceronis aut Bambalionis. Quoniam, niſi probe a natura adfectus ſit animus, (qui ſcientiarum omnium ager eſt) ſed contra ſit ingenium hebes, iudicium immaturum, fallax memoria, vix ac ne vix quidem ſemina ſapientiae poterit concipere.* Sed recurret infra locus hac de re exponendi vberius.

§. X. Ager porro quantumuis ferax atque foecundus, ſperatum tamen denegabit fructum, generoſo ni conſeratur ſemine. Multum quoque profecto intereſt, quibus doctrinis artibusque animus imbuatur; eaque adeo de re dispicere, prima haud immerito circa ingenii culturam cura eſt. Eruditionem id vulgo vocare ſolent, quod ingeniis impertiendum, cumque iis communicandum eſt, hac voce complexum multarum artium atque ſcientiarum deſignantes.

(n) *Problem. ſect. XXIX. problem. VII.* (o) *in ſyntagm. de ſtudio liberali cap. IV. p. m. 584.*

tes. (p) Nonnunquam tamen & ipſa cultura & expolitio ingeniorum hoc nomine venit, cum quaſi poliuntur, vt vir quidam eruditus (q) loquitur, ſiue formas aut habitus acquirunt faciles, quibus ad finem ſuvm promte & decenter accommodentur. Nos priori inſiſtemus ſignificationi, vtque edoceamur, quodnam demum ſit, circa quod ingenium ſe occupare debeat, eam demum diuinarum humanarumque rerum notitiam, quae ad humani generis vſum atque felicitatem eſt comparata, eruditionis nomen titulumque promereri, contendimus. Colendum nimirum poliendumque ingenium eſſe, ſupra demonſtrauimus, vt noſtrae ſaluti pariter ac aliorum commodis conſulatur. Quod qui fieri poſſit, ſi circa vana, ludicra, & inutilia, puerorum inſtar haereamus, non video. Facesſant itaque procul, & ceu ſpurium atque infelix ſemen reiiciantur omnes illae artes atque ſcientiae, quae, ad oſtentationem comparatae, ſuis cultoribus acerbam temporis male collocati poenitentiam imponunt. Vtiles autem atque ſalutares dum ad perficiendam eruditionem requiro, quid ve-

(p) *vid. Gerhardi Io. Voſſii diſſertat. de ratione ſtudiorum, parte priori, qua tradit, quibus diſciplinis perfecta conſtet eruditio cap. II. ſeqq.*

(q) *Petrus Poiret de erudit. ſolida &c. lib. I. part. I. p. 5.*

velim, nemini temere obſcurum eſſe poteſt. Magna & infinita hominum eſt miſeria: mentem vitia vexant, morbi affligunt corpus; huic cum ſumma rerum omnium inopia eſt conflictandum: illum aliorum iniuriae miſerum reddunt: & quis omnia calamitatum enumerabit genera? Si quae ergo ars aut ſcientia eſt, quae aut vitiis expurgat animum, aut morbos corporis pellit, aut contra improborum inſultus atque iniurias innocentem tutatur, aut domeſticae vitae inſtituta inuentis ſuis feliciora commodioraque reddit, vel ad omnes hasce artes felicius addiscendas viam munit, animumque praeparat, eam eruditionis partem eſſe lubens agnoſco. Nec opus eſſe exiſtimo, a vera eruditione ſecernere falſam, cum haec plane ne digna quidem ſit, quae eruditionis titulo ſuperbiat. Noui etiam, qui a litteris inutilibus pariter ac inanibus, elegantes ac curioſas diſtinguunt. De qua re ita ſtatuo: ſi iſtae litterae, quas elegantes & curioſas vocant, ad alendam ambitionem, aut molles effoeminatosque animos permulcendos, vt fieri ſolet, ſaltem ſint comparatae, nec aut per ſe commodis humani generis promouendis inſeruiant, aut artibus, quarum vtilitas manifeſta, miniſtrent, eas pro verae eruditionis parte habere nequeo, fugiendasque potius cenſeo, tantum abeſt, vt vllum illis ſtatuendum

ſit pretium. Contra ſi abſtruſiores quidem ſint atque ſupra vulgi captum poſitae, aut ad delectandum, mentemque ſuauitate ſumma perfundendam, magnam quidem vim habeant, ſimul tamen aut ad vitia expellenda ſubigendaque aliquid conferant, aut alia ratione in commodum humani generis cedant, tanto maiori laude harum artium cultores dignos cenſeo, quanto plures maioresque illis ſuperandae ſunt difficultates.

§. XI. Iuuabit ordine eas perluſtrare artes ſcientiasque, quas fugere & euitare decet, vt contra, quas amplecti & conſectari vnumquemque fas ſit, palam inde fiat. Primo itaque in hanc claſſem ordinemque refero eas artes, quae non tantum per ſe vanae & inutiles ſunt, ſed inſuper animos ita corrumpunt, vt vitia facilius admittant, quam virtutes. Si, quod nonnulli (r) de poeſi aſſerunt, *artem hanc non in aliud inventam eſſe, niſi vt laſciuientibus rythmis, ſyllabarum numeris ac ponderibus, nominumque inani ſtrepitu, ſtultorum hominum aures demulceat, ac fabularum oblectamentis mendaciorumque centonibus decipiat animos, eam eſſe architectricem mendaciorum, & cultricem peruerſorum dogmatum*, eam vel primo hic com-

(r) *vid. Henricus Cornelius Agrippa a Nettersheim de incertit. ac vanit. ſcientiarum cap. III. p. 29.*

commemorandam loco esse, nemo dubitaret. Magnopere etiam errarent, qui cum Platone poetarum genus diuinum, eosque Numinis interpretes esse, contenderent. Et sane non videtur secus se res habere. Quorsum enim omnis ille poeticae facultatis apparatus comparatus est? quorsum tot flosculi, tot ambages, tot figmenta spectant? Ad permulcendas aures, ad delectandum, mentesque molles & effoeminatas voluptate quadam perfundendas. Athenienſis ille hoſpes apud Platonem (s) poetas multa perturbare, ac sine ratione commiscere, ac risum mouere dicit: Orpheusque significat, poetas inprimis delectationis gratiam venari. (t) Ergo ad titillandos animos ars tota est comparata. Nec video, an Platon (u) culpari possit, quod poetis in sua republica ius ciuitatis non concesserit, cuius inter alia & hanc rationem affert, quod concitatos affectus crebro imitetur poeta. Ita nimirum est, si affectus moresque hominum, in variis vitae generibus constitutorum, & variis affectibus agitari solitorum, rite exprimere cupit poeta, necesse est, vt ipse velut eiusmodi affectus atque mores induat. Hinc & furor ille & ἐνθουσιασμὸς poetarum, quem Horatius

(s) *lib. II. de legib. p. 526.* (t) *add. Ludouicus Coelius Rhodiginus lect. antiqu. lib. IV. cap. I.* (u) *lib. X. de repub. p. 832.*

tius (x) *inſaniam amabilem*, vocat & de quo alibi; (y)

- - - Excludit ſanos Helicone Poetas
Democritus.

qui nihil aliud eſt, quam vehementior affectuum concitatio, vt extra ſe ipſum eſſe, in alienisque viuere ſenſibus, & immorari perturbationibus, poeta videatur. (z) Concitant ergo poetae affectus, in quibus ſedandis & componendis, quae vitiis hominum medetur, philoſophia vnice occupata eſt. Atqui credas, hominem iſtum impurum atque laſciuum non eſſe, qui carmen pangendo impuros atque laſciuos induit affectus? Vt taceam, quam iſtud rectae rationi veraeque virtuti, adeoque hominum felicitati aduerſetur, deliberato conſilio in prauos animum affectus incitare atque compellere. Porro habere poeſin & hoc incommodi putant, quod, qui ſemel animum ad eam adiecerunt, vix rurſus, amabilis inſaniae dulcedinae capti, inde ſe expediant, omneque adeo vitae tempus in nugis ac naeniis tranſigant. Conſiderans illud M. Aurelius Antoninus imperator (a) gratulatur ſibi, quod magnos in poetica arte

(x) *lib. III. carmin. ode IV.* (y) *Art. Poet. v. 195.*
(z) *add. Morhoſii diſſertat. de enthuſiasmo ſive furore poetico, in diſſertationibus eius academicis p. 71. ſeqq.* (a) *lib. I. §. XIV.*

Digitized by Goo

arte non fecerit progreſſus. A diis, inquit, & hoc accepi, τὸ μὴ ἐπὶ πλέον μὲ περσκέψαι ἐν ῥητορικῇ, καὶ ποιητικῇ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιτηδεύμασι, ἐν οἷς ἴσως ἂν κατεσχέθην, εἰ ἠθέλομεν ἑαυτὸν εὐόδως προϊόντα: *quod magnos in rhetorica, poetica, reliquisque ſtudiis progreſſus non feci, quae me fortaſſis plane detinuiſſent, ſi me feliciter proficere ſenſiſſem.*

§. XII. Cum primum inuenta poeſis eſſet, colique coepiſſet, grauiſſima Philoſophiae tradebat dogmata.

- - - Fuit haec ſapientia quondam,
Publica priuatis, ſecernere ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri &c. (*b*)

Atque haec tum praecipiebat,

Honor & nomen diuinis vatibus atque
Carminibus venit.

Nimirum nonnulli de rebus diuinis verba faciebant, Orpheus & Amphion: naturae myſteria pandebant alii, vt Empedocles, Aratus, Palaephatus, & inter Latinos, Lucretius. Alii mores hominum formabant, idque tum aperte, tum lepidis commentis hunc in finem excogitatis. Nec profecto vituperandum hoc adeo videtur, cum rudiori ſeculo auſtera Philoſophiae praece-

(b) *Horatius de arte poet. v. 396. ſeqq.*

Digitized by Google

pta, poetica iucunditate temperata, admitterent facilius homines, altiusque animis infigerent. Ita profecto eſt, philoſophia

Grata parum, nec ſpecioſa Dea eſt,

adeoque

Lenibus attentas numeris defluxit in aures
Mollius.

Diſſimulanda itaque & quodammodo emollienda fuit, ne primo ſtatim adſpectu deterreret homines, atque fugaret. Nec nefas fuerit demulcere animos, & voluptate honeſta perfundere, cum ſimul illorum ſalus, felicitasque, ſapientiae illis proponendo praecepta, promoueatur. Quemadmodum nec medicus, quod reprehendi debeat, committit, ſi ingratum medicaminum ſaporem dulcedine temperet, nauſeaeque aegroti hac ratione ſubueniat. Atque in iſto quóque poeſeos genere, vt aut rariores, aut minus vehementes affectus adſunt, ita, ſi vel maxime vehementiori affectu concitati inſurgant, culpandum hoc minime eſt. Nec enim quiuis in vitio ponuntur affectus: nonnulli, ſi non laudem, ſaltem excuſationem promerentur. Sanctiſſimum omnium, qui vnquam vixerunt, regem atque vatem Dauidem, non pedeſtri ſermone incedentem, ſed ſaepius grauiori vehementiorique affectu, & diuino afflatu, perculſum commotumque, mox

Nu-

Digitized by Google

Numinis canere laudes, mox inſectari improbos, mox crimina profiteri, adeoque ſubinde triſtem atque moerore confectum, interdum laetantem & exultabundum, indignabundum etiam, & ſanctiſſimo zelo ardentem merito admiramur. Hunc ergo pariter damnabit, qui poetas ob id, quod affectibus ſubinde inflammentur, iure ciuitatis in orbe erudito excidere putat. Ita proinde ſtatuo, poeſin, ſi rite & caute exerceatur, nec reiiciendam aut damnandam, nec ſuo loco, quem hactenus in orbe erudito obtinuit, deturbandam eſſe; aſt ſi libidinis ſaltem, aut ambitionis, aut petulantiae ſit inſtrumentum, vt profecto hodie haud raro eſt, ſatius longe eſſet, hanc artem ignorare penitus, quam ea & ſe & alios miſere perdere. Ceterum quae Theodorus Parrhaſius (c) contra poeſin atque poetas diſputat, ad hominum, ſaltem arte hac pariter ac poetarum lectione abutentium, vitia perſtringenda pertinent, artem ipſam non feriunt, in quibus nos adeo non ſibi refragantes habet, vt in multis ſententiae eius lubentes ſubſcribamus. Sed videant hac de re, quorum intereſt, ea omnia, quae poetis obiiciuntur, accuratius ab illis amoliri.

§. XIII. Rectius forte in exemplum hic proponitur aſtrologia, quam ad fallendos in-

(c) *in Parrhaſianis T. I. p. 1. ſeqq.*

incautos vnice comparatam esse, nonnulli existimant. Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, astrologos vocat Cornelius Tacitus. (d) Et quis astrologos, nisi ipse astrologus sit, non damnat? etiam ex iis, qui eorum praedictionibus delectantur. Egerunt hoc certatim viri docti, vt astrologicae artis vanitatem demonstrarent, & integris quidem operibus Hieronymus Sauanorola (e) & Ioannes Picus Mirandulanus, (f) aliique, quibus Ioannes quoque Sarisberiensis, (g) Daniel Bartoli, (h) Benedictus Pererius. (i) Paulus Merula, (k) Gerhardus Ioannes Vossius, (l) Petrus Gassendus, (m) & quos Gisbertus Voetius n) recenset, suffragantur. Addere his & alios possem, si auctoritatibus res confici posset. Sed tum quidem dubius omnino certaminis huius, atque anceps futurus esset euentus,

(d) *lib. I. hist. cap. XXII. n. 2.* (e) *aduersus astrologiam diuinatricem.* (f) *in lib. XII. aduersus astrologos.* (g) *lib. II. Policrat. cap. XIX.* (h) *in operibus moralibus part. III. lib. II. c. X. seqq.* (i) *lib. II. commentar. in Genes. & in libris aduersus fallaces & superstitiosas artes magiae, onirocritices, & astrologiae iudiciariae,* (k) *lib. II. Cosmographiae generalis cap. XVI.* (l) *theologiae gentilis lib. II. cap. XLVIII.* (m) *lib. VI. Phys. sect. II.* (n) *in dissertat. de prophetia.*

tus, cum & ex Graecis, & Arabibus, & Latinis ingens facile illorum exercitus cogi poſſit, qui aſtrologiae cauſam tuendam ſuſceperunt. Et quid non molitus eſt Ioannes Baptiſta Morinus, (o) vt veritatem ac certitudinem huius artis euinceret, ac ſtabiliret? Sed audiamus potius rationes, quibus labefactare infirmareque hanc artem illi ſolent, qui eam vt vanam atque incertam reiiciunt. Sideribus quidem cunctis, cumprimis planetis, magnam in haec ſublunaria agendi vim efficaciamque ineſſe, praeſertim quod ad ſolem & lunam attinet, concedunt, cum ipſa hoc doceat experientia. Non tamen aliter hoc capiunt, quam quod lumen, calor, motus ſolis, aerisque mutatio, aut influxus alius a luna proficiſcens, corpora quodammodo afficiat, magis, aut minus, pro corporum aliarumque περιστάσεων ratione. Aſt quod omnes planetae tali vi polleant, ſpeciatim, quod Saturnus frigefaciat, Mars exſiccando vrat, & quae ſingulis porro operationes tribui ſolent, cumprimis autem, quod non ſolum corpora ſublunaria, hominumque vita, ſalus, interitus, ſed mentis quoque decreta, conſiliaue, fortuna hominis ſecunda & adverſa, regnorum ciuitatumque incrementa, decrementa, mutationes, euerſionesque hinc

(o) *in aſtrolog. Gallica, propriis principiis & rationibus ſtabilita.*

hinc pendeant, id vel vnico demonſtrari poſſe argumento, inficiantur. (p) Rationem inſuper manifeſte repugnare dicunt, cum ob diſtantiam, aliorumque ſiderum, maiori vi in haec ſublunaria agentium, interpoſitionem, plerorumque planetarum operatio in haec inferiora aut nulla, aut non ſenſibilis eſſe poſſit, tantum abeſt, vt, quae cuiusuis operatio ſit, peruestigari ac determinari queat. Totum praeterea aſtrologicae vanitatis apparatum, ſigna zodiaci, domusque planetarum, aſpectuum virtutem & efficaciam, & cetera otioſorum, vt putant, hominum commenta, lubrico, quin nullo inniti fundamento contendunt: iisque adeo proſcriptis, omnem artem vt domum, ſubtractis fulcimentis, corruere autumant. Illud autem oppido lepidum eſſe aiunt, quod ex illis ſiderum aſpectibus futura canant, qui tempore natiuitatis fuere, cum rariſſime momentum temporis, quo quis natus eſt, cognitum & perſpectum habeant. Itemque quod caulas proximas, a quibus mores hominum progignuntur, parentum naturam, ſobolis nutritionem, educationem, aerisque circumfuſi conditionem, ſupine & ſecure praetervolent; vt eo tutius ab aſtris fata hominis ac-

(p) *vid. Io. Chriſtophori Sturmii diſſertatio de influxu ſiderum cap. II. in philoſoph. eius eclectica p. 630. ſeqq.*

accerſant. Addunt denique, recentiores Ptolomaeum & Arabes ſtolide ſequi, quorum tamen praecepta noſtro climati haud-quaquam conueniant.

§. XIV. Fatentur quidem, cum ſemper ſibi ipſi faueat ſuperſtitio, nec hisce hominibus deeſſe, quibus credulis vaniſſimae artis admiratoribus caliginem obiiciant. Ad experientiam enim omnes prouocare, ad eam ceu ad ſacram confugere ancoram. Sed opponunt illud Ciceronis: (q) *quam multa ego Pompeio, quam multa Craſſo, quam multa huic Caeſari a Chaldaeis dicta memini: neminem eorum, niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe morituru m: id mihi permirum videatur, quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, cum praedicta quotidie videant re & euentu refelli.* Nonne, inquiunt, nobis permirum videretur, in tanta litterarum bonarumque artium claritate, poſt tot aſtrologorum fraudes detectas, nihilo ſecius reperiri, qui vento paſci velint, carduisque delectentur? Deſinant ergo, ita pergunt, nobis illud occinere: euenire tamen interdum, quae diuinatores illi praedicunt: cum enim multo plura ſint, quae non eueniant, cur incidiſſe eos caſu in veritatem, non arbitremur? Ita quidem aſtrologorum cenſor acerrimus Picus Mirandulae Comes (r) colligit, additque: *Quid quod*

(q) *lib. II. de diuin. n. XCIX. p. m. 400.* (r) *contra aſtrologos lib. II. cap. II.*

quod nulla est ars tam anilis, tam vanae superstitionis, quae non eodem argumento vera comprobetur: quia aliquando scilicet accidat, quod ex ea praedictum sit. Quare dicant mihi, qua ratione ista moueantur: putentne omnem artem diuinatricem veram, an multas potius vanas & falsas? si multas falsas, probabo ego istas veras eodem argumento. Si omnes veras, pugnantia eos credere demonstrabo, quia de iisdem rebus, diuersae artes diuinatrices, idem non respondent. Exempla porro Petrus Gassendus (s) collegit, quae astrologiae admiratores vanitatis conuincant: ex quo & nonnulla repetit Io. Christoph. Sturmius. (t)

§. XV. Nec tantum vanitatem & incertitudinem in arte astrologica culpant, sed bonarum mentium certissimam pestem eam esse, affirmant. Superstitione quid foedius? At hanc indiuulso nexu secum coniunctam habere astrologiam, eademque animos inficere, & verae solidaeque eruditionis ac sapientiae fundamentum, sinceram puto pietatem, euertere atque labefactare. Suo itaque probant calculo iudicium Augustini, qui, cum demonstrandum ex instituto suscepisset, curiositati genethliacorum daemones sese immiscere, *omnes igitur*, inquit, *artes huiusmodi, vel nugatoriae, vel noxiae superstitionis, ex quadam pestifera*

(s) *in animaduersionibus in lib. X. Diog. Laert. p. 966. seqq.* (t) *in dissert. cit. cap. III.*

fifera a ſocietate hominum & daemonum, quaſi pacta infidelis & doloſae amicitiae conſtituta, penitus ſunt repudiandae & fugiendae Chriſtiano. Adeo, inquiunt, in propriam perniciem praecipites dat ſui cultores aſtrologia, tantum abeſt, vt ad felicitatem veram aliquid conferat. Nec menti bonae ſolum inimica eſt, ex illorum ſententia, ſed multos illi addictos in magnas calamitates, rerumque omnium inopiam coniecit, quin vita privauit. *Vtinam*, inquit Picus Mirandulanus, (u) *huic quidem patrimonium non abſtuliſſet; illi patriam & vitam; multos ſpe vana ſtolidos & inſanos, multos timore miſeros non effeciſſet!* Atque ita tum in ſuos cultores, vt porro diſſerunt, ſaeuit, tum in eos, qui aſtrologis temere credunt, ſuisque adeo perniciosa, in alios iniuria eſt. Iam pridem hunc in modum ratiocinatus eſt Phauorinus philoſophus, apud Gellium, (x) miſeros eſſe aſſerens, qui aſtrologis fidem adhibent, vtcunque etiam res cadat. *Aut aduerſa enim*, ita arguit, *euentura dicunt, aut proſpera. Si dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra expectando. Si aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſint non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura ſunt, tum plane duo erunt*

X *incom-*

(u) *contra aſtrolog. lib. II. cap. II.* (x) *N. A. lib. XIV. cap. I.*

incommoda; & exſpectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit & futurum gaudii fructum, ſpes tibi iam defloruerit. Nullo igitur pacto vtendum e usmodi hominibus, futura praeſagientibus. Legibus itaque tum ſacris, tum ciuilibus artem iſtam prohibitam, petulantiamque eam profitentium coercitam obſeruamus. Cornelius Hiſpallus praetor, teſte Valerio Maximo, (y) intra decimum diem illos abire ex vrbe atque Italia edicto iuſſit, illos neutiquam ferendos aſſerens, qui leuibus atque ineptis ingeniis, fallaci ſiderum interpretatione, quaeſtuoſam mendaciis ſuis caliginem iniicerent.

§. XVI. Et haec quidem aliaque ſpecioſa admodum contra aſtrologiam diſſeruntur. Nec tamen, quod neutiquam diffitendum eſt, deſunt aſtrologis, quae hisce opponant, quae prolixe referre, aut reuocare ſub examen, noſtri inſtituti non fert ratio. Mihi ſi liceat libere meam hac de re exponere ſententiam, ita omnino arbitror. Primo certum puto, magnam ſiderum vim eſſe poſſe, quae nobis tamen ignota ſit & parum explorata. Nec ſuffragari illis poſſum, qui ſiderum efficaciam ex eo ſtatim capite in dubium vocant, quod ratione ſua, quo pacto in ſublunaria agant, percipere non valeant. Perinde ac ſi non quotidie multi rerum naturalium nobis offerrentur effectus, qui

(y) *lib. I. cap. III.*

Digitized by Google

qui vim omnem captumque mentis noſtrae ſuperant. Eſt hoc mortalium vitium, quod in naturalium quoque rerum ſcientia errores plurimos progignit, quod rationi ſuae mentisque perſpicaciae nimium tribuant, eaque ſtatim aut negent, aut in dubium vocent, quae non dicam cum ratione, ſed opinionibus, quas ſemel amplexi ſunt, defendendasque ſuſceperunt, non conueniunt. Aſt rurſus tamen & aſtrologos peccare puto, dum fidenter vim illam operationemque ſiderum cognitam ſibi plane & perſpectam putant, aut omnino maiorem vim, quam qua gaudent, illis tribuunt, dum artem ſuam pro certa venditant, quae maximam partem dubiis atque incertis innititur fundamentis. Et hactenus quidem mea opinione non errant, qui vanitatem ac incertitudinem aſtrologiae obiiciunt, modo hominum inſcitiam arguant, non vero naturae ipſi ex ſuo ingenio limites terminosque certos ſtatuant. Atque huc cum fraudes ac inſidiae illiorum accedant, qui arte hac ad turpem quaeſtum abutuntur, non immerito caute ac circumſpecte hic incedit, qui ingenium artibus bonis litterisque imbuere cupit, ne temporis, quod reuocari nequit, ſi ſemel praeterlapſum fuerit, & quod praeſtantioribus artibus addiſcendis impendi poterat, male collocati poenitentia ſero nimis eum ſubeat.

§. XVII. De iis artibus, quae aſtrologiae aut originem ſuam debent, aut vanitate & incertitudine eam, ſi non ſuperant, ſaltem illi non cedunt, nec minorem perniciem animis mortalium afferunt, plura nunc dicerem, ſi cum Hercule ad Augiae aliquod ſtabulum infelici ac triſti labore repurgandum, damnatus eſſem. Nunc autem omnes vel hoc exemplo edoctos facile ſibi proſpicere poſſe arbitror, ne in eiusmodi temere ſe dent ſcientiam, quae ſuos cultores ad praecipitia ducat. Pergo itaque potius ad eas, a quibus tantum quidem periculum nobis non imminet, interim cum praeter difficiles nugas nullum fructum ferant, non minori quoque diligentia ſunt fugiendae. Tullius (z) quidem in veri cognitione duo cumprimis vitia vitanda eſſe docet, quorum vnum eſt, *ne incognita pro cognitis habeamus, bisque temere aſſentiamus: alterum, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras atque difficiles conferant, easdemque non neceſſarias.* Si ſaluberrimi huius moniti memores eſſent, qui litteris ſe dedunt, tot millia hominum tanto conatu inania non conſectarentur. Veterum quidem ſophiſtarum λόγοι ἐριστικοὶ, σκεπτικαὶ ζητήσεις, & ſimiles nugae exem-

(z) *de offic. lib. I. cap. V. p. m. 56. 57.*

exemplum praebere poterant; ſed quid opus, vitiorum documenta ab antiquis repetere, cum noſtra aetas etiam ſit eorum feraciſſima? Scholaſticorum ſcripta, tum philoſophica, tum theologica, eorumque qui ex hisce fontibus ſua irrigarunt arua, monumenta adeat, qui hac de re certior fieri cupit. Philoſophia nihil praeſtantius humano generi obtingere potuit, magnaque merito apud omnes eius eſt dignitas auctoritasque: ſed qui de ſcholaſticorum philoſophia ita ſentiunt, perinde profecto faciunt, ac qui in ſimiam quadrare putant, quae de homine optimo iure praedicantur. Per intempeſtiuam ſane horum hominum diligentiam tota philoſophia in ſophismata paulatim delapſa eſt, artemque ſapiendi in artem rixandi & altercandi, idque de rebus leuiſſimis, conuerterunt. Diceres, cum Alchymiſtis certamen illos iniiſſe, hoc ſaltem diſcrimine, quod illi quidem viliora metalla in aurum, hi ſapientiam in λογομαχίαν, mutarint. Tanta autem ſeueritate in hisce naeniis vaniſſimisque commentis verſantur, vt iurares, homines tum maxime inſanire, cum ſe ratione quam pulcherrime vti ſibi videntur. Hinc ſcholaſticorum opera cum aranearum telis non male componit vir ſapientiſſimus Franciscus Baco a

Verulamio, (a) quae vt ob subtilitatem admiratione profecto digna sunt, vsum si spectes, quisquiliarum cumulum augent. Operae pretium fuerit, ipsum hac de re audire: *Scholastici sunimo otio abundantes, atque ingenio acres: lectione autem impares, historiarum vero, & naturae & temporis maxima ex parte ignorantes, ex non magno materiae flamine, sed maximo spiritus quasi radii agitatione, operosissimas telas, quae in libris eorum extant, confecerunt. Etenim mens humana, si agat in materiam, naturam rerum & opera Dei contemplando, pro modo materiae operatur, atque ab eadem determinatur: sin ipsa in se vertatur (tanquam aranea texens telam) tum demum interminata est, & parit certe telas quasdam doctrinae, tenuitate fili operisque admirabiles, sed quoad vsum friuolas & inanes.* Verulamio suffragatur Gabriel Naudaeus, (b) qui iisdem verbis, dissimulato tamen Verulamii nomine, ineptias atque commenta horum hominum perstringit. Facessant itaque procul operosa ista scholasticae turbae volumina, quae vel solo adspectu, tanta illorum moles est, horrorem incutere discentibus possint. Tuto haec despiciet ingenium suum rite excolturus, nisi forte pulchrum ducat ea discere, quae didi-

(a) *de augment. scientiar. lib. I. p. 15. 16.* (b) *in syntagm. de studio liber. p. 609. it. p. 625. add. Thomas Crenius in not. ad h. l.*

Digitized by Google

didiciſſe nemini hactenus profuit, multos autem poenituit. De theologia ſcholaſtica idem eſt cenſendum. Rolandi Mareſii (c) viri eleganter docti, ſolidum hac de re extat iudicium. *Nunc in theologia* inquit, de ſcholaſtica verba faciens, *res huc recidit, vt remiſſis aliis neceſſarius in eam inuectae ſint quam plurimae ſubtiles & curioſae quaeſtiones, quas gentium doctor appoſite λογομαχίας vocat, & παραδιατριβὰς, & in quibus κενοφωνίας & καινοφωνίας vitare iubet. Verum non in ſola eiusmodi theologia meliores iuuentae annos, & ſtudius magis idoneos collocare oportet. In ea enim multa, quae iuuenes didicimus, ſenes perdenda fateri cogimur.*

§. XVIII. Contingit tamen ſaepius, vt, quae per ſe neutiquam ſpernenda ſunt ſtudia, ob intempeſtiuam illorum, a quibus tractantur diligentiam, in contemptum abeant. Sunt nimirum quaedam litterarum genera ita comparata, vt illud Neoptolemi apud Ennium, (d) philoſophandum, ſed paucis, de illis omnino vſurpari queat, vſumque ingentem praebeant, ſi modice & moderate iis vtamur, inutilia autem, & vanae ambitionis inſtrumenta euadant, ſi intem-

 peran-

(c) *lib. II. ep. XLV. p. 477. add. Adamus Tribbechouius in libro ſingulari de doctoribus ſcholaſticis & corrupta per eos diuinarum humanarumque rerum ſcientia.* (d) *vid. Cicero Iuſc. quaeſt. lib. II. n. p. m. 191.*

perantius in illis verſemur. Arte critica, ſobriaque rituum veterum inueſtigatione nihil praeclarius eſſe, nemo abnuerit, qui iuſtum rebus omnibus ſtatuere pretium didicit. Criticae vtique arti (e) omnis, quae ex hiſtoriae cognitione hauritur vtilitas, imputari debet; ea corrupta emendando, mutilata reſtituendo, traiecta ſuo loco reponendo, ambigua & obſcura interpretando, viam ad ſapientiae fontes, omnisque generis, atque aetatis ſcriptores, nobis pandit. Quin, quod maximum praeſtantiſſimumque Critices munus eſt, ſcripta ſuppoſititia a veris diſcernendo, efficit, ne pro junone amplectamur nubem. Sine rituum autem cognitione veterum monumenta obſcura ſunt, & merae tenebrae, vt ſatius ſit, ea non attingere, quam hoc praeſidio deſtitutum ad ea accedere. Vel diuinarum litterarum exemplo hoc conſtat, in quarum ſenſum haud raro quantumuis linguam graecam ebraeamque accurate tenens, iisque omnibus munitus artibus, quibus inſtructum eſſe interpretem decet, fruſtra penetrare annititur, quem mores & inſtituta veterum Ebraeorum fugiunt. (f) Poterat itaque haud immerito alicui magna ſeculi noſtri

(e) *vid. Io. Clericus in Arte Critica T. I. praefat. ſect. III. p. 9. ſeqq.* (f) *conf. Vlrici Huberi oratio de paedantismo p. m. 259. ſeqq.*

noſtri videri felicitas, quo ad minutias vsque ſingula excutiuntur, praeſertim ſi cum illo tempore contendatur, quo arida tantum totaque ſubtiliſſimis nugis conſuta, philoſophia regnauit, ceterae vero artes, cumprimis elegantiores muſae, penitus conticuerant. Cui foediſſimae imperitiae, e republica litteraria tollendae, cum renaſcentibus bonis litteris praeclare quaedam mentes incumberent, factum propemodum eſt, vt ipſa medicina orbem obruerit. Adeo verum eſt, quod dici ſolet, ingentivm malorum remedia numquam ſuis carere periculis. Paucis: exorta eſt noua, & prorſus contraria hominum ſecta, qui nimiam verborum & antiquitatis curam habent. Hinc tanta Criticorum ſeges efloruit, (g) qui ad ſummam eruditionem nihil ſibi deeſſe putant, modo hisce vocabulis oculos legentium defatigent: *deleo, interpungo, corrigo, manuſcripta ſic habent, hoc ab antiquo ritu,* & quae alia ſunt ineptiſſimae ambitionis verba. In ritibus autem & inſtitutis veterum ediſſerendis ſic verſantur, vt vtilia ab inutilibus, quaeque momentum trahant, ab iis, quae ſcire noſtra non intereſt, non ſecernant. Neque aliud iam in ſcholis detonant, vt lepide eos nonnemo (h) deſcribit, quam num in vrbe iuſtitia, vel

(g) *vid. Io. Barclaius in Euphorm. part. I. p. 95.* (h) *Barclaius l. c.*

extra pomoeria humanitas, olim carnificibus habitationes decerneret? Quis meretriciis titulis color? quae fornicibus anguſtiae eſſent? quot fibulis ſtaret veſtis? &c. Vidit quoque hanc litterarum peſtem acerrimi iudicii vir Gabriel Naudaeus, (i) eamque deteſtatus eſt. *Quotus quisque*, inquit, *eſt Grammaticae rudimentis, & humaniorum litterarum tinctura vel mediocriter imbutus, qui non otio ac ingenio ſuo abutatur in vocularum quarundam proprietatibus moroſe tractandis, earundemque etymologia ſuperſtitioſe inueſtiganda, aut ſi paululum altius ſapiant, in quaeſtionibus illis euentilandis, quae Grammaticorum cruces, aut potius bonae mentis ſcopuli, vada, ſyrtes, merito vocantur, quales ſunt illae, quibus Tiberius genus iſtud hominum torquebat, quaerendo ab illis, quaenam fuerit mater Hecubae? quid Sirenes cantu dicant? Achilli quod nomen, quando inter virgines latebat? &c.* Nec tamen profecto noſtrae ſaltem aetatis ea eſt miſeria, vt nonnulli in his nugis optimos conſumant dies. Vt omnis fere tellus, ita & omne ſeculum fert homines, qui magno conatu nihil agere, pulchrum atque decorum ducunt. Seneca (k) etiam grauiter hac de re conqueſtus eſt.

(i) *in ſyntag. de ſtudio liberali cap. XIX. p. 622. 623.* (k) *Epiſt. LXXXVIII. p. m. 734.*

eſt. *Quatuor*, inquit, *millia librorum Dydimus Grammaticus ſcripſit, miſer ſi tam multa ſuperuacua legiſſet. In his libris de patria Homeri quaeritur, in his de Aeneae matre vera, in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: in his an Sappho publica fuerit, & alia, quae erant dedifcenda, ſi ſcires.* Eſt quidem Romanae Graiaeque gentis magna dignitas, celebritasque, vt, quales in omni vita ſiue publica, ſiue priuata fuerint, quibusue moribus vſi ſint, omnes paulo humaniores non immerito ſcire cupiant. Verum vt iterum recte Rolandus Mareſius (l) iudicat, in his ad minima quaeque deueniendum non eſt: ſufficit, vt ad auctores intelligendos ea qualitercunque noſcantur. Delectus omnino habendus eſt, quae vtilitatem quandam parere poſſint, & ad mores noſtros referri, vt cum illorum inſtitutis noſtra conferri, &, vtra commodiora ſint, iudicari queant. *Verum*, ita pergit Mareſius, *de circo, de comitiis, quid iuuat tam ſtudioſe inquirere?* (m) Non itaque hoc ita accipi velim, ac ſi antiquitatis ſtudium, criticamque artem, ex orbe erudito proſcriptam cupiam: abſit! hoc contendo, ad minutias hic non deſcendendum, nec minima cum anxietate ea conſectanda eſſe, quae ad bonam mentem nihil proſunt. Nec ex-

(l) *lib. I. Ep. XLVI. p. 204.* (m) *add. Edmundus Richerius in obſtetrice animorum p. 23.*

excuſatius hic peccant, qui eandem iudicii imbecillitatem in Ebraeorum ritibus perveſtigandis produnt, niſi ebraeorum forte magiſtrorum, febriculoſa ſua curioſitate cordatis tuſſim atque grauedinem mouentium, auctoritate atque exemplo ſe tueri velint. Quid enim quaeſo iuuat ſcire, quam formam habuerint calceamenta Ebraeorum? quot ludorum apud eos fuerint genera? & quae infinita ſunt eiusmodi otioſorum hominum ζητήματα. Profecto enim pleraque ita ſunt comparata, vt, cum per ſe ridicula ſint & inepta, lux illa, quam litteris diuinis affundere dicuntur, Diogenis lucerna quaerenda ſit, & ita tamen incertum, dubiumque maneat, an inueniri poſſit. Haec omnia tantum abeſt, vt ad ingenii culturam quicquam faciant, vt talia ignoraſſe, inter virtutes etiam viri eruditi numerandum ſit.

§. XIX. Magna itaque ſapientiae pars eſt, intelligere, quae artes addiſcendae ſint, quaeue contra rectius ignorentur, aut negligantur. Sed cum illae etiam, quae omnium, ſaltem ſaniorum, conſenſu vſu non carent, non eodem omnes habendae ſint loco, ſed aliae aliis magis ſint neceſſariae, rite ingenium ſuum exculturum, quantum cuique ſtatuere pretium debeat, profecto nec ſine dedecore, nec ſine detrimento fugiet.

giet. Quam vero & hic in rerum aeſtimatione plerique ſuum potius genium ſequantur, quam ex rei veritate, vt decet, ſtatuant, litterarum, quibus ad maiora praeparatur animus, exemplo, manifeſtum eſt. Sane harum cultores praecipue hoc vitio laborare, aſſerit Theodorus Parrhaſius, (n) in cuius rationes nunc inquirere non lubet: id certum, latinae linguae in tantum nonnullos fauere, vt ne inter eruditos quidem locum concedant illis, qui puro & emendato ſermonis genere non vtuntur. Ioachimus Fortius Ringelbergius, vt ceteros nunc taceam, in ea fuit opinione. Namque *gloriam latine ac polite ſcribendi, inter humanos conatus omnes ſummum tenere locum,* aſſerit, *ſeque decreuiſſe,* addit, *in hac finire vitam.* Aliis contra haec adeo non placent ſtudia, vt latini ſermonis cultum, ſi non pernicioſum cenſeant, ſaltem inter ſuperuacua & inutilia referant. Et hi quidem, vt ſuam tueantur ſententiam, verborum elegantiam, illis, qui de rebus ſolliciti ſunt, minime neceſſariam eſſe aiunt: quin indecoram eſſe nonnulli contendunt: aut ſi indecora non ſit, fieri tamen poſſe negant, vt vnus idemque in vtroque excellat, & tum rerum ſcientia polleat, tum dicendi facultate praeſtet. Addunt, florem aetatis non ſine irreparabili

(n) *in Parrhaſianis T. I. p. 243.*

bili damno in comenda exornandaque oratione consumi, neglectis interim sapientiae studiis, ad quae inepti deinceps fiant, intellectu non rerum considerationi innutrito, sed captandis vocibus, componendis formandisque periodis, pingendae ac poliendae orationi adsueto, voluntate autem vitiis interim ita oppleta vt iis eradicandis vix tota hominis aetas sufficiat. Contra qui secus sentiunt, maiestatem dignitatemque linguae latinae, vsumque eius amplissimum, per orbem vniuersum se diffundentem, nobis commemorant, simulque euilescere sapientiae praecepta contendunt, cum illi, qui de rebus cognitu dignissimis dicere ingrediuntur, nihil nisi portenta verborum euomunt. Et sane singularem esse linguae latinae dignitatem, maiestatemque, forte non inficiabitur, qui ea legerit, quae pro ea asserenda docte non minus quam eleganter disseruit Io. Vincentius Grauina. (o) Latinam linguam Romanorum armis, & commercio simul cum Imperio in omnes fere orbis terrarum regiones penetrasse & disseminatam esse, ait: huic terrarum oras omnes aperuisse Imperii maiestatem; eamque tanti fuisse, vt non modo populos inter se, regionibus moribusque disiunctos, sed

(o) *in dialogo de lingua latina, in opusculis eius Romae editis. p. 59. seqq.*

sed scientias etiam & artes, quotquot graece traditae fuerunt, commercio suo comprehenderit. Tantam porro eius esse voluptatem contendit, quantam, si graecam exceperis, aliarum linguarum habeat nulla. Eam namque ornari mirifice posse, & contrahi modo, modo laxari, ac ad numerorum & sententiarum varietatem flecti, & verborum luminibus, mirisque translationibus illustrari: commendari eam vocabulorum vbertate, significationum foecunditate, nexusque facilitate & gratia: elegantiam quoque & maiestatem illi inesse, & in ipso verborum sono imperium quoddam consulare. Haec & alia etsi concedantur, id quidem demonstrant, habere linguam latinam, quo ceteris se praeferat, vtilitatem, ac necessitatem eius nondum euincunt. De hac igitur cumprimis dispiciendum. Sorellus, vir doctus, sine graecae latinaeque linguae subsidiis ad perfectam rerum cognitionem peruenire nos posse credidit, & ideo encyclopaediam aliquam, ex gallicis tantum auctoribus concinnatam, dare voluit, sed hoc eius consilium vanum vocat Bailletus. (p) Certe vt vernacula lingua accurate cuncta exprimantur, quae cognitu necessaria, a scriptoribus Romanis ad

(p) *in Iugemens des sçavans sur les principaux Ouvrages des Auteurs. T. II. p. 180.*

ad nos peruenerunt, vix fieri posse videtur. Et cum hodienum in omnibus eruditi orbis partibus multa sermone Romano scribantur, eorum omnium cognitione linguae latinae imperito carendum esset. Demus autem, sublato huius linguae vsu, vnumquemque vernacula scribere, loco vnius multae linguae, maiori & temporis, & sumtuum iactura, addiscendae essent: cuius quidem rei incommoda iam hodie sentimus, dum multi vernacula scribere malunt, rectius forte sibi & aliis consulturi, si Romano sermone vterentur. Atque eadem profecto ratio est, cur latini sermonis facultas in bonae mentis alumnis recte requiri videtur, vt cogitata apte & perspicue proferre in lucem, & cum aliis communicare queant. Certe si scribere aliquando illis contingat, quae aetatem ferre possint, nonne magno laboris fructu praemioque privantur, si intra vnius gentis limites subsistant? cum longe pluribus inseruire potuissent, si latini sermonis beneficio ad alias quoque gentes illorum labor promanasset. Supereſt ergo illud saltem, an cultum quoque & nitorem sermonis consectari par sit.(q) Hic quidem illud lubens largior, latini sermonis

(q) *vid. epistolae Io. Pici Mirandulani & Hermolai Barbari in epistolis Angeli Politiani lib. X. ep. IV. & V. p. 328. seqq.*

nis cultum, & nitorem in philosopho, aut iureconsulto, aut theologo neutiquam necessario requiri, vt si minus forte emendate minusque ornate scribat, nomen suum tueri non possit. Quis tamen afferet, necessitate tantum haec studia dirigi, nec ornatui aut commoditati vllum relinquendum esse locum? Quodsi in aedificiis, in vestitu, cultuque corporis non ea tantum admittimus, quae ad necessitatem sufficiunt, vt coeli arceamus a nobis iniurias, sed & quae ad cultum atque ornatum tantum faciunt, ne severissimis quidem morum magistris id redarguentibus, non respuimus: quae iniquitas esset, litterarum studia in eam detrudere conditionem, vt, ad ea illustriora reddenda, sermonis quendam afferre cultum nefas sit? Quodsi tam infelici quidam sint ingenio, vt sapientiae, illisque litteris, quae ab humanitate nomen adeptae sunt, simul litare nequeant, cum iliis nobis neutiquam res est. Negligant isti haec sacra, & praeteruehant, &, quae ingenii saltem infirmitas permittit, sectentur: non tamen contemnant, aut alios, qui praestantiori sunt indole, ab his arceant. Sunt enim profecto non pauci, qui elegantissimo foedere cum sapientiae studiis sermonis elegantiam puritatemque coniunxerunt, & hoc ipso magnum sublimioribus doctrinis conciliarunt decus. Nec

tamen ideo eruditi viri nomen illi ſtatim denegandum eſt, qui, multarum licet rerum cognitione ſcientiaque inſtructus, linguae latinae tamen rudis eſt. Ego ſane ita ſentio, cum pauciſſimi in eo inter ſe conſentiant, quis demmum viri eruditi nomine tituloque dignus ſit, & quisque fere pro ſuo ingenio eruditi viri imaginem animo concipiat, totam iſtam diſceptationem in vanam de vocibus abire concertationem. Tenera quoque adoleſcentum aetas ita hisce litteris erudiri poteſt, vt ſimul ad rerum cognitionem ducatur, nec quicquam praetermittatur, quod ad voluntatem emendandam, pravisque vitiis repurgandam, pertinet: quod ſi ſecus fieri quandoque videmus, non litterarum, ſed docentium vtplurimum vitium eſt, qui per ambages atque anfractus bonas mentes ducunt, quorſum planiori breuiorique via, ſine temporis diſpendio, aut rerum magis neceſſariarum iactura, peruenirí poterat. Fateor tamen, ſaepius hac in re per illorum, qui iuuentuti formandae praeſunt, inſcitiam, praeſertim apud nos Germanos turpiter peccari, eaque de re doctiſſimos viros haud ſine ratione conqueſtos eſſe, noui. Quos inter nunc Io. Chriſtophorum Wagenſeilium (r) honoris cauſa nomino. Illos au-

(r) *in Pera librorum iuuenilium, praef. loculamenti primi.*

autem, qui cum linguarum ſtudio ſemel ſe dederunt, ita illi adhaerent, vt vocibus, non rebus, animum paſcere pulchrum ducant, rectius ſapere Gabriel Naudaeus (s) docet. Namque ad hunc ſcopulum multos naufragium facere, ait, vt numquam ad ſcientias penetrent, quarum tamen fores linguae aperiant, ingratiſſimoque labore, vt iter reliquis praeparent, circa dictiones ac vocabula occupari.

§. XX. Vt autem latinae linguae maius, quam par eſt, pretium a nonnullis ſtatui ſolet, ita & in ceteris artibus, litterarumque generibus, quotidie id euenire videmus. Qui enim artem aliquam docent, eo plerumque omnes ingenii vires conferunt, vt eam ceteras vtilitate, dignitate, & amplitudine ſuperare omnibus perſuadeant. Hinc ea ad ſuam quisque artem traducere ac transferre conatur, quae profecto ab ea longiſſime abſunt, & ita incautis ſaepius fucum faciunt, vt magis neceſſariis praetermiſſis, ea ſectentur, quibus carere poterant. Ex matheſi, ſi ſobrie tractetur, plurima ad vitam ſine taedio tranſigendam, in hominum genus redundare commoda, nemo, niſi iniquiſſimus rerum aeſtimator, inficiatus fuerit. Ad naturae etiam arcana rite perſcrutanda, & quae hinc pendet, me-

(s) *l. c.*

Digitized by Google

dendi artem, citra controuerſiam plurimum confert. Haec, ſcientiae praeſtantiſſimae dignitatem, contra quosuis obtrectatores ſatis tuentur. Sed nondum ſatis hoc viſum eſt iis, qui omnia artium atque ſcientiarum genera matheſeos imperio ſubiecerunt, nullumque vitae inſtitutum conſiſtere, nullum negotium recte peragi, ſine matheſi contendunt. Quod vir quidam cetera acutiſſimus (t) aſſeruit, ſolam arithmeticam & algebram ingenium humanum ad eam perducere perfectionem, ad quam peruenire poſſit, cum per eas ſolum detegi veritates queant, quarum accurata datur cognitio, eiusmodi quidem eſt, quod nec peritiſſimis huius artis placuit, & vel ipſa experientia refelli poteſt, cum qui algebram ad vnguem vsque tenuerint, in aliis veritatibus inueſtigandis in primo ſtatim limine a recta via aberrauerint. Tolerari tamen hoc quodammodo poſſet: aſt quod alius ad geometriam commendandam ſcripſit, per eius ſtudium ſeu peritiam *haud parum iuuari poſſe mentes ad pietatem, concupiſcentiarum diminutionem, animi aequitatem, ad purae ſpiritualisque veritatis amorem &c.* in eo iuſtiſſimam viri doctiſſimi Pe-

(t) *Malebranche de inquir. veritate lib. VI. part. I. cap. V. p. 157.*

Petri Poireti(u) reprehenſionem promeruit, qui pluribus etiam comprobat, ſi matheſeos ſtudium per veram pietatem non temperetur ac dirigatur, plurima iſtud ſecum vehere incommoda.

§. XXI. Infinitum in me ſuſciperem laborem, ſi cuncta, quae hic dici poſſent, conquectare vellem. Exiſtimo tamen, vnumquemque intelligere, quam caute in generibus ſtudiorum diſcernendis, iuſtoque pretio illis conſtituendo, verſandum ſit. Illud inculcari ſatis nequit, cum, quo diligentius inculcatur, eo minus obſeruetur, in vanis & non profuturis tempus minime eſſe collocandum. Numquam enim deſunt, quae meliori iure noſtram induſtriam poſtulant. *Quamcunque partem*, inquit Seneca, (x) *rerum humanarum diuinarumque comprehenderis, ingenti copia quaerendorum, ac diſcendorum fagitaberis. Haec tam multa, tam magna, vt habere poſſint liberum hoſpitium, ſuperuacua ex animo tollenda ſunt.* Xenocratem quis non damnet, ne numerum ſyllabarum, quas elementa & litterae alphabeti varie inter ſe collocatae componerent, neſciret, maximam vitae partem in copulandis litteris, & ſyllabis ſubducendis, impendentem? Plerique tamen eodem modo vi-

(u) *de eruditione vera & falſa lib. III. §. LXVI. p. 344. ſeqq.* (x) *epiſt. LXXXVIII. p. 742.*

tam instituunt, vimque omnem, & subtilitatem ingenii in superfluis conterunt. Vt ergo Lacedaemonii, & Alexander Seuerus imperator, laudabili instituto, musicos & citharistas artem aliam magis reipublicae profuturam edisce re iusserunt, ita profecto optandum, vt vanae omnes atque superfluae artes, corrumpendis magis quam erudiendis ingeniis aptae, ex republica orbeque erudito proscriberentur. (y) Sed haec hactenus; instituti ratio ad alia nos vocat.

CAP. II.

Σύνοψις.

QVinam ad ingenii culturam apti sint? & primo quidem, num integrae nationes hinc sint remouendae? §. I. Quid sentiendum de feminis? §. II. Num aetas impedimentum afferat? §. III. Num dignitas? & an principes imbui litterarum studiis debeant? §. IV. Quousque nobilibus & generis claritate conspicuis hoc conueniat? §. V. An, qui theologiae studio se consecrarunt, aliis quoque litterarum generibus operari aut possint aut debeant? §. VI. Pauperes an ad haec sacra admittendi sint? §. VII. An arcendi a studiis sint, qui ingenio plane destituuntur? diuersitas quoque ingeniorum iuxta sententiam Iani Huarti exponitur, §. VIII. De ingeniorum di-

(y) *add. Edmundus Richerius in obstetrice animor. cap. II. §. III.*

Digitized by Google

diuersitate porro differitur, §. IX. X. XI. Quam necessaria sit ingenii exploratio, ostenditur, §. XII. Haec exploratio quo pacto sit instituenda? §. XIII. Num recte plura litterarum genera ab vno pertractentur? & quid de πολυμαθείᾳ sentiendum? §. XIV. Voluntatis quoque emendationem in eis, qui litteris operari cupiunt, requiri, demonstratur, §. XV. Quin improbos si litterarum studia tractent, & sibi & aliis plus nocere, quam prodesse, ostenditur. §. XVI.

§. I.

AGri nunc nobis exploranda indoles merito est, cui semen doctrinae liberalioris committendum. Dispiciendum videlicet, quinam demum colere litteris ingenium prae ceteris aut possint, aut debeant. Cum vero ipsae gentes, quae orbem vniuersum incolunt, & moribus & ingenio a se maximopere dissentiant, haud difficulter ea quenquam subire cogitatio posset, num forte integrae quaedam nationes, per naturam ingenium culturae adeo impatiens sortitae sint, vt ad litterarum sacra aditus illis penitus sit intercluſus? Non hodie demum obtinuit, vt a cultioribus gentibus distinguantur barbarae, hoc est, a cultu & humanitate pariter ac eruditione remotae. Si ab Europa discesseris, in ceteris orbis partibus, exceptis Chinensibus,

pauciſſimi mortalium litteris ſe ad humanitatem traduci patiuntur. Quin forte in ipſa Europa, gentes, quae inter cultiores ſe haud extremas putant, tam obtuſo ingenio ſunt, vt praeter laborem atque induſtriam in illarum monumentis, quod admiratione dignum ſit, nihil reperiatur. Profecto ipſos Germanos, ſi quorundam Gallicanorum cenſorum iniquiſſimis iudiciis ſtandum ſit, ab hisce ſacris arcere fas eſſet: ſed horum quidem inſulſas obtrectationes rationibus non minus, quam ſuo exemplo, vir quidam doctus profligauit. (z) Si quis vero eodem omnes gentes pollere ingenio dixerit, eum quid dicat, aſſeratue, parum habere penſi oportet. Non experientia ſolum eiusmodi hominem confutat, ſed & ratio. Ex aeris circumfuſi, & nos ambientis conditione ingenium varie temperari neceſſe eſt, cum aeris particulas ore naribusue ſorbeamus, quae ſanguini admiſtae, vt ſpirituum animalium tum indoles, tum motus, & agitatio varietur, non poſſunt non efficere. Spirituum autem iſtorum ratio cum in operationibus ingenii vtramque faciat paginam, non id modo, quod aſſerui, inde manifeſtum eſt, ſed cibi etiam potusque, vt & educationis, quae omnia in omnibus gentibus ſecus

(z) *vid. Vindiciae Germanorum contra obtrectatores Gallos.*

cus se habent, magnam ad ingenium mutandum vim esse, liquido constat. Videtur tamen latens quaedam atque recondita causa quandoque subesse, cum experientia constet, gentes, quae olim praestantissima protulere ingenia, omnem velut foecunditatem ita amisisse, vt nihil nisi illuuies, & squalida apud eas conspiciatur barbaries. Quid Aegyptios, quid Graecos commemorem? De Italis suis ita conqueritur Io. Vincentius Grauina, (a) *vt eam regionem, in qua splendor & elegantia florentibus Romanorum opibus nata est, & multis post seculis, quamuis conuulso iam imperio restituta, nunc non modo videri huius laudis praestdio spoliatam, sed in summam bonarum artium ignorationem pene demersam*, dicat. Num ergo genius aliquis seculorum, aut fati necessitas, aut alia quaedam occulta vis homines ingenio spoliat? Non licet nobis nunc hac de re disceptare; id credo manifestum est, ignauiam hominum, atque socordiam, luxuriam quoque, principum bonas artes vilipendentium exemplum, hic multum sibi vindicare. Non tamen haec quenquam morari debent, nec ingenium rite culturo, quam ceteri ciues sui ingenio valeant, quam ferax bonarum mentium sua aetas sit,

(a) *de conuersione doctrinarum, in opusculis eius p. 148.*

ſed quid ipſe valeat, quam ſe erga ipſum natura benignam demonſtrauerit, expendendum eſt, vt hinc conſiliorum ſuorum expediat rationes.

§. II. Aſt ſexus forte obſtat. Ergò ne & feminis in orbe erudito locus relinquitur? Cur denegaretur? Ingenio enim haud raro ita pollent, vt viros etiam ſuperent. Teſtantur hoc monumenta, quibus nomen ſuum commendarunt poſteris, quam plurima. Nec vni ſaltem, aut paucis forte tam felicibus eſſe contigit, vt litteris per ingenii bonitatem operari potuerint. Tam magnus eſt, obſeruante Aegidio Menagio, (b) elegantiorum litterarum ſummo antiſtite, feminarum, quae ſcripſere, numerus, vt de earum ſolis nominibus ingens volumen conſcribi poſſet. Noti in vulgus ſunt illorum labores, qui de feminis eruditione claris commentati ſunt, (c) qui rem ita ſe habere, neminem dubitare ſinunt. Iam apud veteres tantus illarum numerus fuit, vt Apollonius Stoicus ſingularem librum de iis ſcripſerit, quae philoſophiae ope-

(b) *in hiſtoria mulierum philoſophar. p. 3.* (c) *Iulius Caeſar Capaccius in elogiis illuſtrium mulierum ac virorum, itemque B. Iacobus Thomaſius in peculiari de hoc argumento diſſertatione. add. Morhoffius Polyhiſt. litterar. lib. I. cap. XIX. p. 228.*

operam dederint. Quemadmodum & seorsim Philochorum Grammaticum de mulieribus Pythagoricis scripsisse constat, de quibus & Iamblichus exposuit. (d) Cum vero & praeterea feminae suae salutis rationem non minus habere debeant, quam viri, & ad humani generis commoda promovenda, aliisque inseruiendum sint obstrictae, non tantum licere hoc, sed & si, cum possint, non tamen excolant ingenium litteris, perperam eas agere, plane contendo. Intelligi autem hoc velim de eiusmodi litterarum studiis, quae non ad vanam delectationem, aut ostentationem sint comparatae, sed quae ad metam, ad quam omnes contendunt, eas etiam perducant. (e) Quod cum secum expenderet Leonhardus Aretinus, de studiis ac litteris librum scripsit, (f) ad Isabellam Malatestam, quo de iis artibus exponit, quibus imbui feminae debent, quas sublimior quidam impetus concitat ad operandum bonae menti. Dignum quidem argumentum, quod praeclarum ingenium occupet, quod ta-

(d) *in vita Pythagorae lib. I circa fin.* (e) *conf. Annae Mariae Schurmanniae problema practicum: num feminae christianae conueniat studium litterarum, in opusculis eius p. 29. seqq.* (f) *recusum A. 1692. studio Cl. V. Thomae Crenii.*

tamen ab illo tanta induſtria iudicioque pertractatum non eſt, vt addi multa, aut rectius ſtatui non poſſint. Sed id nunc non ago. Ceterum, non promiſcue omnibus hoc aut concedo, aut iniungo, ſed illis, quibus per ingenii docilitatem, per fortunae reique familiaris atque domeſticae, rationem, ceteraque obſtacula, quae alias merito aliud vitae inſtitutum ſequi iubent, litteris nauare operam licet. Quibus obſeruatis, non eſt, quod a Muſarum ſacris abeſſe feminas iubeat Lactantius, (g) quod illis *inter puberes annos officia mox vſibus domeſticis profutura exercenda veniant.* Namque nec hisce temere, quas officii ratio ad alia vocat, ad Muſarum ſacra aditum patere volumus. Multo minus autem audiendi ſunt, (h) qui litteras ideo a feminis attingi nolunt, quod nec in eccleſiae, nec in fori officiis publicis, locus illis relinquatur. Perinde ac ſi non alia ratio detur, partam multo ſtudio atque labore doctrinam cum aliis communicandi, aut in aliorum vſus impendendi. Quid enim obſtat, quo minus ſcriptis alios eruditant, tanto quidem laudabiliori inſtituto quanto latius tunc eruditionis ſuae fructus ſpargere, quantoque pluribus eos impertire poſſunt? Sed non opus eſt, vt illarum cau-

(g) *diuin. inſtit. lib. III. cap. XXIV.* (h) *vid. Muretus var. lect. lib. VIII. cap. XXXI.*

cauſam prolixius agam, poſtquam iam eruditiſſimi viri eo munere functi ſunt.

§. III. A ſexu pergimus ad aetatem. Recte nimirum Ariſtoteles (i) docuit, primam aetatem hominum diſciplinis addiſcendis omnium commodiſſimam eſſe. Ariſtoteli ſuffragantur, quotquot de litterarum ſtudiis, formandisque ad eruditionem iuuenum animis praeceperunt, quos inter haud poſtremi ſunt, Io. Sturmius (k) atque Gabriel Naudaeus, (l) qui ſedulo illud inculcant, vt pueri ſtatim ab vnguiculis laudabiliter inſtituantur. Locum omnino hic habet illud Horatii: (m)

Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter,
Ire viam, quam monſtrat eques.

Puerorum itaque, adoleſcentum, atque iuuenum eſt, perpolire animum, & dum genua virent, dum, vt ille ait, iuuentus ridet, ſalutares illi induere doctrinas. Colligendae ſunt hac aetate opes doctrinae, quas viri facti in aliorum rurſus vſus rite diſpenſare queamus. Accedit, quod memoria felix, viuida imaginatio, integrae nec dum debilitatae ingenii vires, animus denique grauiorum curarum vacuus, ad tractandas & imbibendas litteras, hanc aetatem maxime aptam reddant. Cum etiam vi-

ta

(i) *problem. ſect. IV. problem. XXX.* (k) *de litterarum ludis recte aperiendis cap. XI. p. 189.* (l) *in ſyntagm. de ſtudio liberali cap. V. p. 595.* (m) *lib. I. ep. XI.*

ta hominis breuis, artium contra prolixae ambages sint, ea ineunda est temporis ratio, vt certa vitae pars discendis, certa etiam docendis, ac reliqua tandem ad vsum reipublicae transferendis artibus tribuatur. Licet autem pauciſſimis ea contingat felicitas, quam in quibusdam miratur, atque commendat Adrianus Bailletus, (n) vt in intimos litterarum receſſus in tenera etiam aetate penetrare, grauiorumque ſtudiorum ambitus animo complecti aut ſcriptis etiam famam eruditionis ſibi conciliare queant: ſi tamen ea ſaltem ingenii facilitas adſit, quae ad litteras cuique aetati conuenientes hauriendas rectiſſime committuntur. Dum vero certas litteras cuique aetati conuenire dixi, non iſtud volo, quod in ludicris & friuolis tenera aetas conſumi debeat, ſed talia addiſcenda eſſe, per quae ad grauiora & ſanctiora rite praeparetur & praemuniatur animus. Multo minus itaque illis accedo, qui habenas iuuentuti laxant, ſique in amoribus impuris carmine exprimendis, ſimilibusue nugis, optimos annos conſumſerint, ſi non laudem, veniam ta-

(n) *des Enfans devenus celebres par leurs Etudes ou par Ecrits. Paris A. 1688. ad. Leo Allatius in Apibus Vrbanis p. 144. & Tiraquellus de nobilitate ac iure primogenitorum pag. 435. ſeqq.*

tamen temporis male collocati se impetraturos sperant, si *iuuenilium studiorum*, aut *cogitationum* honesto titulo, infelices foetus in publicum prodire patiantur. Quod Bembi Cardinalis, Mureti, Toppii, aliorumque exemplis, Bailletus (o) comprobat, quos carmina sua liberius scripta Iuuenilium titulo edi voluisse ait, quod iuuentutem suam facilius eam veniam impetraturam sperarint, quam maturiori aetati multi negare potuissent. Rectius profecto e conspectu aliorum talia amouerentur, ne iuuenes temere talia sibi licere putent, quae a magni nominis viris perpetrata vident, & ita, vt non tantum eos non poenituerit admissi criminis, sed inde etiam ingenii & eruditionis gloriam aucupentur. Ceterum si quis forte ob fortunae iniquitatem, dum aetas postulat, ingenium erudire nequeat, non illico abiiciat animum: namque & eos, qui sero quidem animum ad studia appulerunt, ingenio suo felicissimo, improboque labore ac diligentia eousque, profecisse, vt inter clarissimos aeui sui viros eminuerint, idem Bailletus, loco quem supra citauimus, exemplis comprobatum dedit. Habet ergo quodammodo & hic locum illud Senecae: (p) *omnis aetatis homines haec schola admittit.* Sed obseruatum tamen est non-

(o) *in jugemens des Scavans sur les principaux Ouvrages des Auteurs, in praefat. Tom. IV.*

(p) *ep. LXXV. p. 293.*

nonnullis, iis, qui prouectiore demum aetate litteris se dant, vitium aliquod familiare esse, quod Graeci ἀπειροκαλίαν, interdum & ὀψιμαθίαν, causam ortumque eius designantes, appellitant. Hoc Gellius (q) nos docet, qui, *est adeo*, inquit, *id vitium plerumque serae eruditionis, quam graeci ὀψιμαθίαν appellant, vt, quod numquam (vel antequam) didiceris, diu ignoraueris, cum id scire aliquando coeperis, magnifacias, quo in loco cunque, & quacunque in re, dicere.* Gellio suffragatur Theophrastus, (r) qui more suo per characteres indolem huius vitii declarat: *Eiusmodi*, inquit, *homini, haec eueniunt: annos sexaginta natus poëtarum versus memoriae mandat, hos ad pocula canere incipiens, obliuiscitur: discit a filio, quomodo fiat in acie conuersio ad dextra, quomodo item ad sinistra &c:* Nimirum, quemadmodum diuitiis raro admodum recte vtuntur, qui magnis opibus non sunt innutriti, sed eas sero nacti, diuites nouitii, vt Seneca vocat, euaserunt, sic nec scientia illi, quibus sera contigit eruditio. (s) Eiusmodi tamen hoc vitium est, vt ego quidem arbitror, vt euitari ab iis, qui vel mediocrem adhibuerint diligentiam, facile possit.

§. IV.

(q) *Noct. Attic. lib. XI. cap. VII.* (r) *in characteribus ethicis pag. m. 71.* (s) *conf. Casaubonus ad Theophrasti l. c.*

§. IV. Quod ſi nunc porro ex perſona, dignitateque, quam cuique fortuna impoſuit, homines metiamur, primo ſtatim loco ſe nobis offerunt principes, gentiumque domini. An & his colendi poliendique litteris ingenii incumbat neceſſitas, diſceptare ſuperuacaneum fere duco, cum, qui ſerio id negent, hominum vix numero locoque habendi ſint. Audias tamen quandoque eiusmodi voces: hebeſcere per litterarum ſtudia principum virtutem, mollesque & effeminatos eos induere mores, & hinc vmbratico vitae generi adſuetos, ad tractandas res ciuiles, imperiique clauum tenendum, aut bella gerenda, parum aptos eſſe. (r) Iactantur & ſubinde exempla illorum principum, qui litteris dediti, non aeque feliciter rempublicam adminiſtrarunt, Theodati Gothorum, Alphonſi X. Arragoniae, & Iacobi I. Angliae, regum. Sed ſi exemplis pugnandum eſſet, victoria haud dubie ad noſtras tranſitura eſſet partes. Hadrianus imperator (s) litteris adeo delectabatur, vt cum viris doctis, *libris etiam vel carminibus inuicem editis*, certaret: idem tamen

(r) *vid. Anonymus quidam de quaeſtione, an litterarum ſtudia militiam eneruent? quem inter ſcriptores de ſtudiorum methodo edidit A. 1699. Thomas Crenius p. 553. ſeqq.* (s) *vid. Aelius Spartianus in vita Hadriani cap. XV. p. m. 150.*

omnes fere ſuos anteceſſores, ſi a Iulio Caeſare diſceſſeris, magnitudine expeditionum, belli gloria, laborumque patientia ſuperavit. Sed quid opus, in re non dubia documentis vti non neceſſariis? Theodatus autem philoſophi quidem nomen mentitus eſt, moribus autem impuris ſatis comprobauit, ſe hoc nomine plane fuiſſe indignum, illorumque ordini annumerandum eſſe, qui philoſophi ſunt μέχρι τῦ λέγειν ἄνευ τῦ πράττειν (t) Quin ignauiam ſaltem ſuam obtentu amoris, quo in Platonicam philoſophiam ſe ferri dicebat, excuſauit. Non eruditioni ergo, aut litteris, ſi modo iis rite imbutus fuit, ſed ignauiae hominis, quod rite publicam rem non tractauerit, eſt imputandum. Ad ceteros autem quod attinet, omnino in eo mihi peccaſſe videntur, quod partim eiusmodi ſtudia ſectati fuerint, quorum ad negotia ciuilia exiguus admodum, aut nullus vſus eſt, partim ea etiam, quae inſeruire illis potuiſſent, ad vſum transferre non laborauerint. *Ego ſummam ſapientiam*, praeclare admodum inquit doctiſſimus vir Hieronymus Oſorius, (u) *non tam in litteris, quam litterarum fructu ponen-*

(t) *vid. Procopius lib. I. de bello Gothico cap. III. add. F. D. de S. Martha in hiſtoria Caſſiodori lib. II. cap. III. ſeqq.* (u) *de Regis inſtitutione & diſciplina lib. VI. p. 180.*

nendum existimo. Omnia namque principum studia ad vsum conferenda sunt. Is igitur sapientior multo est, qui pauciora quidem legit, & tamen omnia, quae legit, ad officium refert, & vsu rectissimo vitae confirmat, quam is, qui totam vitam in legendo sine vtilitate consumit. Nec profecto non facere possum cum illis, qui principem mediocriter eruditum, sed ad patriae ciuiumque salutem eruditionem suam conferentem, multum praestare illo aiunt, qui a libris auelli non potest eo tempore, quo patria eius opera indiget. Quod cum de omni litterarum ac doctrinae genere longe verissimum sit, tum de iis cumprimis intelligendum litteris, quae, vt priuatis maximo haud raro sunt ornamento, ita principi saepius sunt dedecori. Ipse Alphonsus a gentis suae scriptoribus hoc nomine reprehenditur, quod astrorum disciplinam tanto studio fuerit sectatus, quod quidem a munere regis nimium quantum alienum fuisse videtur. Quo magis enim solis, lunaeque, & septem siderum cursibus indagandis se implicuerat, quoque mentem & oculos in illis intentius defixerat, eo quidem minus terrestria, & quae ante oculos erant, cernebat, minusque de regenda republica, a qua semper abalienato erat animo, cogitabat, indeque inconstans, difficilis, atque impatiens euaserat. Ita de eo

pronunciat Bernhard. Gomesius. (x) Praeclare itaque quid principem deceat, Iacobus (y) Angliae rex eloquitur, filio praecipiens: *liberalium artium studiis imbutum te volo, quantum satis est regi, non excultum, quantum exigitur a professore. Accurationi enim minutiarum tractatione a muneris tui functione auocaberis, & hoste vrbem diripiente forte cum Archimede deprehensus in puluere, inglorium populo tuo exhibebis spectaculum.* Cuius moniti si ipse Iacobus haud immemor fuisset, rectius forte & sibi, & populo suo consuluisset.

§. V. Quod de principibus, rerumque dominis dictum, ad nobiles quoque, generisque claritate conspicuos pertinet. Vix sibi persuadet generosa pubes, ad mentem litteris, liberalibusque doctrinis erudiendam, se obstringi: haec omnia longe infra se posita, fortunaeque suae minime conuenientia rata. Quin potius, ad alia se natam credens,

Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi. (z)

Quo ipso plerique in neminem magis, quam se ipsos, valde sunt iniurii: dumque doctrinae, litterarumque ope, a miseria, vitiisque, ad pietatem, felicitatemque mentem

(x) *in vita Iacob. expugn. lib. XVIII. fol. 544.* (y) *in dono regio siue de institutione principis lib. II. p. 64.* (z) *Horatius de arte poet. v. 162.*

tem transducere negligunt, in ſuam perniciem praecipiti curſu ruunt. Ponamus autem, & ſine litteris eos recte ſibi conſulere, quem denique fructum percipiet patria? Vt noſtri enim ſeculi mores ferunt, qui generis nobilitate florent, aut caſtra, aut aulam ſequuntur. Vtrobique litterae magnum & praeſidium, & decus, conciliant. Ergone, inquis, & in caſtris quoque litteris aliquem operari decet? aut militem artibus ingenuis inſtructum cupis? Cupio profecto, nec ſine ratione. Hannibal, omnium confeſſione, maximi fortiſſimique ducis gloriam eſt conſecutus. De hoc autem Cornelius Nepos: (a) *Atque hic tantus vir, tantisque bellis diſtrictus, nonnihil temporis tribuit litteris. Namque aliquot eius libri ſunt, graeco ſermone confecti.* Non dicam, ad militarem prudentiam litteras quoque magnam vim habere: quamquam vel Luculli hoc comprobare exemplo poſſem: ſaltem iſtud contendo, eam doctrinae partem, quae vitam emendat, moresque chriſtiano homine dignos induere iubet, tanto minus militi etiam negligendam, quanto acrius variis illecebris ad praue agendum ſollicitatur. Sed aula placet: & rempublicam aliquando adminiſtrare animus eſt. Id vero ſine ciuili

(a) *in vita Hannibalis cap. XIII. add. Lambinus ad h. l.*

prudentia rite feliciterque fieri posse, si quis autumet, nae eum rerum omnium ignarissimum esse oportet; Non probo Constantii imperatoris institutum, de quo Zonaras: (b) μηδένα τῇ γερουσίᾳ συνέταξε, ὃς παιδείας μὴ μετείληχεν, ὠδὲ ἤσκητο πρὸς τὸ λέγειν καὶ ἤδει γράφειν ἐμμέτρως τέ καὶ πεζῶς: *neminem in senatum allegit, nisi eruditum, quique se ad dicendum exercuisset, & sciret scribere vincta oratione & soluta.* Nec enim profecto statim ad rempublicam tractandam apti sunt, qui vincta & soluta oratione scribere prompte didicerunt. Alia ergo aulici, alia vmbratici doctoris studia sunt. Susceperuntque omnino aliquid laude dignum, qui quae ratio iniri debeat iuuenes, generis nobilitate claros, ad bonam mentem erudiendi, suis commentationibus explicare aggressi sunt, vt Ioachimus Pastorius, (c) Ioannes Schefferus (d) aliique. (e) Certe est hoc vitium scholarum fere omnium, vt nec ingenii, nec fortunae, nec generis habita ratione vila, eodem omnes tractentur modo: vnde contingit, vt plerisque superflua multa & invtilia, vtilioribus praetermissis, addiscenda sint: quod cum adolescentes ipsi, vt callidi

(b) *in vita Constantini p. 283.*

(c) *in palaestra nobilium.* (d) *de generosi nobilisque informatione litteraria: vterque excusus est A. 1696. opera Thomae Crenii.* (e) *vid. Morhoffius in polyhist. litterar. lib. II. cap. VIII. p. 412. & alibi.*

lidi interdum sunt & perspicaces, animadvertunt, quid mirum, si litteras omnes fastidire incipiant? Ceterum non abnuo, indoli ipsi multum quoque hic tribuendum, aut magnos in rebus ciuilibus extitisse viros, qui litterarum tamen penitus fuere rudes: (f) id saltem contendo, naturam doctrina & institutione iuuandam, vnde profecto euenire necesse est, vt praestantes mentes fiant praestantissimae, & minus praestantes itidem aliquo loco habeantur. Tractanda ergo litterarum studia & viris politicis sunt, iisque qui generis nataliumque splendore suffragante, ad hanc laudem edspirant, sed ea tractanda, quae & mores emendant, & prudentiam gignunt, & ad clauum reipublicae tenendum reddunt aptos. M. Tullium Ciceronem, (g) vt alios taceam, ita sensisse nouimus, qui, quòd homines litterarum imperiti ad rempublicam regendam accedant, fert quam molestissime. *Nunc contra*, inquit, *plerique ad honores adipiscendos, & ad rempublicam regendam nudi veniunt, atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati.*

§. VI. Manifestum itaque est, generis nec nobilitatem, nec ignobilitatem, obsta-

(f) *Exemplum vid. apud Bartholomaeum Grammondum de rebus Ludouici XIII. lib. I. p. 51.* (g) *de oratore lib. III. p. 277.*

re, quo minus quis ingenium rite excolere & possit, & debeat: vitae autem genus & institutum non semper permittere, vt in quaeuis litterarum studia coeco & praecipiti impetu ruamus. Sic qui diuinarum litterarum studio se consecrarunt, ea quidem omnia, quae ad earum intelligentiam aliquid conferunt, recte condiscunt, ea autem, quae hinc aliena sunt, nisi forte ingenii summa, pluribusque litterarum generibus par futura felicitas, illis obtigerit, rectius negligunt. Hinc non male Alexander III. R. P. in concilio Turonensi sanxit, (h) ne clericis & religiosis fas esset, leges ciuiles addiscere. Quam constitutionem repetiit, & latius extendit Honorius III. aegre quidem istud ferente, atque iuris ignorantiam ideo pontifici exprobrante Odofredo Beneuentano, vt testatur Franciscus Duarenus. (i) Sed profecto ratio pontificem non destituit, quicquid sit de eius peritia iuris. Namque quae sacri ordinis viros occupant studia atque negotia, tanti momenti sunt, tamque late patent, vt excellentissimi etiam ingenii homines, & qui nullum temere laborem detrectant, iis vix sufficiant, etiamsi hoc vnice agant, quod ex muneris lege sibi

(h) *vid. appendix ad concil. Lateranens. III. part. XXVII. Cap. II. T. III. concilior.* (i) *de sacr. eccles. minist. lib. IV. cap. II.*

bi iiunctum credunt. Tantum ergo praecipuo, cui se consecrarunt studio detrahant necesse est, quantum iuris scientiae similibusque disciplinis, temporis impendunt. Nec est, quod quis dicat, prima saltem iurisprudentiae rudimenta a clericis addisci debere, ne omnino rudes atque imperiti sint rerum quotidie occurrentium. Verendum enim, iudice viro peritissimo, (*) ne ea superficialis cognitio plus detrimenti afferat reipublicae, dum negotia humana accurate discernere nescientes, quod semel animo conceperunt, licet a re ipsa plane alienum, acerrime tueri atque propugnare soleant. Videat ergo, quo pacto cum Romano pontifice in gratiam redeat vir cetera doctissimus Ioannes Mabillonius, (k) dum monachum suum ita formar, fingitque, vt nec iuris ciuilis studio illi interdicat. Certe an Gisberto Voetio (l) suffragari queam, theologiae cultorem non tantum iurisprudentiae Romanae, sed medicinae quoque studiis imbuendum esse, dubito. Quod enim vulgo, tum in his, tum in aliis studiorum generibus, vt illorum in theologia necessitas

(*) *Zieglerus de Diaconis & Diaconissis cap. XIII. §. LXVIII.* (k) *de studiis Monasticis part. II. cap. III.* (l) *in exercit. & bibliotheca studiosi theologiae lib. I. c. VII.*

Digitized by Goog

sitas nobis persuadeatur, afferri solet, subinde diuinis oraculis lucem quandam inde affundi posse, tanti profecto non est, vt me temere ad subscribendum illis adducere queat. Non dicam, caliginem & tenebras inde saepius offundi, vnde lucem speramus: saltem id manifestum est, pauca admodum effata esse, quae lucem a medicina aut iurisprudentia mutuentur, quae cum plerumque a viris iuris, & medicae artis, peritis explicari soleant, onere in eorum campos expatiandi subleuamur. Vt autem omnia ea studia, quae diuinarum litterarum alumnum onerant potius, quam ornant, nec tam iuuant, quam impediunt, huc pertinent: ita quae reuera viam ad grauiora nobis pandunt, tantum abest, vt negligenda censeam, vt animus meo iudicio iis non tingendus leuiter, sed penitus imbuendus sit. (m) Rursus & aliarum artium cultores sibi quoque hoc dictum credant, ne aliena curent. Pestis profecto est nocentissima, (n) quae ingenia inuadit, dum plerique artem, cui se consecrarunt, tam frigide colunt, vt semper aliquid peregrinum ab ea cogitent, & cum principibus atque primariis studiis omne tempus impen-

(m) *vid. Guilielmus Budaeus de stud. instituendo cap. XVI. p. 22.* (n) *add. Edmundus Richerius in obstetrice animor. cap. VI. §. VI. p. 36.*

pendere, ſecundariis autem aliquid otii ſubciſiue & deſultorie attribuere deberent, plerique contrario penitus modo vitae ſuae rationem adminiſtrant, & arti propriae furtim & perfunctorie incumbunt, ſtudiis minus neceſſariis tempus omne impertiuntur.

§. VII. Diſpiciendum nunc nobis eſt, an & pauperes, aeque ac diuites, artibus bonis imbuere animum poſſint, debeantque. Pauperibus, qui aditum ad haec ſacra intercludunt, eos non iis ſumtibus, quibus eruditio ſolida hodie conſtet, ſtudiis litterarum impendendis, pares eſſe, contendunt. Librorum infinitam multitudinem obiiciunt, per quam animus eruditis ſit circumferendus, quae haud exiguo pretio plerumque comparetur. Nec datum iis eſſe, diu in ſcholis ab ore praeceptorum pendere, aut exteras adire gentes, quae quidem omnia illis, qui ad ingenii cultum annituntur, neceſſaria ſint. Qui autem ſecus ſentiunt, pauperibus promptius ad eruditionem & ſapientiam iter eſſe, quam diuitibus, autumant. Opes enim animos plerumque corrumpunt, & ad ignauiam, luxuriam, voluptatem inuitant, & concitant, quibus laqueis qui irretiti ſemel ſunt, vix vnquam inde ſe expediunt, & verae eruditionis compotes fiunt. *Arduae eſſe*, Martiali (o) teſte, *opibus*

(o) *lib. XI. Epigramm. VI.*

opibus non tradere mores. Et Seneca iudice, (p) *multis ad philosophandum obstitere diuitiae: paupertas expedita est, secura est.* (q) Accedit, quod si vel maxime diuitiarum contubernio animus non corrumpatur, vt idem Seneca alibi loquitur, is tamen variis inde curis obruitur, & velut constringitur, vt libere vacare litteris nequeat. Contra si dicendum, quod res est, paupertate magistra res litteraria hactenus stetit. Paupertas acrioribus stimulis animum concitat, vt labori non parcat, sed indefesso studio quaeuis prompte subeat. Iuxta Theocritum (r) paupertas sola excitat artes:

Ἀπενία, Διόφαντες, μόνα τὰς τέχνας ἔγειρε.

Isidorus (s) paupertatem vocat πάσης ἐπιστήμης καὶ τέχνης μητέρα, *omnis scientiae & artis matrem*; & Plautus: (t) *paupertas omnes artes peraocet, vbi quem attigit.* Paupertas vel inuitum sobrium & frugalem esse iubet, & fortiori freno a voluptatibus retrahit, animumque litteris tractandis aptum facit. Recte ergo iterum Seneca: *Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis.*

Non

(p) *Ep. XVII. p. 552.* (q) *add. Ioachimus Fortius Ringelbergius de ratione studii cap. IV. p. 29. & Io. Sturmius de litterarum ludis recte aperiendis cap. VI. p. 183. seqq.* (r) *Idyll. XXII. v. 8.* (s) *lib. II. Ep. CXVIII.* (t) *Stich. 1. III. 24.*

Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est. Quam autem obtendunt nonnulli librorum necessitatem, vereor profecto, ne tegendae atque velandae ignauiae saltem sumatur. Namque qui ex librorum multitudine sapientiam atque eruditionem metiuntur, veram quidem eius effigiem, mea opinione, animo nondum conceperunt. Rerum natura liber optimus est, ex qua qui sapiunt, indefesso studio eam contemplantes, illi demum vere sapiunt. Laudo demum illum eruditum, qui & sine libro suum tueri locum didicit. Scio, quaedam esse studiorum genera, in quibus si sine libris quis proficere vellet, idem profecto susciperet, ac si volare vellet sine pennis: verum nec vt ifiusmodi studiorum generi se consecret pauper, necesse est, & si consecret, numquam deerit illis Maecenatum munificentia, illorum necessitatibus tantum suppeditatura, quantum, vt voti damnentur, requiritur. Ipsa hoc testatur experientia, orbe litterato non vnum virum ostentante, qui inter summas rei domesticae angustias ad summum eruditionis fastigium peruenit. Sed nec si praeterea & alii requirantur sumtus, modo requirantur, per prouidam atque benignam Numinis curam, in iis consequendis animum desperent, quibus cum re angusta domi est con-

fli-

fictandum, modo non ipſi ea neceſſaria eſſe fingant, quibus tuto carere queant. Aſt ponamus, cunctis proficiendi mediis aliquem deſtitui, nec ſpem ea impetrandi ſupereſſe, is demum intelliget, non ſine ſapientiſſima Numinis voluntate ſe ad alia vocari. Quibus autem benignius, vt ille ait, fortunae aſtrum affulſit, opibusque florent, vt felicius longe in litterarum campo procurrunt, ita ſi voluptatum illecebras fugiunt, nihil, quin ad ſumma quaeuis enitantur, illis deeſt. Bene enim cum diuitiis conſiſtere ſapientiam poſſe, vel Senecae exemplo comprobatur. (u)

§. VIII. Reſtat, vt ipſam ingeniorum naturam diuerſitatemque paulo penitius conſideremus. Hinc enim manifeſtum fiet, quosdam per indolis ſuae rationem ad litterarum ſtudia plane ineptos, alios autem ad certum litterarum genus a natura velut aptatos praeparatosque eſſe, vt ſi in aliud ſe dent, cum inuita, quod aiunt, minerua litteris operentur, ſucceſſus exſpectatos conatibus ſuis non reſpondere, ipſimet intelligant. Primo itaque nonnulli per naturae conditionem ad litteras plane inepti ſunt, ſiue quod omnibus ingenii virtutibus ſimul deſtituantur, memoria ſcilicet fallaci, imaginatione tarda, intellectu

(u) *vid. Tacitus Annal. lib. XIII. cap. LXII.*

Digitized by Google

lectu obtuſo ſint: ſiue quod quibusdam virtutibus in mediocri aut infimo gradu gaudeant quidem, ceteris plane careant. Ianus Huartus (x) tria conſtituit inhabilitatis genera. *Primo*, inquit, *quidam hominum ſunt, quorum anima ita intra materiales corporis qualitates velut ſepulta, ita a cauſis, quae partem rationalem perimunt, circumquaque obſeſſa eſt, vt numquam per omnem vitam gignere pareue poſſint vllos conceptus, qui ad litteras ac ſapientiam ſpectent.* Hos cum eunuchis comparat, innuitque, illos, qui intellectus vi omni deſtituuntur, & concluſiones vtcunque capiunt, aut admittunt, plerumque coeca credulitate duci, vt ad principia, ex quibus gignantur, riteque deduci debeant, non pertingant. In hisce erudiendis tempus omne perdi docet, eos a brutis animalibus parum differre, ſemper dormire ac ſtertere, etiam tum, cum vigilare eos atque apertos habere oculos videmus. In hosce quadrare illud Salomonis: *cum dormiente loquitur, qui ſtulto enarrat ſapientiam.* Alterum inhabilitatis genus illorum eſſe dicit, *qui tanta quidem ſtupiditate ac ſegnitia vt priores illi non laborant, concipiunt enim figuram ex primis principiis, atque inde eruunt etiam concluſiones quaspiam, licet pauciores, easque non ſine ingenti labore ac ſtudio, ſed figura illa intra memoriam non vltra ſubſiſtit ac per-*

(x) *in ſcrutinio ingeniorum cap. II. p. 63.*

perdurat. Hi scilicet memoria destituuntur, &, iudice Huarto, feminis quibusdam sunt similes, quae impraegnantur quidem, & pariunt, sed foetus earum statim ab ipso nativitatis termino vitam cum morte commutant. In hos trahit illud Salomonis: *cor fatui tamquam vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.* In tertiam classem eos reiicit, qui figuras primorum principiorum intra se concipiunt, multasque inde exstruunt conclusiones, & eas firmiter retinent, sed rem quamlibet sua in classe ac sede collocare nesciunt. Hosce mulieri non absimiles esse dicit, quae gravida quidem fit atque infantem in lucem edit, sed eum adeo monstrosum, vt caput subtus positum gerat, quo loco pedes debebant consistere, oculos vero in ceruice ostentet. Confusi, vt paucis dicam, sunt, & ordinem seruare nesciunt. Quadrat in eos, iuxta Huartum, illud Salomonis: *tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia, & scientia fatui inenarrabilia verba.* Hisce quartam denique addit ingeniorum speciem, illorum scilicet, quidem qui non plane inhabiles sunt, nec tamen boni ingenii laudem promerentur: hi videlicet concipiunt doctrinam, & memoria retinent firmiter, ordinemque seruant, sed illorum, quae sciunt, rationem reddere nequeunt, adeoque nihil aliud sciunt, quam

quam quod ab aliis acceperunt. Haec Huartus, ſuarum, de facultatibus animi, hypotheſium ductum ſecutus.

§. IX. Clarius tamen & citra ambages, ingeniorum ad litteras inhabilium, quatuor genera, ſiue claſſes, hunc in modum conſtitui poſſent. Primo nonnulli omnibus ingenii viribus deſtituti ſunt, vt nec imaginatione, nec intellectu, nec memoria valeant: vt plane litterarum incapaces ſint, primumque merito in hoc hominum genere locum occupent. Alii, imaginatione vtcunque pollentes, capere tradita poſſunt, ſed, cum memoria deſit & concepta ſtatim eiabantur, ad litteras itidem inepti ſunt. Iudicium enim, ſi quod illis eſt, cum materia, in qua vim ſuam exerat, illi ob memoriae defectum non ſuppeditetur, vim quoque & vſum omnem, ſaltem quantum ad litteras, amittit. Atque hisce ſecundus locus debetur. Rurſus alii memoria quidem pollent, ſed vis celeriter percipiendi, quae imaginationis eſt, aut iudicatiua facultas, intellectui propria; aut vtraque illis deeſt. Si vis percipiendi deſit, vt aut nihil aut pauciſſima capere queant, rurſus inidonei ſunt, cum nec memoria, nec δύναμις κριτικὴ tum vllum illis praebere vſum queat: Plane vt fruſtra de cuſtodienda aut diſponenda pecunia ſollicitus eſt, qui ea caret, nec rationem rem faciendi callet. Et hi ad tertiam

claſſem pertinent. Si iudicium deſit, memoria autem & imaginatiua polleat, non plane inidonei ſunt ad litteras, nec tamen multum, vt operae pretium ſit, proficient, licet forte apud imperitiores facile eruditionis gloriam conſequantur. Dupliciter autem hic iudicii & intellectus defectus ſe prodit: primo quidem, dum ordinem non ſeruant, omnisque illorum ſcientia rudis indigeſtaque eſt moles: deinde, dum ipſi in receſſus & fundamenta rerum non penetrant, nec rationes aſſertorum reddere poſſunt, ſed, vt paucis dicam, tantum ſciunt, quantum memoria complectuntur, & quantum ex libris ſermonibusque aliorum hauſerunt, & hi quidem vltimam claſſem ordinemque conſtituunt.

§. X. Sed illorum, quae litterarum ſunt capacia, ingeniorum, magna identidem eſt varietas: quanquam ad ſumma quaedam capita & gradus ea reuocare, viri docti allaborarint. Et Ianus quidem Huartus, (y) vt tria inhabilium, ita & tria habilium ingeniorum genera conſtituit. Primum illorum eſſe dicit, qui omnia, quae a magiſtro audiunt, prompte percipiunt, memoriaque firmiter retinent, idque ſine omni contradictione. Quorſum illud Ariſtotelis trahit: *bonum ingenium eſt illud, quod bene dicenti obedit.* Sequum-

(y) *cap. I. p. 46.*

quuntur, iuxta Huartum, illi, qui ſua ſponte in intimos receſſus rerum penetrant, & nulla fere inſtructione opus habent, eorumque indolem ab Ariſtotele indigitari dicit, quando *optimum*, inquit, *ingenium eſt illud, quod omnia per ſe intelligit.* Ab hac ingeniorum ſpecie non adeo differre tertiam, ait, *in qua qui conſtituti ſunt*, verba Huarti refero, *res adeo ſubtiles, veras, ac prodigioſas, ſine vlla arte ſtudioue praecedente, edunt ac proloquuntur, vt ante tales nec viſae, nec auditae, nec ſcriptae ſint, nec vnquam in hominum conſiderationem venerint.* Addit, hanc ingenii ſpeciem a Platone vocari *ingenium excellens cum mania.* Alii autem, quorum expeditior & plenior, magisque rationi conſentanea videtur ingeniorum ad litteras idoneorum diſtributio, quinque illorum formas, ſiue claſſes, conſtituunt. Nimirum ſunt quaedam ingenia leuia atque mobilia, quae primo ſtatim impetu omnem animi ſui virtutem exſerunt, primisque & leuiſſimis, quam ſecundis, cogitationibus excellunt. Ad confabulandum & excogitandum, quam ad iudicandum perficiendumque aliquid, ſunt alacriores: a reipublicae autem adminiſtratione, ob ſummam inconſtantiam & iudicii tenuitatem, merito arcentur. Parata illis eſt facundia, ſubito eloquio, cum grato lepore ac venuſtate procurrens, cauſmodi quid in Ouidio aliisque ſcriptoribus, in

quibus plus eſt ſolertiae, quam artis, docti obſeruant: & hi primum ordinem conſtituunt. Oppoſita his ſunt ingenia tardiora, illorum, qui iudicio acriori pollent, & inuicto labore, diligentia, aſſiduitate, ac conſtantia incredibili, celeritatem & ſolertiam aliorum etiam vincunt. Et licet ad inueniendum adeo prompti non ſint, ad tuendum, conſeruandum, & perficiendum eo ſunt aptiores: ad res adminiſtrandas autem feliciterque gerendas cumprimis ſunt accommodati, cum prudentia vera in his demum ſedem ſibi eligat, adeoque, qui reipublicae tractandae admoueantur, cumprimis merentur. Virgilium, Demoſthenem, Socratem, aliosque litteris pariter ac rerum bene geſtarum gloria illuſtres viros, tali fuiſſe ingenio, accepimus, & partim monumenta ab illis relicta teſtantur. Medium inter hasce ingeniorum ſpecies locum obtinent, quorum leuitas mobilitasque gravitate, & tarditate ita eſt temperata, vt illa tamen quodammodo praeualeat, naturaque adeo vincat artem. Ad artes liberales iſtiusmodi homines velut facti natique videntur, maxime ad eloquentiam, cum oratione perſpicua, facilitateque dicendi, maximopere emineant. Nec vero ad rem publicam adminiſtrandam inepti ſunt, quia naturae artisque amicum connubium humanae vitae vſibus eos plane attem-

attemperat. Xenophon, Aeſchines, Iſocrates, Euripides, Horatius, Liuius, Quintilianus, & alii ſuo exemplo, quod diximus, comprobant, ſeque haud immerito in hanc claſſem transſcribi, vel ſcriptis ſuis oſtendunt. Hos excipiunt, in quibus alacritas illa ſolertiaque naturae cum iudicio, induſtria cum labore, pari, quod aiunt, paſſu ambulant, ſeque adiuuant invicem. Vnde, qui tali indole praediti ſunt, ad eminentiorem eruditionis gradum pertingunt, ceterosque poſt ſe relinquunt. Periclem, Thucydidem, Pindarum, Plutarchum, Auguſtum Caeſarem, Senecam, ſimilesque in hoc ordine conſtitutos, omnivm animos hodienum in ſe conuertere, atque allicere, nouimus. Vltimam denique claſſem occupant, qui primi principesque omnium ſunt, quorum videlicet ingenia naturae legem ordinemque migrare, & divinum quid ſpirare videntur, vnde & heroica vocantur. Artium nimirum & diſciplinarum inuentores, & reſtauratores, magnorumque imperiorum conditores, tali ſunt indole, quos adeo ad maxima humani generis commoda natura quandoque profert. Nihil illis difficile, nihil arduum, nihil imperuium aut inacceſſum videtur, ingenii diuina vi, iudicio acri, conſtantia incredibili, cuncta vincunt atque perrumpunt. Moſen, Cyrum, Alexandrum, Iul.

Caesarem, Carolum M. inter principes, inter litterarum artiumque statuminatores Platonem, Aristotelem, Cartesium, inter diuinae veritatis vindices magnum Lutherum nostrum, diuina eius modi atque heroica indole praeditos fuisse, haud immerito dixeris. Hasce ingeniorum laudabilium classes, egregie prorsus, constituit Edmundus Richerius, (z) quem plane, licet dissimulato eius nomine, sequitur Daniel Georgius Morhofius, (a) nec abludit Edo Neuhusius, (b) nisi quod quartam, quam cum Richerio posuimus, classem omittat.

§. XI. Luculentius haec patebunt, si nobiscum expendamus, non posse non in totidem formas ingenium humanum abire. Solet quippe, vt supra indicauimus, ingenium ex intellectu, imaginatiua facultate, atque memoria, cumprimis aestimari. Harum autem facultatum vna non potest non pro temperamenti, quo quisque gaudet, ratione, prae altera eminere: atque hinc ista ingeniorum diuersitas. Id hunc in modum euinco. Qui imaginatiua facultate ita pollent, vt iudicium, si cum ea contendatur, mediocre sit, ob sanguinei temperamenti rationem, leues mobilesque sunt

(z) *in obstetrice animorum cap. IV. §. VII.* (a) *in polybist. litter. lib. II. cap. I. p. 324. seqq.* (b) *in theat. ingenii humani lib. I. cap. I. p. 9. seqq.*

ſunt, & primae claſſi reſpondent. Contra qui intellectu iudicioque valent, exigua imaginandi facultate praediti, tardiores ſunt, & labore iudiciique acrimonia tandem emergunt. Qui memoria, vtut excellentiſſima, pollent, ceteris dotibus deſtituti, hic plane in cenſum non veniunt. Ergo ex iudicii & imaginatiuae facultatis comparatione, reliquae ingeniorum formae exſurgunt. Hae enim facultates aut aequatis fere inter ſe viribus librantur, vnde quarta claſſis, aut alterutra ita eminet, vt intelligi hoc ac deprehendi haud obſcure poſſit, unde tertius ingeniorum ordo emergit, qui tamen rurſus in duas claſſes abit, prout aut imaginatiua, aut δύναμις κριτικὴ, primum locum obtinet. Cum autem rurſus illorum, qui omnibus omnium facultatum dotibus eminent, qua graduum varietatem, varia genera conſtitui poſſint, illi tamen merito notantur, qui, Numinis provida cura ad ſublimius iſtud humanae perfectionis faſtigium euecti, ceteris ſe admirandi quidem, non autem imitandi facultatem concedunt. Quod autem Ianus Huartus (c) contendit, qui intellectu ſingulari gaudent, eos imaginatiua non valere, & vice verſa: adeoque, qui ad diſciplinas, in quibus imaginatiua vtramque paginam facit, ca-

(c) *in ſcrutin. ingen. cap. XII. p. 193. ſeqq. it. cap. XI. ſeqq. p. 286. ſeqq.*

piendas apti ſunt, eosdem ineptos eſſe ad artes ſcientiasque, in quibus iudicium maxime & intellectus requiritur, & ita etiam, quod ad memoriam attinet, rem ſe habere, eiusmodi profecto eſt, vt illi ſuffragari nequeam: vnde Antonio Poſſeuino, (d) aliisque, hoc nomine iure vapulat. Fateor equidem, vt iudicii, & imaginatiuae, ceterarumque ingenii facultatum vires accurate ſibi reſpondeant, vt ſecundum mathematicam ἀκριβειαν aequales dici poſſint, fieri non poſſe, ſed ſufficit, quod vtraque facultas tam excellens praeſtansque in quibusdam ſit, vt, vtra praeſtet, dici vix queat. Atque hoc experientia & exempla virorum praeſtantium (e) comprobant. Ratio quoque ſuffragatur, cum cerebri figura & conſtitutio, ſpirituum animalium moles, motus, & conditio, aliaeque cauſae ad ingenium concurrant, vnde facile fieri poteſt, vt hinc iudicium, inde imaginandi facultas, & rurſus ex alia cauſa memoria, praeſtantiam vimque ſingularem adipiſcatur. Saepe tamen ita, vt Huartus dicit, ſe res habet, ſi cauſae inter ſe conſpirent, vnde, quod vir quidam doctus autumat, quanto quisque imaginandi facultate pollet, tanto eum & iudicio praeſtare, niſi cer-

(d) *Bibliothecae ſelectae lib. I. cap. IV. p. 24. ſeqq.*
(e) *vid. Poſſeuinus l. c. cap. IV. V.*

Digitized by Google

certis limitibus circumſcribatur, admittere plane nequeo.

§. XII. Tanta ergo cum ſit ingeniorum laudabilium etiam varietas, manifeſtum eſt, non perinde eſſe, quam quisque artem excolendam ſuſcipiat. M. Scauro, ac P. Rutilio, oratoribus, non quidem omnino ingenium, ſed oratorium ingenium defuiſſe M. T. Cicero (f) ait. Vtique ingenio nonnulli pollent, ſed ingenio ad ſcientiam, quam diſcendam ſibi ſumunt, apto, plane deſtituuntur. Exploratione & ſcrutinio itaque opus, priusquam ad litterarum ſtudia animum adiiciamus. Et prima quidem cura merito haec eſt, an omnino talis ingenii vis nobis obtigerit, quae in litterarum cultore requiritur? aut an ſatius ſit, haec ſacra non attingere? Rectius profecto ſibi conſulunt, qui aliam artem addiſcunt, quam qui inuita minerua litteris operantur; niſi forte ad eiusmodi ſaltem munus adſpirent, quod plus laboris, quam eruditionis requirit. Eiusmodi quippe hominum opera, vt rei publicae neceſſaria admodum eſt, ita qui ea defunguntur, ſua quoque laude non ſunt defraudandi. *In magna enim domo non tantum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & teſtacea, & alia quidem ad decus, alia ad dedecus* (g)

(f) *in Bruto n. CX. p. 309. add. idem lib. I. Offic. cap. XXII. p. 156.* (g) *II. Tim. II. 20.*

Quod eodem fere modo Plato (h) quoque docuit: *Ceterum*, inquit, *o! Glaucon, audi, quod ſuper eſt fabulae: eſtis autem omnes vos, qui ciuitatem incolitis, fratres: verum Deus cum vos fingeret, quicunque veſtrum digni erant, qui ceteris imperarent, eorum ipſe ortum auro permixto attemperauit: vnde fit, vt illi plurimi aeſtimentur: at qui idonei erant futuri illorum adiutores, illis Deus argentum immiſcuit: poſtremo, aere & argento attemperauit figmentum agricolarum & opificum.* Quod autem id Plato (i) dixit, in republica proxenetas, inquirendis ac probandis ingeniis, neceſſarios eſſe, omnino probo. Cumprimis in publicis litterarum domiciliis optandum eſſet, vt conſtituerentur, qui iuuenum ingenia accurate explorarent, illosque, quem quisque eligere deberet campum, in quo ingenii ſui vires periclitaretur, edocerent. Athenienſium quidem morem, cuius Gregorius Nazianzenus (k) meminit, adoleſcentum patientiam pertentandi, huc comparatum fuiſſe, exiſtimo. Vnde forte conſuetudo in plerisque Europae academiis recepta, iuuenes initiandi, turpiſſimo abuſu foedata, profluxit. Id conſtat, praeſtantiſſimos philoſophorum neminem

(h) *lib. III. de republ. p. 472. add. Guilielmus Budaeus, de ſtudio inſtituendo cap. XXI. p. 28.* (i) *in Theaeteto p. 542.* (k) *in Monodia p. 251. add. Poſſeuinus Bibl. ſel. lib. I. cap. VI.*

nem temere in disciplinam suam, nisi explorata prius eius indole, admisisse. De Pythagora res notior est ex Gellio, (l) quam vt prolixius hic commemorari debeat. Aristotelem, ad philosophiae remotioris subtiliorisque auscultationem neminem admisisse, *nisi eius antea ingenium, & eruditionis elementa, atque in discendo studium, laboremque explorasset*, idem Gellius (m) auctor est. Taceo Apollonium, cuius Cicero (n) meminit, aliosque, quibus eundem morem frequentatum fuisse constat. Atque hos quidem merito, qui artes ingenuas docent, imitantur, & ista ingeniorum exploratione nihil prius, aut antiquius habent, quod parentes quoque, & qui eorum vicibus funguntur, sui officii esse facile intelligunt, (o) vt contra & ipsi iuuenes, quantum vires eorum permittunt, si sapiant, aut se ipsos explorant, aut ad peritiorum iudicium, sententiamque, diligenter hic se componunt.

§. XIII. Quaeri autem posset, quo pacto haec instituenda sit exploratio? Pythagoras quidem, teste Gellio, (p) adolescentes, qui se ad discendum ei obtulerant, ἐφυσιογνω-

(l) *N. A. lib. I. cap. IX.* (m) *lib. XX. cap. IV.* (n) *lib. I. de Oratore, n. CXXVI. p. 71.* (o) *vid. Io. Sturmius de litterarum ludis recte aperiendis Cap. V. p. 180. it. Fungerus de puer. disc. & instit. p. 262. seqq.* (p) *lib. I. cap. IX.*

γνωμόνει, hoc est, mores naturasque eorum, coniectatione quadam de oris vultusque ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, scisscitabatur. Sed accuratius Pythagorae institutum ediſſerit Iamblichus. (q) Refert enim, Pythagoram primum omnium inquisiuisse, quomodo is, qui suam ambiret disciplinam, cum parentibus suis reliquisque domesticis conuersari consueuisset. Deinde spectasse, an vel rideret intempestiue, vel taceret multum, aut nimis esset garrulus. Porro etiam exploraſſe, quibus rebus afficeretur maxime. quorumque amicitia vteretur, qualemque se sibi praestaret. Obseruasse quoque, quibus ex rebus laetitiam caperet, aut tristitiam. Denique & oris speciem, & inceſſum, totumque corporis habitum atque motum accurate conſideraſſe. Sunt qui putant, (r) ἐχεμυθίαν siue silentium, quod discipulis suis iniungebat Pythagoras, huc itidem comparatum fuisse, vt indolis inde argumentum caperet. Aulus Gellius (s) autem alium eius finem assignat, nimirum, *vt res discerent rerum omnium difficillimas, tacere & audire.* Nec illis refragabor, qui existimant, fuisse hoc silentium, ex Pythagorae instituto, compendiosam ad virtutem viam, vt scilicet hac

(q) *in vita Pythagorae cap. VII.* (r) *Antonius Possevinus l. c. cap. VI.* (s) *l. c.*

hac ratione, qui in eius disciplinam se tradidissent, mature affectibus iniicere frenum, eosque domare, & rationis subiicere imperio adsuescerent. Atque istud sibi Pythagoricum illud silentium voluisse, non tantum Iamblichus, (t) sed Clemens etiam Alexandrinus (u) mihi auctor est. Missо ergo silentio Pythagorae, rationem scrutandi ingenia ab eo vsurpatam repetere, & accuratius considerare iuuat. Ex oris specie, corporis habitu, incessu item atque motu, recte ingenii documentum Pythagoram cepisse, arbitror. Vt enim animi, latentiumque affectuum, atque morum, luculentissima signa & characteres, in corpore & vultu deprehendimus, quemadmodum, vt ceteros taceam, qui in eodem campo sunt versati, Scipio Claramontius, (x) atque Edo Neuhusius, (y) demonstrarunt: ita non promptiori via, quam hac ipsa, ad ingenium pernoscendum, deduci possumus. Iosephum Iustum Scaligerum hac arte, vel ex solo conspectu hominis ingenium aestimandi, ita polluisse accepimus, vt, si quis ex

(t) *in vita Pythagorae cap. XX.* (u) *lib. V. Strom. p. 423. & lib. I. paedagog.* (x) *de coniectandis moribus lib. VI. cap. II. seqq.* (y) *in theatro ingenii humani lib. I. cap. III. & IV. add. Carolus Scribanius lib. I. instit. politico-christianae cap. V.*

ex eius consilio studiorum genus eligeret, propitia fauenteque natura hoc se fecisse, ex successu intelligeret. Id vel in Philippo Cluverio patuit, z) cui, vt geographiae litaret, auctor extitit, non vano augurio, pomoeria nobilissimae artis haud mediocriter eum dilataturum. Nec non affectuum insuper habenda ratio. Id quod rursus probe intellexit Samius senex. Si ergo cognouerimus, quibus rebus quis delectetur, quas fugiat & auersetur, de animi propensione, & hinc porro de ipso ingenio facile iudicium ferri poterit, vt alibi fusius declaravimus. Sed id quoque prudenter Pythagoras, quod quorum quisque amicitia vteretur, inquisiuerit. *Facillime enim,* inquit Cicero, (a) *in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros & sapientes viros, bene consulentes reipublicae, contulerunt: quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipse delegerunt, ad imitandum.* Quin cuncta illorum facta attentius considerare vtile fuerit, cum haec non tantum propensiones voluntatis prodant, sed polleantne iudicio, an ingenio, sintne tardi, an celeres, & ad praecipitantiam proni, inde luculenter diiudicari queat. Atque pertinet huc omnino, quod Men-

(z) *vid. Heinsius in orat. funebri Cluuerio habita p. 152.* (a) *de offic. lib. II. cap. XLII. p. m. 326.*

Menander ait apud Stobaeum (b): *οὐδεὶς ὃ νοεῖς εἶδεν, ὃ δὲ ποιεῖς βλέπει, nemo mentem tuam nouit, sed facta inspicit.* Facta excipiunt verba, quae animum hominis, ingeniumque identidem produnt. Eleganter sane sapiens Ebraeus (c) sermonem *πειρασμὸν* hominis appellat, *tentamentum*, quo, quid in animo lateat, clarissime edoceamur. Profecto non potest non ingenium sermone se prodere, cum, qui ad leuiorum ingeniorum classem pertinent, prompti volubilesque in loquendo sint, multaque inconsiderate effutiant; contra qui iudicio eminent, vt ad subitam locutionem minus prompti sunt, ita rerum pondere rationumque gravitate hoc facile compensant, nec temere ea loquuntur, quae silentio premi, satius fuisset. (d) Hinc illud Socratis: (e) *loquere vt te videam.* Iudicabat enim vir sapientissimus, orationem optimum esse animi indicem: idque licet ad mores voluntatisque propensionem vulgo referatur, nihil tamen impedit, quo minus de ingenio quoque capiatur. Vltimo loco ponimus, quod primum forte & princeps Pythagorae fuit institutum, vt inquiratur, quo pacto adole-

(b) *Serm. III. pag. 30.* (c) *cap. XXVII. v. 8.* (d) *vid. Edo Neubusius in theatro ingenii humani lib. I. cap. I. p. 11. & 17.* (e) *ap. Apuleium lib. II. Florid. p. 122.*

leſcens erga parentes ſe geſſerit, aut gerat. Nimirum, tegi vtcunque atque diſſimulari vitia poſſunt, & ſolent etiam, cum nobis res eſt cum peregrinis. Aſt erga parentes, familiares, domeſticos, longe aliter plerique ſe gerunt. Fucum enim non admittit quotidianum commercium: nec diſſimulatio vnquam diuturna eſt, quin ſubinde natura emicet, ſeque conſpiciendam, & velut palpandam praebeat. Non ergo ſufficit diſpicere, quid ſemel aliquis agat atque loquatur, ſed quid agere & loqui conſueuerit. Hoc ſibi volebat Pythagoras. Res oppido difficilis eſt, ingeniorum exploratio, & qui primo ſtatim intuitu de ingenio pronunciat, ſaepius miſere ſe deceptum ex euentu intelligit. Contingit hic plerisque, quod phyſiognomicae artis perito, qui Socratem contemplatus, eum mortalium nequiſſimum perditiſſimumque pronunciabat, nec tamen tam artis ſuae vanitatem, quam ſuam praecipitantiam & imperitiam prodebat. Ceterum, quod Antonius Poſſeuinus (f) omina quoque, & neſcio quae praeſagia huc aduocat, in eo quidem neſcio, an multos ſibi ſuffragantes ſit habiturus. Origenem quidem, dum adhuc eſſet puer, diuinorum oraculorum ſenſum a patre, inſtrumentorum omnium vſum ab opificibus exquiſiuiſſe, refert Euſe-

(f) *l. c.*

febius. (g) Summos etiam philoſophos, in tenera aetate iam naturae arcana ſcrutari coepiſſe: alios, animalium diſſectione, gloriae, quam in medica arte deinceps conſecuti ſunt, praeluſiſſe; quosdam etiam concionibus ſacrisque functionibus, ſanctioris diſciplinae aliquando antiſtites ſe fore, non irrito plane augurio ſignificaſſe, accepimus. Verum, vt magnos in omni litterarum genere viros extitiſſe nouimus, ſine praeſagiis vllis, aut ominibus: ita multos turpiter, euentu augurio non reſpondente, deceptos fuiſſe, conſtat: magnoque dolore, parentes filium in Therſitem degeneraſſe deprehenderunt, quem, vana ſuperſtitione ducti, Caeſarem fore, ſibi perſuaſerant, Miſſis ergo vanis & ineptis, certa iuſtisque rationibus innixa, & vſu ac experientia comprobata, ſequamur.

§. XIV. Priusquam hinc discedam, illorum adhuc mihi attingendum inſtitutum eſt, qui per omnia ſtudiorum genera animum circumferunt, vt πολυμαθείας gloriam apud eruditos referant. Rectene enim, an ſecus, id faciant, perſpici vtcunque ex iis, quae praecepimus hactenus, poteſt. Certe, quibusdam eam ingenii praeſtantiam contingere, vt nihil arduum illis & inacceſſum ſit, & vt, etſi omnia vaſto ani-

(g) *H. E. lib. VI. cap. III.*

animi ambitu complecti annitantur, in ſingulis tamen ita excellant, vt hoc vnum per omnem vitam egiſſe cenſeantur, nemini, niſi rerum omnium ignaro, dubium eſſe poteſt. Sed paucis licet adire Corinthum. Peſſime autem ſibi conſulunt mediocri, aut tenui, & vix vni arti ſuffecturo ingenio praediti, dum nihil tamen non affectant, & ſtudiis inter ſe diuerſiſſimis ſe applicant. Quibus profecto contingit, quod Martialis dicit, vt, dum vbique habitant, nusquam habitent. Benedictus Manzinus, Florentinus, (h) recentiores ſcriptores cum veteribus comparans, hos quidem pauciora, ſed melius, illos vero plura, ſed deterius noſſe affirmat. In quo eum ratio non adeo fallit. Raro enim operae pretium facit, qui pluribus quam vni arti deditus eſt. Platonem accepimus, legibus ſaluberrimis ciuitatem ſuam inſtruentem, hoc quoque ſanxiſſe: (i) *Singuli ſingula recte conficere poſſunt, plura vero minime: quod ſi quis plura tractare aggrediatur, in ſingulis ita deficit, vt in nullo euadat egregius.* Recte quidem & egregie. Quam autem iuiuuaret, litterarum cultoribus, eandem legem ferri! niſi forte quis credat, minorem induſtriam ad vnam artium liberalium rite tractandam ſufficere, quam ad ſuum quisque

(h) *de inuidia litteratorum cap. VI.* (i) *lib. III. de republ. p. 469.*

que opificium afferre debet. Neque tamen hoc ita accipi velim, vt, ſi qui certum litterarum genus eligit, ceterarum rudis omnino eſſe debeat. Ita qui ſentiunt, ſuo exemplo comprobant, ineptos plane ſtultosque eſſe eos, qui, dum vitare vitia volunt, in contraria currunt. Sunt artes omnes liberales & ingenuae vinculo arctiſſimo inter ſe nexae, vt vna adiuuet alteram, operamque perdat, qui, ceteris plane neglectis, in vna excellere cupit. Quare imbuant iuuenes iis animum, nec negligant, quicquid ad grauiora contendentibus, aut praeſidio, aut ornamento eſſe poteſt; tum vero, explorata indole, omnibusque vitae ſuae rationibus probe circumſpectis, vnam eligant, ad quam ornandam &, vt ita dicam, penitus exhauriendam, omnem deinceps operam induſtriamque conferant. Diſciplinarum orbem peregrinationi ſimilem eſſe, ait Nicolaus Damaſcenus. (k) Peregrinatoribus itaque vſu venire, vt in quibusdam diuerſoriis prandendi cauſa commorentur, in aliis pernoctent, & in nonnullis quidem locis plusculos dies conſiſtant, alia vero obiter tantum ac praetergredientes adſpiciant, tandem autem reuerſi, in ſuis penatibus degant:

(k) *in excerptis Peireſcianis p. 416. add. Rolandus Mareſius ep. X. lib. II. p. 248.*

Ita etiam eos, qui litteris artibusque operam nauant, in quibusdam breuius, in aliis immorari diutius oportere, & has quidem integras perdiſcere, illas vero duntaxat delibare, tandem ad vnam, tanquam ad patriam ac lares reuerſos, conſidere. Perpetui autem peregrinatores multa quidem habent hoſpitia, nullas amicitias; ita illi, qui omnia litterarum ſtudia promiſcue ſectantur, ſolidam & perfectam artis alicuius cognitionem ſibi non conciliant, ſed tanquam venatores, multas ſimul feras inſectantes, nullam capiunt. Merito itaque magni litterarum cenſores atque magiſtri, eiusmodi ardelionatum, ceu artium bonarum perniciem, condemnarunt, (l) & ab iis, qui litteris ſe conſecrant, procul abeſſe voluerunt.

§. XV. Nondum ſatis litterarum cultori, ne operam ludat, proſpeximus. Quin vltimo loco nunc illud adiicimus, quod praecipuum eſt, primamque curam poſtulat. Voluntatis ſcilicet habeat rationem, ſedemque iſtam omnium virtutum & vitiorum, omnisque adeo boni & mali fontem, non negligat. Hac enim emendata, ex voto ſuccedit ingenii cultura. Hac neglecta, & vitiis ceu ſpinis & ſentibus ſqualente, fruſtra

(l) *conf. Edmundus Richerius in obſtetrice animorum cap. II. §. IV.*

ſtra in poliendo ingenio quis elaborabit, aut, ſi quam eruditionis ſpeciem conſequatur, hoc demum obtinebit, vt ſe ipſum & alios rectius & citius perdere poſſit. Quemadmodum itaque, ex Stoicorum diſciplina, ſolus ſapiens cuncta recte adminiſtrabat, quippe qui ſolus erat.

Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum,

adeoque & ſolus litteris recte operari cenſebatur: ita quo minus de emendatae voluntatis homine, eum ſolum recte litterarum ſtudia tractare poſſe, itidem affirmem, non video quid obſtet. Quod ne temere affirmaſſe videar, ita euinco. Tanto quis, omnium iudicio, eruditione & ſapientia proficit, quanto ad veritatem vbique accedit propius, & ab erroris periculo magis eſt remotus. Hinc & merito Galenus (m) in adoleſcente, rite in litterarum ſtudiis profecturo, cumprimis veritatis requirit amorem. Errorum autem vltima ſcaturigo in voluntate recte quaeritur, & inuenitur quoque. Licet enim & intellectus magna ſit imbecillitas, quin tanta, vt nonnulli, verum ſe inuenturos deſperantes, ſemper dubitare, quam certi qui affirmare malint: haec ipſa tamen per voluntatis prauitatem infinitum in modum augetur.

(m) *de conſtit. art. cap. VI. add. Gabriel Naudaeus de ſtudio liberali cap. IX. p. 591.*

Ex ea quippe praeiudicatae opiniones omnes fluunt, quae quotidie mortales in transuorſum agunt, &, vt a recto tramite deflectant, efficiunt. Pone hominem ambitionis oeſtro percitum, ſerio is vix vnquam ſibi perſuadebit, nefas eſſe, alios laceſſere conuiciis, aut, ſi laceſſitus fuerit, par pari non reddere. Praeiudicata quippe menti eius inſidet opinio, quae ad famam & exiſtimationem tuendam ſuſcipiuntur, ea neutiquam ponenda eſſe in vitio. Aeque difficile fuerit, hominem voluptatibus deditum inducere, vt credat, mala quandoque eſſe, quae ſenſibus abblandiuntur, eaque ſummo ſtudio eſſe fugienda. Obſtat propenſio ad voluptatem, caliginemque offundit intellectui, vt, quae clariſſima ſunt, obſcura, ſaltem dubia illi videantur. Sed omitto ambages remque paucis conficio. Conſentiunt, quos vlla vnquam cura ſerio in veritatem inquirendi ſubiit, maximum ſubinde hic oriri impedimentum ab affectibus. Colligio inde, ad veritatis inueſtigationem, ſolidamque adeo eruditionem conſequendam, parum idoneum eum eſſe, qui legem ponere affectibus, ſuisque eos circumſcribere limitibus, non didicit. Recte Fungerus: (n) *Si hanc com-*

(n) *de puerorum diſciplina & recta inſtitutione cap. XVI. p. 307. add. Malebranchius de inquir. ver. lib. V. cap. VI. & ſeqq.*

communionem & impetum a ciuibus abeſſe voluit philoſophus Plato, quanto magis aberit a Chriſtianis, & humanioribus ſtudiis dedicatis hominibus! Nec enim illi turbidis motibus agitari debent, verum ab omni feruore longiſſime ſequeſtratam rationem habere. Adeo certe, vt, niſi quis renunciauerit affectibus, quantumuis in cyclopaedia verſatus ſit, vere tamen doctus haberi vel dici non debeat. Aſt domare affectus fruſtra annititur, quisquis voluntatem vitiis non purgauit, fontemque omnis mali detexit. Verae itaque ſolidaeque eruditionis hi minime ſunt capaces. Addo & iſtud. Qui proficere in litteris, bonaeque menti, ita vt par eſt, litare cupiunt, huc omnes cogitationes, omnia conſilia conferre debent, vt in ipſa arcana litterarum penetrent. Qui perfunctorie per litterarum ſtudia transcurrit, eaque, ceu canis e Nilo, fugiendo delibat, hoc demum impetrat, vt magno conatu nihil ſe egiſſe, ſero licet, animaduertat. Vix tamen, vt, qui vitia nondum exuerunt, aliter hic ſe gerant, ab iis expectes. Alios ignauia occupat, & foeda voluptas opprimit, vt otio marceſcere, quam eam partem, qua brutis praeſtant, excitare, & excolere dulcius putent. (o) Qui vero aut

(o) *vid. Malebranchius de inquir. verit. cap. X. XI. libri V. add. Ioachimus Fortius Ringelbergius de ratione ſtudii cap. II. p. 12. ſeqq. it. Fungerus l. c. cap. VI. p. 278.*

honorum, aut diuitiarum cupiditate tenentur, vt otium quidem fugiunt, ita, obuersantibus illis rerum quas cupiunt imaginibus, vix vnquam attentionem, quam debebant, ad litteras tractandas, secum afferunt, indeque aut erroribus facile se induunt, aut scopo, quem sibi proposuerunt, plane excidunt. Illi insuper, quos ambitio vexat, vt facile ad praeclare & magnifice de se ipsis sentiendum inducuntur, ita haud raro sibi persuadent, se iam ad metam peruenisse, a quo longissime absunt. Quo ipso sibi, ne in litterarum studiis, ita vt decet, proficiant, obstaculum maximum ponunt. *Multi*, inquit Seneca, (p) *ad eruditionem venissent, nisi, se eo iam peruenisse, putassent*. Et Bias apud Laertium (q) τὴν ὄιησιν προκοπῆς ἐγκοπὴν, *opinionem, profectus impedimentum* vocat. Quod Plutarchus (r) quoque probe intellexit, dum sedulo praecepit, vt animi adolescentum fastu & opinione diligenter purgentur: δεῖ τῶν νέων μᾶλλον ἐκπνευματᾶν τὸ ὄιημα καὶ τὸν τύφον, ἢ τῶν ἀσκῶν τὸν ἀέρα τὰς ἐγχεάμτι βελομένες χρήσιμον. Ἐι δὲ μὴ, γέμοντες ὄγκε καὶ φυσήματος, ἐπροσδέχοντας: *oportet ex adolescentibus opinionem fastumque exprimere magis quam ex vtribus aërem, quibus vtile aliquid infunditur, aut infundere animus est, alioqui, fastu flatuque re-*

(p) *de tranquill. animi cap. I.* (q) *in Biante p. 51.*
(r) *de auditione T. II. opp. p. 39.*

referti, non admittunt. Opes autem diuitiasque illis quoque contemnendas esse, qui bonae menti rite operari cupiunt, suo exemplo comprobat Ioachimus Fortius Ringelbergius: (s) *Equidem*, inquit, *eo ingenio sum, semper fui, & semper ero, vt summam inopiam, quam summas opes malim. Metuerem enim, ne pernicioſa eſca mentem occuparet meam, neue tam vilis metalli cura ſtudia dulciſſima impediret. Mediocrem tamen modum, ad vitam tuendam, neceſſarium eſſe non pernego. Nec aurum contemno, ſed magnas opes, quae mentem a litteris abducere queant, &c.*

§. XVI. Aſt ponamus, quod nemo vtique, niſi experientiae refragari velit, abnuere poterit, improbos etiam homines rerum cognitionem ſibi comparare poſſe, eruditionis tamen verae cenſu haec minime veniet, ſi locus concedatur iis, quae ſupra demonſtrauimus. Saltem ſibi ipſis ſua induſtria plurimum nocent, magno labore addiſcentes, quae vitiis, quibus obſitus illorum animus eſt, alimentum praebent, vel noua etiam procreant. Ita enim vſu venire ſolet, vt homines per ſe praui litterarum ſtudio longe deteriores fiant. (t) Mira res, cum eradicare vitia eruditio debeat, nunc

(s) *l. c. cap. IV. p. 17.* (t) *conf. Lactantius de falſa ſapientia cap. XIV. & XXV.*

multorum vitiorum non audita fuiſſent nomina, niſi fuiſſent eruditi. Plagium quod litterarium vocant, cuius haud pauci profecto a doctiſſimis viris, Iacobo Thomaſio, (u) & Theodoro Ianſonio ab Almeloueen, (x) aliisque arguuntur, infrunita contradicendi & confutandi libido, praepoſtera ſcriptis inclareſcendi cupiditas, haereſeos aut grauioris criminis notam aliis inurendi prompta alacritas, & id genus alia dedecora, grauiſſimis vitiis non minora, nec infrequentiora, dictis fidem faciunt. Modeſtiam in doctis adeo multi deſiderant, (y) vt raram hanc auem dicant, plerisque ambitione & faſtu turgidis, vt ſe ſolos ſapere, ceteros deſipere & inſanire, ſerio ſibi perſuadeant. Adeo verum eſt, quod dici ſolet, doctos multa ſcientes ſeipſos neſcire, cumque in aliarum rerum ſcientia conſequenda laborem multum tempusque collocent, quod ſuae indoli explorandae impendant, vix illis ſupereſſe. Seneca (z) (vt multa alia probe & ſapienter, ita hoc quo-

(u) *de plagio litterario.* (x) *in ſyllabo plagiariorum, eius amoenitatibus theologico-philologicis ſubiuncto.* (y) *conf. Hieronymus Hirnhaim in Typho generis humani, cap. XXII. ſqq. it. Guilielmus Saldenus de libris eorumque vſu & abuſu lib. II. c. III. p. 308. ſeqq.* (z) *ep. LXXXVIII. p. 743.*

quoque praeclare;) *liberalium*, inquit, *artium consectatio molestos, verbosos, intempestivos sibique placentes facit, & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt.* Ita profecto est: saltem non ipsis litteris, quae vitio carent, sed hominum prauitati hoc tribui malim, per quam vnice stat, quod litteris ipsis tantum inuratur dedecus. Nec putes, intra hosce limites eruditorum vitia subsistere. Nullum tam foedum, tam ingenuo homine indignum est, quod non eruditis quodammodo proprium existimetur. Inuidia quid turpius? Hanc vero eruditi tam strenue exercent, vt non tam figulus figulo inuideat, quam eruditus erudito. Idque, ne cuiquam dubium esset, eruditissima commentatione sua effecit Benedictus Manzinus. (a) Impuris autem cupiditatibus vtinam inter Musas locus non esset! Iam autem vereor, ne plurimi Curtio illi Marignollo haud absimiles sint, de quo Ianus Nicius Erythraeus (b) mihi auctor est, eum, cum egregiam a natura ad poësin indolem hausisset, nullum vnquam argumentum, nisi obscoenum atque turpe tractauisse, obiurgatumque & admonitum, vt illam vim ingenii, a rebus obscoenis & turpibus, ad serias honestasque trans-

(a) *add. Guil. Saldenus l. c. lib. II. cap. IV. p. 37. seqq.* (b) *in pinacotheca imaginum illustrium part. 1. p. 179.*

transferret, palam reſpondiſſe, non poſſe ſe aliter, etiamſi maxime cuperet, ſcribere. Qui autem iis moribus ſunt, quam de Numine animo conceperint opinionem, coniectura quilibet haud difficulter aſſequi poteſt. Quae quod intra praecordia deliteſcat, nec foras erumpat, poenae metus, aut bonorum, vel exiſtimationis iactura obſtat: hoc repagulo fracto aut remoto, religionem iſtam eruditorum, hoc eſt, ſplendido titulo ſuperbientem atheiſmum, ceu anguem ferocem ex ſuis ſe proferre latebris, videas. Recte ergo, florum inſtar eſſe litteras, nonnulli iudicarunt, quae bonis mentibus ſalubre alimentum, prauis venenum praebeant, quo ſeipſas & alios perdant. Hinc ab aliis in auaritiae, ab aliis in obſcoenae libidinis, ab aliis denique in ambitionis inſtrumentum eas verti videas, quibus ſuam aliorumque promouere ſalutem debebant. Cauſa non aliunde arceſſenda, quam quod, priusquam voluntatem emendarint, ad haec ſacra accedant. Platonis quidem celebratur ſententia, qua admodum difficile eſſe pronunciauit, reperire hominem ingenioſum ſimul & prae ceteris manſuetum: nam acutos, ſagacesque, memorioſos, & dociles, vtplurimum in iracundiam, impetusque praecipites eſſe: proruere eos atque rapta-

ri.

ri, vt ſine retinaculis, nauem. Innuit, ni fallor, eos, qui ingenio valent, ad vitia ceteris eſſe propenſiores: quod ita ſe habere & res ipſa docet, & nemo facile abnuet. Aſt eo magis in ſuam incumbere emendationem deberent, praeſertim ad litteras acceſſuri, quod & ipſa illorum indoles acrioribus ſtimulis ad praua illos ſollicitet, & ad litterarum ſacra admiſſis non vna, mentis prauitatem exerendi, aut nouis vitiis contaminandi, offeratur occaſio.

CAP. III.

Σύνοψις.

Tranſitur ad finem, quem quisque in litterarum ſtudiis ſibi propoſitum habere debeat, & primo refelluntur, qui ambitioni ſuae & gloriae cupiditati litant, §. I. Reprehenduntur quoque, qui animi delectandi gratia litteras tractant, & vana eruditorum curioſitas profligatur. §. II. Quid de illis cenſendum, qui, vt litteris operentur, reipublicae adminiſtrationi ſe ſubducunt, ediſſeritur, §. III. Quid de mediis perueniendi ad eruditionem veram obſeruandum ſit, indicatur, & quam neceſſarium ſit, audire alios, oſtenditur, §. IV. De librorum lectione agitur, §. V. Libri obſcoeni damnantur, & ex orbe erudito proſcribuntur, §. VI. Sed alii quoque libri, bonis moribus inimici, reiiciuntur, §. VII. Num ethnico-

nicorum libri chriſtianis legendi ſint? diſputatur, §. IIX. IX. Meditationis neceſſitas & vſus commendatur, §. X. De ordine in litterarum ſtudiis ſeruando differitur: praeterea octo regulae, de ratione feliciter in ſtudiis litterarum proficiendi, ſubiunguntur, & iis tota haec tractatio finitur. §. XI.

§. I.

DE litteris, quae dignae ſunt vt diſcantur, illisque, qui excolere iis mentem poſſunt commode, atque tenentur, hactenus expoſuimus. De fine, quem quisque ſibi conſtituere debet, modoque rite in iis proficiendi, aliquid adhuc addendum eſt. Namque & qui hic aberrant, non ſibi tantum nocent, ſed eorum quoque, quae recta ratio ab illis exigit, parum fuiſſe memores videntur. Finem autem parandae ſcientiae hunc maxime ſpectandum eſſe, vt non ſolum doctiores, ſed meliores etiam fiamus, rectiusque & tranquillius viuamus, deinde vt ad aliorum vtilitatem ſtudia noſtra referamus, per ſe quidem conſtat, & ex dictis affatim liquet. Quod licet verbis nemo abnuat, pauci tamen, ſua eo comparata eſſe ſtudia, demonſtrant. Alii enim iis nauant operam, vt rem ſuam familiarem conſtituant, &, quae vitae ſunt neceſſaria, inde comparent. Quod propoſitum

ſitum, iudice clariſſimo viro, Rolando Mareſio, (a) *humile eſt & illiberale, nec ſatis litterarum nobilitate dignum.* Ego vero foedum & ſordidum id eſſe aſſero: nullamque peſtem litteris ipſis perniciosiorem reperiri poſſe. Per eiusmodi homines ſi ſtaret, errori ſaepius & mendatio maius ſtatuendum eſſet pretium, quam veritati, cum per illum haud raro promtior ad opes diuitiasque via pateat. Alii ſempiternam gloriam, & immortale decus, finem ſtudiorum ſibi conſtituunt, idque, tanta mortales dementia cepit! adeo non diſſimulant, vt profiteri etiam pulchrum ducant, nec commodiori argumento excuti aliorum torporem poſſe, contendant. Quod ne temere dixiſſe videamur, exemplis virorum, quorum conſilia de ſtudiis recte inſtituendis apud multos in pretio ſunt, id confirmabimus. Ioachimus Fortius Ringelbergius, (b) ex inſtituto hoc ſibi probandum ſumpſit: *adfectandas eſſe ſtudioſo laudes. Magnum*, inquit, *futurae victoriae ſignum eſt, excitari laude, ſi pulchre geſſeris quicquam: atque ſi ab aliis vel reprehendite, vel ſuperari videris, dolere, incendique ad altiora. Siquidem, vt Ouidius ait, non paruas animo gloria dat vires, facunda facit pectora laudis amor. Igitur gloriae ſtudioſiſſimum eſſe adoleſcentem oportet, qui ad ſumma conabitur. Nihil enim*

(a) *lib. II. ep. XVI. p. 315.* (b) *de ratione ſtudii cap. V. p. 20.*

enim video, quid poſſit eruditio ſine laudum cupiditate, laudum cupiditas ſine eruditione. Alibi autem (c) ad gloriae cupiditatem excitat adoleſcentes, hisce Virgilii: (d)

- - Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim tollere humo, victorque; virum volitare per ora.

Huic ſuffragatur Gabriel Naudaeus: (e) *omnino autem legitima cum ingeniis tractandi methodus hic requirit, vt ſtudio laudis excitentur ad officium, incendanturque amore gloriae & virtutis.* Horum ſplendidam veſaniam vel ethnici arguunt, quorum nonnulli nihil magis in vitio ponunt, quam vaniſſimae gloriae nubes, & inania prenſare. Praeclare Antoninus: (f) *qui famae poſt mortem cupiditate ducitur, non cogitat, quemlibet eorum, qui ipſius mentionem ſint facturi, mox ipſum etiam moriturum: deinde itidem eum, qui huic ſuccedit, idque eousque, dum omnis memoria per attonitos inani fama, extinctosque homines propagata aboleatur. Quin etiam finge, eos immortales fore, qui tui recordentur, immortalemque tui futuram memoriam: quid ergo id ad te: ne dicam mortuum, quid vel viuo tibi laus proderit?* Occultius quidem hic nonnulli incedunt, numquam tamen tam cauti ſunt, vt non indicio

(c) *cap. I. p. n.* (d) *lib. I. Georg. v. 8. ſeqq.* (e) *in ſyntag. de ſtudio liberali cap. X. p. 545.* (f) *lib. IV. §. XII.*

cio quodam ſe prodant. Aut me omnia fallunt, aut contigit illud philoſophiae, vt haberi voluit, reſtauratori celeberrimo Renato Carteſio, dum fundamenta philoſophiae ideo ex primo fonte dubitationis ſe deriuare profeſſus eſt, vt Scepticos, moleſtum hominum genus & inuiſum, tandem ad ſilentium redigeret. Quam hoc ipſi ſibi, aliisque nocuerit, iam Petro Poireto g) obſeruatum eſt: ego illud ſaltem addo, ambitionem ſuam haud obſcure ita manifeſtaſſe Carteſium. Refellere temere alios, atque confutare, per ſe quidem haud raro animum arrogantem arguit, cum, qui iſtud ſuſcipiunt, longe acutius ceteris ſe videre, perſuaſum ſibi habeant. Scepticos autem, philoſophiae hoſtes, homines lubricos & hactenus, vt Carteſio videbatur, inuictos, debellare penitus, eiusmodi profecto erat, vt victorem haud exigua manere gloria videretur. Haec pupugit Carteſii animum, haec ad philoſophandum induxit, haec puppis atque prora ſtudiorum ipſius fuiſſe videtur.

§. II. Non deſunt quoque, qui non aliam ob cauſam ad ſcientiae cupiditatem trahi videntur, quam vt animos ſuos varia rerum cognitione paſcant: *quae cauſa*, in-

(g) *in vera methodo inueniendi verum part. I. §. IX.*

quit Rolandus Mareſius, (h) *eſt legitima.* Aſt mihi ſecus videtur. Ab ignauia enim parum abeſt, quam ex litteris capimus, voluptas, niſi ad vſum quoque transferantur. Nec iuuat illos honeſta, quam obtendunt, curioſitas. Namque, an haec honeſta ſit, minimeque in vitio ponenda, dubitari poſſet. Ego, quod vitio non careat, ſic euinco. Innatum omnibus ſcientiae deſiderium, res ipſa quidem loquitur, ſed teſtatur inſuper admiratio, qua homines percelluntur, quoties inſolitum quid & ſingulare illis offertur, cuius cauſam rationemque ignorant. Magna enim hinc ſtatim eos ſubit cupiditas, ignota perueſtigandi, cauſasque rerum explorandi. Quo ſenſu iam Ariſtotelem (i) dixiſſe nouimus: *propter admirationem homines olim & nunc philoſophari coeperunt.* Haec itaque ſciendi cupiditas, ſi intra iuſtos coërceatur limites, neutiquam vituperanda eſt, quemadmodum contra, ſi vltra euagetur quam par eſt, non intellectus quidem, quod nonnullis placuit, voluntatis tamen vitiis iure meritoque annumeratur. Ergo ſi quis de aliorum actionibus, quae, rectaene an prauae ſint, ipſius parum refert, ſit ſollicitus, in iisque inquirendis omnem induſtriam collocet, omnium iudicio vapulat. Πολυπραγμοσύνην Grae-

(h) *l. c.* (i) *lib. I. metaphyſ. cap. XI.*

Graeci hoc vitium vocant, Latini curiositatem, cuius foeditatem ex instituto demonstrat peculiari libello Plutarchus. (k) Nec illi excusatius peccant, qui, inconsulta sciendi cupiditate abrepti, minus necessaria, aut ea, quae humanae cognitionis modum excedunt, consectantur. In confesso haec apud omnes sunt. Sed addi & isti debebant, qui ex rerum variarum cognitione nihil aliud, quam voluptatem quaerunt: quibusque adeo litterae non iustae vxoris, sed impurae meretricis loco sunt, ad exsatiandam libidinem vnice comparatae. Nimirum vt sensus, ita & animus variarum rerum repraesentatione oblectatur. Aft si quis nihil aliud ageret, quam vt picturis pasceret oculos, aut suaui concentu aures oblectaret, huncce recte tempus collocare, auderetne quis asserere? Pari modo, si quis per varii generis libros animum circumferat, spectator saltem ignauus illorum, quae in orbe erudito geruntur, hunc tempore ingenioque recte vti quis contenderet? Vtrobique enim criminis eadem causa est. Sensus enim, a summo rerum omnium conditore, non ideo saltem nobis concessi sunt, vt ex iis voluptatem capiamus, sic & mens ipsa ingeniumque tanto minus hunc in finem nobis datum est, aut natura-

(k) *T. II. opp. p. 515.*

le ſciendi deſiderium inditum, quanto ſenſibus externis mens praeſtantior, nobiliorque eius operatio. Paucis dicam, quod res eſt. Ignauia eſt, quam illi curioſitatem vocant, aut mentis quaedam, ſed illicita, voluptas, non minori ſtudio, quam corporis foeda voluptas, fugienda.

§. III. Cum itaque non generoſum ſaltem & magnificum, litterarumque gloriae conueniens ſit, vt nonnemo putat, ſed plane neceſſarium, vt homines doctrina ornati, quae ex ea acceperint, in publicum conferant, ingredi haud difficulter nonnulli in eam ſententiam poſſent, peccare eos perperamque agere, qui reipublicae adminiſtrationi, publicisque muneribus ſe ſubducentes, in litterario, quod vocant, otio conſenescere praeoptant. Quibus non magnopere merefragari lubens profiteor: ſed tum demum, ſi non alia cauſa, quam otii conſectatio eos inducat, vt hanc viam ingrediantur, ſique otio ita ſe dedant, vt nullum inde ad alios redundet emolumentum. Namque qui Atticum iſtum imitantur, vt *non inertia, ſed iudicio reipublicae procurationem fugiant*, (l) illi adeo non reprehendendi ſunt, vt laudem quoque promereantur, quod, vt de eodem Attico Cicero (m) loquitur,

(l) *vid. Cornel. Nepos in vita Attic. c. XV.* (m) *lib. I. ad Atticum ep. XV. p. 303.*

tur, *minime reprehendenda ratio, ad honeſtum otium eos duxerit* Nimirum ea rerum quandoque eſt conditio, vt honeſtis conſiliis non amplius concedatur locus, nec medicinam admittat morbus reipublicae, aut vt publicis muneribus admoti non tam prodeſſe aliis poſſint viri cordati, quam ſibi relicti. Tum enim ſatius eſt, priuatum vitae genus ſectari, quam operam, quod aiunt, oleumque perdere. (n) Sed cauendum, ne otium degeneret in ignauiam. *Multum intereſt*, inquit Seneca, (o) *vtrum vita tua otioſa ſit, an ignaua.* Hinc de Vatia, aulam fugiente, idem Seneca populum exclamare ſolitum ait: *O Vatia! ſolus ſcis viuere.* At ille addit, *latere ſciebat, non viuere.* Viri quippe ſapientis otium ita comparatum eſt, vt tum maxime profutura & ſibi, & aliis, agat & meditetur. Idem Seneca alibi: (p) *nunquam plus agere ſapientem, quam cum in conſpectum eius diuina atque humana venerunt.* Tale itaque vitae inſtitutum ipſe Plato, multique philoſophi, & noſtra quoque aetate viri quidam ſapientiſſimi ſecuti ſunt, qui non minus viua voce praeſentes, quam ſcriptis orbem vniuerſum, ipſamque praeclare erudiuere poſteritatem. In quos omnino il-

(n) *add. Plutarchus in libro: an recte dictum ſit, latenter viuendum eſſe, T. II. opp. p. 1128.* (o) *ep. LV. p. 618.* (p) *ep. LXVIII. p. 655.*

lud quadrat, quod de se ipso Petrus Pithoevs in testamento suo professus est: *opus potius, quam honores aut magistratus, amaui, ac prodesse quam praeesse malui.* (q)

§. IV. De fine postquam litterarum cultori constitutum est, necesse est, vt de mediis sit sollicitus, ne in eorum vsu quicquam temere admittat quod contra officium sit. Media autem praecipua sunt, doctos & in qualibet arte scientiaque praestantes viros audire, libros vtiles legere, quodue percepimus, acri & indefessa meditatione prosequi, vt propria velut nobis fiant, & in vsum nostrum conuertantur. Certe, quod ad primum attinet, si aliorum quis institutionem contemnat, aut negligat, perinde facit, ac si quis vastum & immensum pelagus sine duce & gubernaculo ingrediatur. Varius autem & multiplex institutionis fructus est, praesertim si ad nostram indolem attemperari possit. Namque cum ipsi plerumque in nostra indole exploranda coecutiamus, longe rectius prudens doctor eam perspiciet, &, in quodnam nos dare litterarum genus debeamus, suadebit. Deinde, cum imperiti iuuenes, quantumuis excellenti ingenio praediti, nesciant tamen, quid primo, quid secundo loco aggredi debeant, huic

(q) *vid. Loccenius in notis ad Cornel. Nepot. loc. cit.*

Digitized by Google

huic malo rurſus manuductio viri prudentis tempeſtiue adferet medelam. Quid? quod & vitia quaedam, qui ſine magiſtro ſapere cupiunt, fere imbibant, quae dediſcere difficile admodum illis eſt, etiam cum ea deteſtantur. Namque ſolitudini & vmbrae adſueti eiusmodi homines in lucem fere non ſine puerili quadam trepidatione prodeunt, pertinaces quoque & arrogantes vtplurimum euadunt, dum omnia ſibi ſolis tribuunt, quod aliis acceptum ferant, ſe non habere ſibi perſuadent. Si qui autem, aliorum ope deſtituti, ſua tantum induſtria profecerunt, & ad eruditionis laudem peruenerunt, illi profecto in exemplum ſtatui non debent. Quod enim vni feliciter & ex animi ſententia ceſſit, id ſi & ſibi ita euenturum omnes ſibi perſuaderent, ſuam quidem imprudentiam proderent affatim. Praeclare Naudaeus: (r) *licet, multos olim αὐτοδιδάκτους repertos fuiſſe, non ignorem, qui ſua induſtria, nullius adiuti miniſterio, illud etiam dicere poſſint, de quo ſe iactabat citharoedus quidam apud Homerum: ex me ipſo edoctus ſum, neque alius mihi, niſi Deus, menti animoque tot numeroſas indidit cantilenas: quemadmodum Heraclitus Epheſius, quem, narrat Plutarchus, nullo commonitore*

(r) *in ſyntagm. de ſtudio liberali cap. V. p. 586. add. Dorotheus Sicurus in Prudentia theologica §. XXIX. p. 33.*

& commonſtratore philoſophiam omnem percepiſſe; & Manlius eques factus, (ſi Plinio creaendum) nullo praeeunte, doctiſſimus, & Apuleius, qui hoc de ſe prodit primo fabularum, Epicurusque, adnuente Tullio, & Virgilius, referente Petrarcha, & demum diuus Auguſtinus, qui lib. confeſſionum gloriatur, ſemet ipſum legiſſe liberalium artium libros, & intellexiſſe: noſtrisque ſimiliter temporibus, multis emergere, absque praeceptorum opera, contigerit, vt Petro Ramo in philoſophiae ſtudiis, Mureto in arte oratoria, Guilielmo Poſtello in linguarum pene omnium, Ebraicae praeſertim, cognitione, Cuiacio in iurisprudentiae notitia, Philelpho denique ac Budaeo in omnibus humanioribus litteris: licet, inquam, plures alii ſua ſponte & natura bonas & multas artes potuerint addiſcere, breuius tamen hoc iter illis fore & compendioſius ſemper exiſtimaui, quibus praeceptores aliqui, ſaltem praemonſtratores ſtudiorum & comites, adiunguntur &c. Ceterum habet & ea, quae viva voce peragitur inſtitutio, alia commoda, quae pluribus proſequitur Alexander Fichetus. (s) Qui enim bonas artes docent, *vno*, inquit, *momento temporis effundunt in ſinum noſtrum, quod longiſſimo plurimorum annorum labore coaceruarunt, atque hoc nullo noſtro labore, magnaque cum animi voluptate contingit.* Accedit, obſeruante eodem Fichetto,

(s) *in arcana ſtudior. methodo cap. X.*

to, quod ſubinde ad alios auctores prouocent, eosque haud raro ignotos, in quorum proinde notitiam ſine vllo labore & difficultate, qui eos audiunt, deducuntur. Ex alio adhuc capite iam ſuo tempore Plinius (t) ſtudium alios audiendi, atque ex eorum ſermonibus proficiendi, commendauit. *Dices*, inquit, *habeo hic quos legam, non minus diſertos. Etiam: ſed legendi ſemper occaſio eſt. audiendi non ſemper. Praeterea multo magis, vt vulgo dicitur, viua vox adficit. Nam licet acriora ſint, quae legas, altius tamen in animo ſedent, quae pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis, adfigit &c.* Ego & hoc addo, quod, quae cum paucis communicantur, maiori libertate proferantur, aut proferri poſſint, quam quae litteris conſignata, iudicium vniuerſi orbis eruditi ſubire debent. Similiter de conuerſatione cum eruditis cenſendum, quam non minora commoda litterarum alumnis afferre exploratum eſt, iisque, qui ex inſtituto hac de re praecipiunt, (u) iam pridem probe obſeruatum.

§. V. Alterum proficiendi rite in litteris medium eſt, bonorum librorum lectio. Bonorum inquam, malorum enim impedimento potius erit, bonamque mentem ſuffocabit, tantum abeſt, vt eam erigat vtique damnet. Zenoni Stoicorum principi,

(t) *lib. II. ep. III.* (u) *vid. Morhofius in polyhiſt. litter. part. I. lib. I. cap. XV.*

de vera eruditione ſollicito, Apollinis oraculum reſpondiſſe accepimus: *συγχεωτίζεται τοῖς νεκροῖς.* Quod eo pertinere facile intelligitur, vt libros diligenter voluant, qui ad ſolidae doctrinae arcem contendunt, & ita aſſidua mortuorum conſuetudine vtantur. Vtique ad magnam ſapientiam nihil eſt vtilius, nihil certius, nihil expeditius. Vix ſane mihi perſuadeo, vllum vnquam mentis compotem extitiſſe, qui id inficiari, librisque litterarum cultoribus interdicere, auſus fuerit. Scio, nonnullos magnae auctoritatis viros male hoc nomine audire, ſed aliis omnino, per meram obtrectandi libidinem, iſtud tribuitur, alii abuſum redarguentes, facile ſuſpicionem, vt fieri ſolet, quod vſum ipſum ſublatum cuperent, ſubierunt. Renato Carteſio, niſi omnia me fallunt, eiusmodi quid contigit. Cum enim animaduerteret vir acutiſſimus, inconſultae & intempeſtiuae lectioni palmam vbique tribui, acrem autem liberamque meditationem paſſim vt ſuperuacuam contemni, aliam viam ingreſſus eſt, meditationemque iure quidem, quantum ad philoſophiam attinet, lectioni antepoſuit. Hinc liberius quaedam ab eo in libros dicta ſunt, ſe ſcilicet *eos legere, non vt ſtudia ſua iis promoueret, ſed vt animum quadantenus ab iis auocaret.* Vſu & conſuetudine idem comprobauit, ſi nonnul-

nullis credimus, (x) dum, paucorum admodum librorum ſuppellectile inſtructus, litteris incubuit. Quem quidem, ſi qui aut in alio litterarum verſantur genere, aut ingenio eum non aequant, in exemplum, quod imitentur, ſibi ſtatuere vellent, turpiter ſe traducerent. Forte & ambitione in transuorſum actus, diſſimulatione ſectarum conditoribus haud infrequenti vſus eſt, vt ceteris eo facilius perſuaderet, ſe viam nullius vnquam veſtigiis ſignatam ingredi, in quo ſi aliis fucum non fecit, ſibi fecit certiſſime. Sunt praeterea alii, qui, cum animaduerterunt, vanis inutilibusque libris multos ita ſe tradere, vt neceſſaria magis prae iis illis ſordeant, diuinarum autem litterarum ſcrutationem in minimis ponant, iſtud aegre ferentes in contrarium, communi mortalium vitio, currunt, & omnium ſine diſcrimine librorum, ſi a ſacra ſcriptura diſceſſeris, lectionem damnant. De Ioanne Matthaeo, Monaſterienſium Anabaptiſtarum capite, eiusmodi quid refert Ioannes Sleidanus, (y) eum videlicet ſanxiſſe, ne quis vllum deinceps librum haberet, aut ſibi ſeruaret, praeter S. Biblia, reliquos omnes, ita pergit Sleidanus, in publicum deferri iuſſit, (quorum pretium viginti millium aureorum aeſtimabatur) flam-

(x) *vid. Tob. Andreae method. Carteſ. art. I. p. 835.*
(y) *de ſtatu relig. lib. X. p. 251.*

flammisque consumpsit. De Martino Luthero nostro, per foedam & ridiculam calumniam, itidem eiusmodi quid refert Aegidius Camartus, (z) eum Philippo Melanchthoni, & Andreae Caroloſtadio, auctorem fuisse, vt, abiectis scriptoribus ceteris, diuinas tantum litteras voluerent reuoluerentque. Scimus, nec diffitemur, diuinum virum longe maius pretium sacris litteris, quam Romanensium scriptorum nugis statuisse, bonas autem litteras librosque, quibus ad earum interpretationem adferri quid potest, adeo non reiecisse, vt haud semel serio commendarit. Proinde qui de Camarto hoc refert vir doctus Guilielmus Saldenus, (a) refellit quoque & omnes rectiora verioraque docet. Alios tamen tum Gathakerus, (b) tum Martinus Ruarus (c) memorant, quibus serio constitutum fuerit, omnes alios libros, praeter scripturam sacram, doctorum manibus excutere. Quorum institutum veniam quidem & excusationem promeretur, cum ex iusta, ob hominum libris abutentium prauitatem, indignatione profectum videatur: recipiendum tamen minime est, cum noxium valde

(z) *In Elia Thisbite cap. IX. §. XII.* (a) *de libris varioque eorum vsu ac abusu lib. I. cap. VI. p. 205.* (b) *in praefat. in M. Aurelii Antonini librum de se ipso ad se ipsum.* (c) *ep. III. p. 15.*

de sit, rationique aduersum. Detestor atque execror illorum improbitatem, qui diuinas litteras aliorum librorum lectioni postponunt: scio tamen, hinc quoque praesidium aliquod, ad ipsam scripturam sacram felicius explicandam, parari posse. Vnde extincta, quod, si horum consilio res litteraria administraretur, euenire necesse esset, bonarum artium luce, & barbarie inculta mentes mortalium occupante, nihil aliud expectandum, quam vt ipsa scriptura sacra ceu non intellecta, itidem parum tandem curetur, hominibusque eripiatur. Adeo semper nocet, quod nimium est. Humanae autem naturae prauitas potius deploranda, quae, nisi diuina ope illi medela afferatur, adeo nec ignorantiam, nec eruditionem pati potest, vt vtrinque plurima potius incommoda, quibus se ipsam induit, accipiat.

§. VI. Praeclare autem Seneca: (d) *non refert, quam multos libros possideas, sed quam bonos.* Obruimur fere multitudine librorum; vnde selectus necessario instituendus, ne lectio vagum quid & instabile habeat. Non id nunc ago, vt definiam, qui libri boni sint, quiue necessarii, & quinam prae ceteris cuique legendi, nec nostri instituti hoc fert ratio. Alii iam pridem illud executi sunt. Saltem, quicquid ad mores rite for-

(d) *ep. XLV. p. 599. add. ep. II. p. 521.*

Digitized by Google

formandos hic pertinet, non temere praetermittam. Primo ergo loco id moneo, eos libros iure optimos censeri, quibus non tantum intellectus rerum cognitione imbuitur, sed voluntas etiam a vitiis purgatur, emendaturue. Gregorius Nazianzenus (e) a librorum Basilii lectione numquam se recessisse ait, vt non ex iis in virtute se profeciſſe animaduerteret. *Cum orationes eas*, inquit, *quas de moribus & bene viuendi ratione scripsit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templumque Dei capax efficior.* Quid ergo de illis censendum, qui ad mores corrigendos non tantum non prosunt, sed corrumpunt eos insuper, mentemque vt venenum inficiunt! Impura impurorum hominum scripta innuo, versus fescenninos, carmina priapaea, & quidquid ad perdendas bonas mentes, infernalis genii afflatu, concitata poëtarum quorundam, improborumque hominum libido, effundere & comminisci solet. Et huiusmodi tamen libri non tantum proponuntur adolescentibus ad legendum, sed & commendantur. Et recte quidem hoc fieri, Leonhardus Aretinus (f) contendit, cuius num maior in asserendo impudentia, quam in probando, quod asseruerat, stultitia fuerit, dubium mihi videtur. Ita vero ille: *Ast nolunt*, inquit, *ista miscere,*

(e) *Orat. XX. in laudem Basil. p. 637.* (f) *de studiis & litteris p. 488. seqq.*

miſceri, dicet mihi ſeuerus quidam Cato, potiusque relinquenda bona malorum metu, quam ſpe bonorum mala incurrant; itaque nec ipſe legam poetas nec aliis, vt legant, permittam: Aſt Plato & Ariſtoteles legebant, quibus ſi te aut grauitate morum, aut intelligentia rerum anteponas, nullo modo feram. An tute aliquid diſcernere putas, quod illi non viderint? Chriſtianus, inquit, ſum, at illi ſuo more vixerunt: quaſi vero honeſtas grauitasque morum non tunc eadem fuerit, quae nunc eſt, aut quaſi non haec ipſa, vel etiam deteriora, in ſacris reperiantur litteris? Sed piget cetera addere, febriculoſi hominis deliria, non impia tantum, ſed & tam inepta & abſona, vt male collocaretur, quod in illis refutandis conſumeretur tempus. Ceterum non excludo illorum quoque, quos Moraliſtas vocant, commentationes, in quibus de matrimonio & caſtitate non raro ita praecipitur, vt nefanda crimina data opera docere voluiſſe videantur. Quo nomine Thomae Sanchezii de matrimonio opus, ipſorum Doctorum Sorbonicorum iudicio damnatum, frigide ſatis excuſatur a Theophilo Raynaudo. (g Andream Naugerium, Paulus Iouius (h) refert, Valerii Martialis ſcriptis ob ſpurcitiem adeo infeſtum fuiſſe, *vt quotannis ſtato die Muſis dicato, multa eius volumina*

(g) *in Erotem. de bonis & malis libris erotem. VII. n. 55.* (h) *in elog. viror. illuſtr. p. 232.*

na tanquam impura cum execratione Vulcano dicauerit. Quam vellem, vt omnes eiusmodi zelus incenderet, vt omnia ista lasciuiae & libidinis monumenta in puluerem redacta, oculis mentibusque hominum tandem plane subducerentur. Nec possent pulchrius vllum aut perennius nomini suo tropaevm statuere, quod seruatorum tot innocentium iuuenum gloriam, apud posteros quoque illis conciliaret. Ast latinae linguae cultui forte inseruiunt eiusmodi scripta, acumineque, & ingenio, omnes in sui admirationem conuertunt. Certe Martialem hoc nomine laudat Iosephus Scaliger, (i) a quo tamen, quae soede & obscoene dicta sunt, ea se praetermittere profitetur. *Ne Martialem quidem,* inquit, *transferre libet ad meliora: multa sunt eius epigrammata diuina, in quibus est sermonis castitas & argumenti species luculenta. Alia foeda ne legerim, tantum abest, vt ad censuram vocem.* Alibi vero idem Scaliger, de Catullo, Tibullo atque Propertio verba faciens, optat quidem, vt pudoris rationem habuissent, ast ex hisce tamen fontibus hauriendam latinitatem, adeoque horum lectione, quos latini sermonis nitor delectat, vix supersedere posse. In quo tamen eum & omnes, qui ita sentiunt, ratio maximopere fallit. Perinde ac si non alii minus impuri, minusque obscoeni essent,

(i) *lib. VI. Poet. p. 519.*

ſent, ex quibus Romani ſermonis cultus atque nitor peti poſſet. *Si animo circumſpiciatis*, inquit Franciſcus Sacchinus, (k) *magiſtros, ex quibus latine diſcimus, quacunque agendum de re ſit, exſtare duces minime virtuti contrarios intelligetis.* Subiicitque idem ingentem numerum auctorum, ex quibus ſermo latinus caſtus emendatusque hauriri poſſit, vt tamen periculum, corrumpendorum per eorum lectionem morum, neutiquam ſit ſubeundum. Nec diſplicet conſilium, quod poſt alios Io. Schefferus (l) ſuppeditauit, vt ex iis ſcriptoribus, qui obſcoena quandoque admiſcent, ſeligantur, ſeorſimque publicentur, quae a iuuentute citra damnum legi poſſunt. Quicquid vero huius demum ſit, virtutis ſemper potior eſſe ratio debet, quam ſermonis. Quis felicior reputandus ſapientiorque, qui pure & emendate loquitur, impuris cum ſit moribus, an qui vitam moresque emendat ſedulo, vtut de linguae ornatu non ſit adeo ſollicitus? Miſeri homines! quos ſuae ſalutis cura tam parum tangit, vt in verborum aut floſculorum quorundam gratiam eam adducere in diſcrimen non dubitent. Aſt nul-

(k) *in orat. de vitanda librorum moribus noxiorum lectione, ſubiuncta eius libello de ratione libros cum profectu legendi. p. 118.* (l) *de generoſi nobilisque informatione litteraria p. 553.*

lum forte periculum inde metuendum? Quin audiant ipsum Aristotelem, (m) qui istos conticescere iubet: *cum enim legislator*, inquit, *verborum obscoenitatem, ex ciuitate, si quid aliud eiicere debeat*, μάλιστα μὲν ἂν ἐκ τῶν νέων, ὅπως μήτε λέγωσι, μήτε ἀκούωσι μηδὲν τοιοῦτον, *tum maxime a puerorum auribus oculisque remouere, ne quid tale vel loquantur, vel audiant*, addit rationem: ἐκ τῦ γὰρ εὐχερῶς λέγειν ὀτιοῦν τῶν αἰσχρῶν γίνεται καὶ τὸ πράττειν συνεγγύς, *ex turpiter enim loquendi licentia, sequitur & turpiter facere.* (n) Nec enim per corruptae nostrae naturae indolem secus temere euenire potest. Qua de re si quis dubitet, eum exempla quoque virorum, huiusmodi librorum lectione a virtutis semita actorum in praeceps, publicisque scriptis tandem alios, vt cautius hic se gerant admonentium, (o) rectiora facile edocere possunt. Prorumpunt vtique magno impetu vel leuiter irritati praui affectus, hique rursus turpissima crimina progignunt. Irritari autem acrius vehementiusque nequeunt, quam librorum obscoenorum lectione, ea, quibus concitantur, animo cogitationibusque offerentium

(m) *lib. VII. Polit. cap. XVII.* (n) *add. Edmundus Richerius in obstetrice animorum p. 80. 81.*

(o) *vid. Hadriani Beuerlandii de fornicatione cauenda admonitio, siue adhortatio ad pudicitiam & castitatem.*

tium. Atque haec ethnicis quoque explorata fuere. Quantum vero christiani nominis est dedecus, inter eos, qui illud praeferunt, reperiri, qui haec sibi non persuadeant, immemores monitorum ipsius Servatoris, Paulique apostoli, quibus vt non tantum obscoenos, sed & otiosos sermones cane & angue peius fugiamus, serio nos obtestantur. Procul itaque & Romanenses, quas vocant, fabulae, facessant: (p) quae vtplurimum obscoenis & libidinosis narrationibus sunt refertae, &, cum insuper a magis necessariis incautos auocent, certissimamque bonis mentibus pestem afferant, haud immerito ex litterato orbe proscribuntur. Nugas scilicet & otiosorum hominum commenta legere iuuat, quia vtilia & profutura, quae legamus, desunt! Lepidi autem prorsus sunt, qui prudentiae ciuili eas inseruire contendunt: quod tum demum discutere operae pretium fuerit, cum graues & elegantissimi, quibus abundamus historici, hisce ineptiarum nundinatoribus locum fecerint.

§. VII. Ast sunt & alii bonis moribus inimici libri, quos, eundo per rerum capita, indicabimus. Magici inter eos merito fa-

(p) *vid. Molinaeus lib. III. de tranquill. animae cap. III. p. 351. add. Lipsius in notis ad lib. I. Polit. cap. X.*

miliam ducunt, qui quo acrius interdum inconsultam quorundam curiositatem irritant, eo diligentius oculis animisque iuuenum subtrahendi sunt. Qui tempore Pauli apostoli περίεργα sectati fuerant, (q) ad saniorem mentem reuocati, libros suos contulerunt, cunctosque coram omnibus combusserunt. Hi numquam priori vitae genere tantum sibi inusserunt dedecus, vt non suo merito posteriori maiorem gloriam apud omnes sint consecuti: simul exemplum nobis praebuerunt, quam sedulo remouenda sint, quae aut commissi sceleris refricare nobis memoriam, aut alios pellicere ad similia queant. Quam male autem sibi consulant, qui, saniorib⁹ consiliis locum concedere renuentes, curiositati inconsultae frena laxant, vel Henrici Cornelii Agrippae (r) exemplo constat, qui de se ipso profitetur: *permultum temporis, & rerum in his vanitatibus olim contriui: tandem hoc profeci, quod sciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie deborrari. Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, sed in illusione daemonum secundum operationem malorum spirituum, diuinare ac prophetare praesumunt, & per vanitates magicas, exorcismos, incantationes, amatoria, agagina, & cetera opera daemonica, & idololatriae fraudes exercentes, praestigia, & phan-*

(q) *Actor. XIX, 8.* (r) *de incertitud. ac vanit. scientiarum cap. XLVIII. p. 182.*

phantaſmata oſtentantes, mox ceſſantia miracula ſeſe operari iactant, omnes hi cum Iamne & Mambre & Simone Mago aeternis ignibus cruciandi deſtinabuntur. Non temere tamen vt magici damnandi ſunt libri, qui profundiora quaedam naturae arcana exponunt, vulgique excedere captum videntur. Quod vt moneam, innocentium quorundam virorum fatum me adducit, qui, quod plus ceteris in rerum naturalium perſcrutatione ſaperent, magiae ſuſpicionem apud imperitos ſubierunt: a qua tamen nonnullos peculiari commentatione feliciter liberauit Gabriel Naudaeus. (s) De eiusmodi ſcriptis, quibus aut aperte, aut per cuniculos & ambages, ad atheiſmum via ſternitur, idem cenſendum. Quam iuuaret multos, illa non legiſſe; non profecto quod quicquam, quod momentum trahat, proferunt, cum vtplurimum mediocriter docti, quas offundere intellectui iſti homines annituntur nebulas, diſcutere facile poſſint: ſed quod pronior ad deteriora mens mortalium facilius ea admittat, quae nouitatis quadam ſpecie illis abblandiuntur. Sceptici quoque omnes, modo reuera ſceptici ſint, huc pertinent, quippe per quos ſi ſtaret, religio omnis morumque probitas, & honeſtas, iam pridem ex orbe vniuerſo eſſet proſcripta. Quod

(s) *de viris falſo magiae ſuſpectis.*

qui accuratius ſecum expenderunt, illico in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ſcepticiſmum eſſe ſentinam omnium malorum. (t) Quod omnino negari non poteſt, modo illos, qui, ad ſtultam dogmaticorum philoſophorum fiduciam exagitandam, modeſte de quibusdam rebus dubitant, non ſtatim in hunc cenſum referas. Illis enim improbus ille ſcepticiſmus non magis exprobari poteſt, quam veteribus chriſtianis, innocentiſſimis mortalium, praeter alia ſcelera, atheiſmus quoque obiectus fuit, (u) quemadmodum & recentiori aetate plurimi docti & probi viri perperam vt athei traducti fuerunt, & etiamnum hodie traducuntur, quorum innocentiae ſtrenue vindicandae vt nonnulli cordati viri non defuerunt, ita nec deerunt in poſterum, qui diligentius adhuc & accuratius eodem munere ſint perfuncturi.

§. VIII. Quaeſitum etiam inter viros doctos fuit, num omnino fas ſit, hominem chriſtianum ethnicorum libros voluere? Qui id abnuunt, Hieronymi (x) coram tribu-

(t) *vid. Petrus de Villemandy in Scepticiſmo debellato cap. II.* (u) *vid. Athenagoras in legat. pro Chriſtianis p. 30.* (x) *vid. Hieronymus ep. ad Euſtoch. T. 1. opp. f. 76. add. Io. Conradus Dieterius in diatribe de vſu & abuſu ſcriptor. ſecular. p. 9.*

bunali diuino, ob assiduam Ciceronis lectionem vapulantis, exemplo, lippis etiam & tonsoribus notō, vtuntur. Prouocant iidem ad experientiam, qua constet, profanos vtplurimum induere mores, quos profanorum scriptorum lectio occupat. Obiiciunt Bembos, Politianos, Bonamicos, Scioppios, profanorum scriptorum improbo amore ita captos, vt diuinae litterae fere illis sorderent. Hos, inquiunt, inde retulerunt fructus, vt odis Pindaricis maius statuerent pretium, quam psalmis Dauidis. Haec, vt non contemnenda prorsus sunt, sed vt caute hic nos geramus, merito nos commonefaciant, ita vt quoslibet scriptores ethnicos abiiciant, nondum a prudentioribus impetrabunt. De iis, qui obscœna, turpia, bonisque moribus inimica tradunt, non contendo: hos iam supra procul facessere iussi: sed de illis, qui aut historias narrant, aut ritus antiquos exponunt, aut de philosophia praecipiunt, vel ad linguas addiscendas viam muniunt, nobis sermo est. Ad hos qui accedit, eum moribus per christianae religionis sacra emendatis praeditum esse volo, vt discernere quodammodo noxia a profuturis queat, sciatque, quousque hisce immorari, quando referre pedem deceat. Qui enim promiscue omnes ad quaelibet studia librorum-

que vtut per ſe innoxiorum lectionem admittunt, parum profecto penſi habent, rebus innocentiſſimis ad ſuam perniciem abvti hominum prauitatem poſſe. Sed qui, ita inſtructus & praemunitus, ad librorum etiam ab ethnicis ſcriptorum lectionem ſe confert, tantum abeſt, vt illi vllum inde immineat periculum, vt maximum percipere vſum queat. Quod cum Bembus, Politianus, aliique negligunt, mirum non eſt, quod quandoque in praeceps agantur, aſt ipſorum, non librorum culpa hoc fieri, manifeſtum eſt. Emendatae autem purgataeque vitae homines, id quod ceteroquin difficile eſt, modum ſeruare hic norunt, quod ceteris non aeque pronum eſt. Quod autem ad Hieronymum attinet, ſi vera ſunt, quae narrat, & ipſum limites, quos chriſtiani hominis officium hic ſtatuit, migraſſe arbitror, nec aliud quid ipſe innuit. Aſt ſi vera, inquam, ſunt. Eraſmus (y) enim fabulam vocat, quicquid huius narratur. Et videtur ſane Hieronymus ipſe non ſatis ſibi conſtare, cum mox ſomnium dicat, quod alibi ſomnium fuiſſe negat. Ceterum caute ethnicos quosuis legendos, & per ſe conſtat, & peculiari opere Iulius Crispus docuit. Vel philoſophi documento ſunt, quorum placita ſi ſecurius, quam, decet, aſſuman-

(y) *in vita Hieronymi.*

mantur, magnam christianae religioni clademinde inferri necesse est. Experta id iam est vetus ecclesia: hinc illa Tertulliani querela: (z) *Viderint, qui Stoicum, Platonicum, & dialecticum christianismum protulerunt: nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post euangelium.* Non dicam de aliis, ne sollicite multa conquisiuisse videar, nonne inconsulta & intempestiua librorum Platonis lectio multos in transuorsum egit? Possem, si opus esset, demonstrare, Gnosticorum, Valentinianorum, Manichaeorum, Marcionitarum, aliorumque foedos errores, si vera sunt, quae de illis narrantur, ex Platonicae philosophiae fonte promanasse. Multi doctores veteres, coeco Platonis amore abrepti, eiusque placitis nimium imbuti, talia effati sunt, quae in erroris suspicionem haud immerito eos adducunt. Et quid mirum? cum, perperam licet, iudicarent, a Platonis philosophia non multum christianam distare religionem. Qua in sententia ipsum Iustinum Martyrem, (a) aliosque fuisse, constat. Quin nonnullos Platonis amor ita fascinauit, vt, ipsum Christum sua ex Platone hausisse, asserere non erubesce-

(z) *de praescript. aduersus haeret. cap. III.* (a) *Apol. I. pro Christ. p. 40. add. Augustinus T. II. ep. LIII. p. 173. seqq. conf. quoque Lud. Coelius Rhodiginus lect. antiqu. lib. XXI. cap. XII.*

ſcerent. Quorum veſaniam peculiari libro, vt par erat, compreſſit Mediolanenſium antiſtes, Ambroſius. Teſtis huius rei eſt Auguſtinus: (b) *Quartam noſter Ambroſius quaeſtionem ſoluit, calumniantibus, Platonis lectoribus & dilectoribus: qui dicere auſi ſunt, omnes Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias, quas mirari & praedicare coguntur, de Platonis libris didiciſſe, quoniam longe ante humanum aduentum Domini Platonem fuiſſe, negari non poteſt.*

§. IX. Si ergo animum rite praemunitum, ſuique non immemorem, nobiscum afferamus, profanorum ſcriptorum lectio adeo contemnenda non eſt, vt, ſi ſobrie & pie inſtituatur, omnes quidem, maxime tamen illi quoque, qui diuinis litteris operantur, inſignem inde percipere fructum queant. Non is ſum, qui diuinarum litterarum cultoribus neceſſariam horum lectionem dicam, quod ineptum foret: vtilem ſaltem illis eſſe contendo, quorum ratio, vt in hisce ſtudiis aliquantiſper commorentur, permittit. Atque id is demum abnuet, qui ſine hiſtoriarum antiquorumque rituum, vt & linguarum peritia, partim ab Ethnicis, partim a Iudaeis, ſi fontes ſpectes, petenda, cuncta plana ſatis, & intellectu facilia eſſe autumaverit. Iuuat quoque interdum miſeram hominum, qui ſapientiae regnum ſibi vindicant, ſortem cum Chriſtianorum contendere fe-

(b) *de doctr. chriſt. cap. XXVIII.*

felicitate, vt ad diuinam benignitatem depraedicandam eo acrioribus ſtimulis concitemur. Extat Oratio Baſilii Magni, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων, *quomodo ex ſcriptis Gentilium vtilitatem capere debeamus*, qua ex inſtituto id egit, quod hic volumus. *Siquidem*, inquit (c) ibi inter alia, *aliqua doctrinarum mutua eſt affinitas, admodum vtilis erit earum* (ſecularium litterarum) *cognitio: ſin minus, attamen inter ſe contendere non parum confert ad confirmationem potioris. Sed & ſi vtramque doctrinam alicui rei adſimilaueris, commodam forte imaginem habebis. Sane quemadmodum plantae virtus propria eſt, maturo fructu turgere; addunt autem aliquid decoris folia ramis circumiecta: ita animae praecipuus quidem fructus eſt veritas,* (reuelata) *non tamen ingratum eſt, externam ſapientiam cingere & circumponi inſtar foliorum, cum tegumentum, tum ſpeciem non inanem fructui praebentium.* Praeclare rem omnem effert, & id, quod primo, quodque ſecundo loco tractari debeat, deſignat. Falluntur vtique turpiter, qui tum quorumuis, tum praecipue ethnicorum ſcriptorum lectione ita delectantur, vt ad diuinam gloriam veritatisque coeleſtis vlteriorem inueſtigationem, commendationemque, & hinc profluentem morum emendationem cuncta

(c) *p. 539.* non

non referant. Quicquid igitur hinc petitur, ornamentum ſaltem eſt, aut inſtrumentum, fructum ſola ſcriptura ſacra nobis exhibet. Et ita capiendum, quod Gregorius Nazianzenus ait: (d) *Illud inter omnes ſanae mentis homines conſtare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium locum tenere, non quidem hanc ſolum nobiliorem & noſtratem, ſed iſtam quoque externam, quam multi chriſtiani, vt inſidioſam & periculoſam, & a Deo auertentem repudiant.* Hisce ſuffragatur Auguſtinus: (e) *Sicut Aegyptii non ſolum idola habebant & onera grauia, quae populus Iſrael deteſtaretur & fugeret, ſed etiam vaſa atque ornamenta de auro & argento, & veſtem, quae ille populus exiens de Aegypto ſibi potius, tanquam ad vſum meliorem, clanculo vindicauit: ſic doctrinae omnes gentilium non ſolum ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, graveſque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quae vnusquisque noſtrum duce Chriſto, de ſocietate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare, ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, &c.* Prouocat deinde Auguſtinus ad exempla: *Quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nonne adſpicimus, quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor ſuauiſſimus, & martyr beatiſſimus: quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de vivis*

(d) *l. ſupra cit.* (e) *de doctr. chriſt. lib. II. cap. XI.*

vis taceam? Posſem idem Clementis Alexandrini, (f) Hieronymi, (g) Socratis, (h) Lactantii, (i) aliorumque teſtimoniis comprobare, ſi id nunc agerem, & non alii iam pridem id praeſtitiſſent. Fateor tamen, plerosque patrum eodem morbo laboraſſe, quo hodie plurimi laborant, & ſecularium litterarum ſtudiis ethnicorumque lectioni, plus quam chriſtianum decebat, tribuiſſe, vti nonnullis bene obſeruatum eſt.

§. X. Tertium medium proficiendi in litteris, ingeniumque rite excolendi, eſt meditatio. Vana & inutilis ſine ea omnis eſt lectio. Quin meditationi omnia tribuit illud Periandri oraculum: μελέτη τὸ πᾶν. Vti ergo figuli, celerrima rotae & manus concitatione, in diſſimiles & prope infinitas imagines mollioris argillae maſſam transmutant: ſimili modo vniuerſa, quae ex quotidianae eruditionis, conſuetudinis & lectionis tritura cumulamus, in varios vſus acriter ratiocinando commutare oportet, paria paribus, contraria contrariis, praeterita praeſentibus opponendo, rerumque omnium cauſas & varios euentus, accurate explorando. Eleganter hunc in modum hac de re diſſerit

(f) *lib. I. ſtrom. p. 41.* (g) *epiſt. XXXIV.* (h) *H. E. lib. XIII. cap. XIV.* (i) *Diu. Inſt. lib. VII. cap. VII. add. Philippus Melanchthon in praefat. T. II. declam. it. Io. a Wowern de polymathia cap. XXVI. n. 4.*

ſerit Edmundus Richerius. (k) Nimirum nec ad corporis robur firmamque valetudinem, cibos multos mandiſſe, neque ad magnam eruditionem multa legiſſe, quicquam conferr, ſi haec multa cogitatione in ſuccum ſanguinemque non conuertantur. Quin obeſt nonnunquam lectio, quae meditatione non digeritur, & quo minus veritatem, quam omnes eruditi vt finem ſcopumque praefixum ſibi habent, & ad quam contendunt, aſſequamur, obſtat. Contingit quippe, vt, quo magis rerum varietate memoria repleatur, eo magis imaginandi vis ipſeque intellectus hebeſcat, & plane iners fiat, vt, quando etiam velit, res arduas atque difficiles iuſta meditatione proſequi, inque intimos receſſus penetrare, nequeat. Obſtat deinde & copia rerum, menti ex intempeſtiua lectione ſine ordine obuerſantium, quas ita, vt decet, euoluere & explicare, non cuiuis conceſſum eſt. Accedunt praeiudicatae opiniones, quibus inficiuntur, quibus lectio vtramque in eruditione paginam facit, nec accurata meditatione temperatur. Namque, vt alia taceam, aliorum plerumque, praeſertim veterum auctoritati, plus quam decebat, deferunt, quod rationum

(k) *in obſtetrice animor. cap. IX. p. 248. add. Gerhardus Io. Voſſius de imitat. poët. cap. III. §. V. & cap. V. per integr.*

num momentis deſtituti, teſtimonia & documenta tamen ſcriptorum, quibus aſſertis quibuslibet fidem faciant, numquam deſint. Vnde tandem eo deueniunt, vt non tam de rebus, quam doctorum virorum ſententiis ſint ſolliciti, omneque tempus in eo ridicule conſumant, vt reſciſcant, quid Plato, quid Ariſtoteles, quid Epicurus ſenſerit. Quod aut ob monumentorum defectum, aut ſermonis, quo iſti vſi ſunt, obſcuritatem, aut fruſtra omnino, aut aeque difficulter exquiritur, quam rerum ipſarum natura indagatur. Interim ſi tandem quibusdam tam felicibus eſſe liceat, vt, quid alii ſtatuerint, exploratum habeant, ipſi quidem, a veritate adhuc vtplurimum longiſſime remoti; nihil aliud ſciunt, quam viros quosdam doctos ita de re iſta exiſtimaſſe. Haec & alia mala illos comitantur, qui, meditatione neglecta, tantum ex aliis ſapere pulcrum ducunt. Quod cum abnuere nemo queat, mirari quis poſſit, qui tandem fiat, vt nihilo ſecius quotidie hic peccetur, & plerique eruditorum ad hunc ſcopulum naufragium faciant? Malebranchius (l) varias eius rei excogitauit rationes, quibus praeclare fontem huius mali mihi detexiſſe videtur. Vtique enim, vt recte iudicat, ignauia ſaepius obſtat, efficitque, vt mul-

(l) *de inquir. verit. lib. II. part. II. cap. IV.*

Digitized by Google

multi meditandi laborem ſubterfugiant. Accedit difficultas meditationis, praeſertim apud illos, qui a tenera aetate mentem ſuam ad meditandum, & promte ratiocinandum, non aſſuefecerunt. Pauciſſimi etiam perſpectum habent, quam neceſſarium ſit, meditando ad prima principia cuncta deducere, fundamentisque probe iactis, cetera deinceps ſuperſtruere; plerique contra veroſimili & perfunctoria rerum cognitione contenti, ibi ſubſiſtunt, & in profundiora, & a ſenſibus remotiora, ſe immittere renuunt. Nonnullos etiam vana ambitio in transuorſum agit. Nihil aliud nempe in votis habent, quam vt in eruditorum referantur cenſum, vt viri πολυμαθέστατοι & librorum helluones audiant. Hoc facilius lectione obtinent, per quam breui tempotis ſpatio talia congerunt, quae ſucum imperitioribus faciant. Sunt &, qui inconſulta antiquitatis veneratione abrepti, a regia via aberrant. Perſuadent ſibi, veteres longe acutius vidiſſe recentioribus, adeoque quicquid illi dixerint, aſſeruerintque, hoc ſine contradictione eſſe comprobandum. Vnde non alia inueſtigandi veritatem via ex illorum ſententia eſſe poteſt, quam aſſidua librorum lectio, qua in ſententiam veterum manuducamur. Perperam quidem. Enimuero legendi ſunt veteres, nec contemnendi recen-

centiores: sed vtrique semper ad rectae rationis normam serio sunt exigendi.

§. XI. Hoc vnicum supereſt, vt ingenium probe exculturus ordine quoque procedat. Hunc qui negligit, hoc demum agit, vt post prolixas ambages, & infinitos errores, intelligat, aliam sibi viam ingrediendam fuisse. Quare & Galenus, (m) methodum ac ordinem adolescentibus ad litterarum studia accessuris cumprimis quoque commendauit, exemplo naturae, quae nihil absque ordine meditata est, vel effecit vnquam. Propterea Plato, obseruante Gabriele Naudaeo, (n) ordinem esse dicebat *scientiarum ac artium omnium formam*: & Socrates se eius libenter, *tanquam alicuius Dei, vestigia* secuturum asseruit, *qui recte possit distribuere. Imo vero*, ita pergit Naudaeus, *quemadmodum nisi debito tempore occationes, repastinationesue, & tertiationes (quae methodus est agricolarum) campis adferantur, nisi paululum interquiescere permittantur, caelique diuersas tempestates opportune excipiant, quantumcunque sua natura fertiles sint & vliginosi, ipsi tamen pro frumento rubos, pro siligine sentes, pro tritici deliciis infelix lolium & quisquilias proferent: pari modo iuuenis animus nihil vnquam egregium in studiis praestare poterit, nisi prius*

(m) *loc. supra cit.* (n) *in syntagm. de studio liberali cap. VII. p. 588.*

mentem ſuam a confuſione liberet, & medicorum inſtar (qui liquida ſolidis, & coctu facilia in ſtomachum praemittunt) a facilioribus incipiendo, viam ſibi ad difficiliora muniat, omnia ſuauiter diſponens, artesque & ſcientias per partes addiſcens, absque vlla aberratione. Intellexerunt illud puto viri eruditi, qui, certamine velut inito, de methodo & ratione diſcendi commentati ſunt. (o) Quorum nimia profecto laboramus copia, vt, ſi quis omnes euoluere prius velit, quam ad rem ipſam ſe accingeret, illi longior futura ſit, quod ille ait, μέθοδος, quam ὁδὸς. Nos itaque miſſis, quae alii hac de re commentati ſunt, quorum nunc nec adprobare, nec vituperare conſilia animus eſt, paucas regulas, a noſtro inſtituto non alienas, magnam, qua ordinem, qua rem ipſam vtilitatem, vt ſperamus, omnibus allaturas ſubnectemus, iisque noſtrae tractationi imponemus finem.

Prima haec ſit: *Rite in litteris profecturo ordiendum eſt ab emendatione voluntatis.* Cauſſa ex ſupra allatis patet. Longe felicius non tantum intellectus vitia corriguntur, emendata voluntate; ſed ſi huius correctio intermittatur, aut differatur, ipſa rerum variarum cognitio deinceps ſaepius obſtat, quo minus vitia voluntatis aut perſpiciantur, aut pro vitiis agnoſcantur, aut

(o) *vid. Morhof. in polyhiſt. litterar. lib. II. cap. VII. per integr.*

aut facile voluntas ab iis repurgari possit. Atque hoc est, quod regum omnium sapientissimus innuit, (p) quando, *timorem Domini initium sapientiae esse*, dicit.

Secunda regula: *Methodus breuissima non semper est optima.* Delectamur studiorum compendiis, nec immerito, si maximis commodis nos non priuent. Ineptus esset, qui longiori via ad vrbem, quam petit, contendere mallet, quam breuiori. Ast si in hac negligenda multa & praetermittenda essent, quae vsui esse possent, reprehendi iure a nemine posset, si longiorem illi praeferret. Ignauia, vel quiduis potius, quam prudentia dicenda est, quae rerum studiorumque compendia ita sectatur, vt, quae inde sequantur incommoda, parum pensi habeat.

Reg. tertia: *Nimia festinatio maximopere nocet.* Canes festinantes coecos parere catulos, iam pridem sapientum effatum fuit. Extinguitur nimirum per eam haud raro vis ingenii, & suffocatur, vt tum, cum maxime requiritur, laboribus perferendis pares esse nequeant. Haud raro &, quod peregrinatoribus nimium festinantibus euenire solet, praeteruolant, quae addiscenda praeceteris erant. Taceo, quod nimia festina-

(p) *Prouerb. l. 7. add. Iob. XXVIII. 28. & Ps. CXI. 10.*

tio non eum finem, ad quem collineare vnice debebamus, nobis constitutum esse, sed aut ambitione, aut simili morbo mentem laborare, arguat. Accedit, quod quae prima vice ardua & inaccessa videntur, si insistamus, iterumque & saepius ad ea redeamus, plana, peruia atque facilia tandem euadant. Quod enim Crassus ille apud Ciceronem (q) autumauit: *nisi quod quisque cito potuerit, nunquam omnino posse peruiscere* falsum est, & experientiae repugnat, & rectissime peculiari oratione confutatur a Dionysio Petauio. (r)

Reg. quarta: *Obscuris non est inhaerendum.* Falluntur enim, qui putant, ea planis & perspicuis praestare. Nimirum, vt nauigantes scopulos, & pedestri itinere progredientes loca salebrosa & praecipitia, summo studio euitant: ita & iis, qui litteris incumbunt, committendum non est, vt minori vti in rebus suis prudentia videantur. Idque eo magis, quod experientia doceat, multos quotidie ad eiusmodi scopulos allidi, & sperato fine excidere. Obscura namque reconditae sapientiae speciem mentiuntur, ideoque incautis & imperitis facile imponunt. Nonnullos obscuro dicendi genere magnopere delectari vi-

(q) *lib. III. de orat. n. XXIV. p. 279.* (r) *orat. IX. p. 194. seq.*

Digitized by Google

videas, non aliam ob cauſam, quam vt magnae & reconditae eruditionis opinionem aliis iniiciant. Id quidem callide, ſed imprudenter illi, qui vana iſta ſpecie eruditionis capti, praetermiſſis claris & perſpicuis, obſcura demum ac inacceſſa, quae rimentur & perſcrutentur aucupantur. Quo ipſo operam ludunt, aut ſi tandem multo ſudore tegumenta & inuolucra remoueant, nihil aliud inueniunt, quam quae longe facilius, & citra ambages, ſi per plana ire volupe fuiſſet, addiſcere potuiſſent.

Reg. quinta: *Nec rara & curioſa praeferenda ſunt quotidianis, & vbique obuiis.* Eſt quippe hoc mortalium vitium, vt ante oculos poſita non curent, remota ſemper concupiſcant. In litterarum ſtudiis autem ingens plerisque hinc obiicitur impedimentum. Scopulus hic in iſto itinere non minori diligentia declinandus, quam prior. Sin quis incautus & praeceps naturae pravitatem ſequatur, cum Phrygibus tandem ſero ſapiet, intelligetque, in magno eruditionis apparatu rudem ſe imperitumque earum rerum eſſe, quas primo loco, praecipuaque cura, condiſcere oportuiſſet. Perinde iſti homines ſe gerunt, ac delicatuli quidam, ſolidiorem quotidianumque cibum faſtidientes, deliciasque conſectantes, quibus tantum abeſt, vt corpus iu-

ſto robore fulciatur, vt morborum contra variis inſultibus exponatur.

Reg. ſexta: *A minutiis & quaeſtionibus otioſis vbique nobis ſedulo diligenterque temperemus.* Quis enim peregrinatorem, qui ſaepius ſubſiſtit, vt nugis animum paſcat, anilesque narratiunculas auſcultet, laudet? Perinde ac ſi breue admodum ad ſapientiam iter eſſet, quod cuiuis aliud etiam agenti nullo labore emetiri liceret: quod tamen ſapientum omnium confeſſione longum & arduum, & multis circumſeptum difficultatibus eſt, vt illis, qui rite illud conficere cupiunt, friuolis & non neceſſariis neutiquam ſit immorandum.

Reg. ſeptima: *Rationis imbecillitatem & prauitatem vbique agnoſcamus.* Quo magis enim hanc cognitam exploratamque habemus, eo acrioribus ſtimulis ad veram ſapientiam, precibus ſubmiſſis a Numine impetrandam, compellemur. Contra qui rationi nimium, etiam qua res naturales ciuilesque, tribuunt, cum fidenter, quae poſita ſemel a ſe ſunt, tueantur, errorisque ſecuri, ſub examen ea ſerio reuocare detrectent, non tantum grauiſſimis erroribus ſe facile induunt, ſed pertinaciter quoque illis inhaerent, vt iis liberari vix vllo negotio queant. Paucis, qui legi noſtrae obtemperant, modeſti ſunt, nihil temere defendendum ſuſcipiunt, aliorum placita, praeiudicatis opinionibus

nibus vacui, non facile reſpuunt, ſed ea cum ſuis conferunt, & vbique veritati ſincero animi affectu litant. Qui non obtemperant, facile adducuntur, vt ſibi perſuadeant, ſe errare non poſſe, praefidentes ſunt, aliorum opiniones aut ſine examine repudiant, aut praeiudiciis praepediti verum diſcernere a falſo nequeunt, & ita veritatis, quam vbique obtendunt, poſſeſſione excidunt.

Reg. octaua: *Quae intellectum iudiciumque perficiunt, magis conſectanda ſunt, quam quae imaginandi vim iuuant: & haec rurſus praeferenda ſunt illis, quae ad memoriam tantum pertinent.* Sed addendum, niſi ex officio munerisque lege, aut alia ratione, certum genus ſtudiorum colendum tractandumque ſit, quod vnius facultatis vim omnem ſibi vindicet. Ceteroquin ſi mentis facultates inter ſe conferantur, nemo non iudicio primum tribuet locum. *Licet enim,* vt recte Io. Scheffe-rus (s) pronunciat, *& ingenii dotes ſint neceſſariae, & memoriae facultas commendabilis, iudicii tamen vis eſt maxima ad expedienda negotia humana. Quare ceteris quidem poſſumus nonnunquam carere, at iudicio ſi fuerimus deſtitui, quicquid ingenio vel memoria valebimus, incaſſum erit, & turbabit aliquando magis, quam iuuabit.* Manifeſtum praeterea

(s) *de generoſi nobilisque informat. litteraria p. 465.*

eſt, in rerum ſublimium abſtruſarumque, quas circa praeſtantiſſimae artes occupantur, inueſtigatione, intellectus iudiciique vim vnice eminere, quin per imaginationem impediri ſaepius atque corrumpi. Vnde Malebranchius (t) in eo fere totus eſt, vt imaginationem cohibendam coercendamque ſuadeat, ne intellectus lumini officiat. Iubet itaque etiam, vt nobis temperemus a lectione eiusmodi librorum, qui vim iſtam ingenii excitant nimium atque mouent, quam in claſſem Senecam & Tertullianum refert. Quo iure haec ita aſſerantur, diſpicere nunc non licet: id certum, erroribus multis viam praecludere, qui has mentis operationes probe ſecernunt, intellectumque diligentius, quam imaginationem colunt. De memoria res in confeſſo eſt, cum, qui ea ad admirationem vsque valent, aſt digerere quae ea complexi ſunt, redigereque in ordinem, & imaginandi facultate illuſtrata cum aliis communicare neſciunt, eruditorum cenſu non veniant. Similes ſunt animalibus, quae caueis incluſa circumferuntur, omnivmque oculos in ſe conuertunt, ex quibus tamen nemo commodum vllum percipit.

EXER-

(t) *lib. II. part. III. cap. II. ſeqq.*

EXERCITATIO

POLITICO-IVRIS NATVRALIS,

DE

OFFICIO IMPERANTIVM

CIRCA

CONSCRIBENDVM MILITEM,

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XXIV. APRIL. ANNO M D CC.

RESPONDENTE

IO. CONRADO SCHWARTZ,

COBVRG. FRANCO.

Digitized by Google

Σύνοψις.

Bellorum foeditas, §. I. Quousque licita sint, §. II. Ex conscriptione militum moderna, quam multa incommoda secum vehant, demonstratur, §. III. Vitiis, quae militum conscriptionem comitantur, recte medela quaeritur, §. IV. Causae, cur militum conscriptio difficulter procedat, inuestigantur, & prima quidem in effoeminatis moribus subditorum quaeritur, §. V. Neminem bonum militem esse, nisi qui virtuti deditus sit, demonstratur, §. VI. Alia causa inde accersitur, quod stipendia militibus non accurate persolvantur, §. VII. Item, quod aeternae illorum salutis nulla fere habeatur ratio, §. VIII. An imperans ciues ad militiam subeundam cogere possit, praesertim si ciues belli causam iniustam esse credant? §. IX. Num eos cogere possit, si de belli iustitia dubitent? §. X. Cogi quandoque ciues ad arma capienda posse, conceditur, §. XI. Eam vero coactionem, quam in nostris moribus reprehendimus, & humanitati & prudentiae aduersari, probatur, §. XII. Idem porro demonstratur exemplo legum militarium, quas Deus genti Ebraeae dedit, §. XIII. XIV. Ad dubia respondetur, praesertim de imperio eminenti disseritur, §. XV. Remedia, quibus incommoda haec tolli possunt, afferuntur, & primo, num militia

litia lecta praeferenda sit mercenariae? disquiritur, §. XVI. XVII. Incolis & ciuibus, quo pacto ciuitas repleri queat, ostenditur, §. XVIII. Militum conscriptionem non esse differendam ad vltimum necessitatis articulum, §. XIX. Cauendum esse, ne bella nimis sint frequentia, §. XX. Iusta educatione ad belli molestias ferendas subditos esse praeparandos, §. XXI. Nec negligendas exercitationes corporis, §. XXII. Stipendia accuratius militibus esse soluenda, vbi & nonnulla de aerario principis augendo, §. XXIII. Sacrorum quoque diligentius apud milites gerendam esse curam, §. XXIV. Conclusio §. XXV.

§. I.

SI vlla res summae miseriae, quacum humano generi colluctandum est, argumentum praebet, bella sane tam frequentia, vt nulla res historicorum magis fatiget calamos, praebent quam luculentissimum. Etenim quis crederet, posse homines, qui se ratione vti, seque ad societatem colendam, hoc est, humanitatem, patientiam, mansuetudinemque nunquam non demonstrandam, natos esse gloriantur, ad tantum furorem progredi, vt aut ad opes cito transituras, & vera aeternaque haud raro felicitate possessorem priuaturas, acquirendas, aut ad gloriam, vmbram sane cir-

circumuolitantem, aut si quid vmbra leuius est & vilius, consequendam, in alios homines tam immani crudelitate saeuiant, vt victores cetera modesti, & a crudelitatis suspicione procul remoti, haud raro fateri necesse habeant, in deuicta vrbe aut provincia nullum angulum esse, quem non humano sanguine redemissent. Et quis non videt, immo quis tam expers est omnis humanitatis, vt videns non deploret, homines, in id conditos ab immortali Numine, vt eius in hoc orbe circumferrent imaginem, Deo tam charos, vt vel filium suum indignissima quaeque pati, quam hos aeternum miseros esse atque perire maluerit, tam viles a plerisque reputari, vt, ad explendam vnius aut ambitionem, aut auaritiam, multa millia illorum neci tradantur. Et nihilosecius bella suos habent defensores, suos laudatores: habent quoque principes, eousque, vt quot bella quisque gessit, tot aeternae & numquam perituraе gloriae monumenta sibi statuisse ab ineptis adulatoribus praedicetur, de quibus tamen, si forte inter gentiles Senecae (a) esset ferendum iudicium, latronibus annumeraret, quos alii vt heroes, & virtutum commendant concelebrantque exempla.

§. II.

(a) *lib. I. de benef. c. XIII.*

§. II. Non equidem ita ignarus ſum humanae conditionis, vt mihi aut aliis perſuadere audeam, poſſe principem quantumuis ſapientem, quantumuis probum & virtutibus eruditum, omni ſemper abſtinere bello. Tanta enim plerorumque hominum eſt improbitas, vt per eam ſua ſaltem tueri volentibus, nec vlla ratione inhiantibus alienis, quietos atque tranquillos eſſe non liceat. Adeoque nec illud abnuo, bellum quandoque & pro conditionis, quae hodie mortales omnes circumſtat, ratione, neceſſarium, adeoque & licitum eſſe, ſi is, qui ad illud ſuſcipiendum inuitus atque reluctans adducitur, omnes iuſtitiae, humanitatis, aequitatis, prudentiae leges, qua cauſam, qua modum, diligentiſſime accuratiſſimeque obſeruet, licet nihilo ſecius & tum quoque cordati omnes & probi, vt ab illo princeps ſibi temperet, optent: aſt tamen, ſi bella ita ſpectemus, prout geruntur, non prout geri debeant, certus ſum, neminem, licet ceteroquin bella generatim ſpectata haud improbet, ea aut laudare aut defendere poſſe, niſi ſimul inauditam crudelitatem, iuſtitiae omnis, humanitatis, aequitatisque proteruam violationem probare aut defendere ſuſtineat. Mihi ſane, quidni enim profiteri palam lubeat, quod certum exploratumque animo

animo ſedet, aut veterum hiſtoricorum monumenta euoluenti, aut noſtrae aetatis bella acrociſſima contemplanti, nullum hactenus occurrit, in quo non ab vtraque parte iuſtitiae humanitatisque leges multis modis violatae ſint. Quod ſi cui adhuc dubium videatur, is Romani populi bella conſideret, olim ab hiſtoricis pluribus litterarum monumentis conſignata, & deprehendet, qua cauſam pleraque, qua modum omnia fuiſſe iniuſtiſſima, & a nemine ſanae mentis defendi aut excuſari poſſe. Id quod, vt nunc alios taceam, Arthurus Duck(b) obſeruauit quam rectiſſime: quae vero Albericus Gentilis de armorum Romanorum iuſtitia & iniuſtitia in vtramque partem diſputauit, magis ingenii oſtentandi, quam veritatis inueſtigandae cauſa, ab eo ſcripta eſſe arbitror.

§. III. Non indiget iſta res vlteriori demonſtratione, ſed tamen ſi quis iis, quae generatim dicta ſunt, acquieſcere nolit, is ſaltem expendat infinita crudelitatis, immanitatis & iniquitatis exempla, quae in milite conſcribendo fere vbiuis terrarum non ab hoſte in hoſtem, ſed a ciue in ciuem, ab imperante in ſubditos, ſtatuuntur. Etenim cum belli gerendi neceſſitas principi imponitur, nec miles paratus eſt, dimit-

(b) *de auctoritate iuris ciuilis Romanorum lib. I. cap. I.*

dimittuntur per regiones atque prouincias, qui non tantum volentes legant, ſed, cum haud raro pauci ſua ſponte ſequi caſtra velint, nolentes & reluctantes cogant. Hic videas iuuenes, plerumque imberbes, imo adoleſcentes clamantes, hominumque aliorum fidem fruſtra implorantes, abripi, vt tale vitae genus ſequantur, quo non aliud triſtius aut foedius illis vnquam viſum fuit. Quodſi reluctari non deſinant, parata ſunt verbera, quibus excipiuntur, aut aliis diriſſimis modis vexantur, donec tandem conſenſus illis extorqueatur. Parentes interim & agnati liberis orbantur, quae ſane calamitas tanta eſt, vt non vlla temere iuſtiores eliciat lacrymas; & ita orbantur, vt eos, quos frugi viros aliquando fore, & ex quibus ſui laboris taediorumque, quae cum educatione coniuncta ſunt, ampliſſimos, ſe percepturos fructus ſperaverant, in praeſentiſſima non mortis tantum, ſed aeternorum cruciatuum pericula detrudi videant. Quod ſi nouitii iſti milites, laborum & famis (plerisque enim non minus ſtrenue eſuriendum, quam laborandum eſt) inſueti, fuga ſibi conſulant, ecce! laqueus adeſt, morteque adeo ignominioſa finire vitam ideo coguntur, quod iſtas calamitates tolerare diutius non potuerint. Tam indigna itaque, ſi vel vnus ci-

ciuis pati cogatur, nonne omnium iudicio, loco commodorum, quae merito ex republica vnusquisque sibi pollicetur, talia incommoda in eum redundant, vt nec maiora ab ipso hoste, quantumuis atroci, illi metuenda sint? Iam cum non pauci, sed magna hominum pars ea sorte viuat, vt hisce incommodis sit obnoxia, a summa iniquitate haec & iniustitia, addo & crudelitate, parum abesse, nemo non facile intellexerit.

§. IV. Quod si ergo cordatiorum vota haberent, quo caderent, dubium non est, quin arma irasque tandem posituri essent principes rerumque domini, tum vt ista circa conscribendum militem, quae quotidie euenire videmus, tum vt cetera quoque, quae nunquam non bellum comitantur, incommoda euitarentur. Ast haec dum votis expetimus, aut istam temporum felicitatem, si quae adhuc futura est, qua, per summam orbis concordiam, bellis litibusque non amplius erit locus, expectamus, iuuat cruentoribus hominum vitiis pro viribus occurrere, iisque adhibere medelam. Quamdiu enim eo vsque adduci non possunt, vt arma proiiciant, saltem adhortandi, & propositis rationibus iustis commonefaciendi sunt, armis ita vtantur, vt rationis atque iustitiae leges requirunt, vtque in tota belli administra-

tione ea omnia ſedulo fugiant, quae improba ſunt, inhumana, atque iniuſta. Medicos imitatur vir prudens, qui, cum tollere morbum, eiusque euellere ex ipſis viſceribus radices nequeunt, in id tamen incumbunt, vt vires eius imminuant atque infringant.

§. V. Vt autem ordine procedamus, primum in cauſas tot incommodorum, quibus militum conſcriptio obnoxia eſt, inquiramus. Has autem duplicis generis eſſe deprehendo. Quaedam enim in ipſis militibus, quaedam autem in imperantibus, atque illis, qui horum vicem gerunt, ſe nobis offerunt. Et ad illos quidem quod attinet, ſaepius magna me inceſſit admiratio, cur in tanta hominum multitudine, qua Germania ceteraeue florentiſſimae Europae respublicae affluunt, tam pauci tamen reperiantur, qui ſponte militiae nomen dare velint, curque militum conſcriptio tam difficulter procedat. Sed inter ceteras huius rei rationes, hanc tandem haud poſtremam eſſe vidi, quod in iſta hominum copia pauci eo animo ſint, vt pericula belli non extimeſcant. Maiores noſtri fuerunt viri fortiſſimi, (c) & ad quaeuis pericula pro patriae conſeruatione ſubeunda paratis-

(c) *vid. Tacit. hiſt. lib. IV. cap. XVI. n. 2. it. de morib. Germ. cap. XXX. & alibi paſſim.*

Digitized by Google

tiſſimi, a quibus quantopere nos deſciuerimus, cum nemo ſit, qui non perſpectum habeat, pluribus id edifſerere ſuperuacaneum fuerit. Cauſa in promtu eſt. Apud illos obtinebat viuendi ratio ſimplex, (d) ab omni luxu, mollitie ac voluptate procul remota: apud nos contra luxuria, mollities, voluptas, omnium non principum tantum, ſed plebeiorum quoque occuparunt animos. Animo autem per voluptates corrupto, corpus ipſum quoque debilitatur, eiusque prorſus imminuuntur vires. Apud maiores ab ineunte pueritia adoleſcentes per venationes, & alia exercitationum genera, ad maſculum animi corporisque erudiebantur robur. *Vita omnis* inquit Caeſar, (e) *in venationibus atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit: ab paruulis labori ac duritiae ſtudent.* Haec omnia ſecus ſe apud nos habent. Vitam deſidem plerique ab ineunte pueritia agunt, in vmbra, in aedium angulis latitantes, indeque laborum, frigorisque & aeſtus impatientes euadunt. Quid ergo mirum, illos, periculorum quippe contemtores, laborique adſuetos, prompte belli moleſtias in ſe ſuſcepiſſe, hosce autem molles &

(d) *vid. Tacit. de moribus Germ. cap. XXIII. n. 2.* (e) *comment. de bell. Gall. lib. VI. cap. XXI. n. 3. add. Conringius de habitus corporum Germanicorum cauſis p. 80.*

effeminatos easdem fugere, & non nisi inuitos & veluti reluctantes armis se induere.

§. VI. Porticum quidem redolere multis videbitur, si affirmauero, *solum sapientem esse militem.* Omnibus tamen probe circumspectis, rem ita se habere, vnusquisque facile iudicauerit. In hominibus vitiis adhuc immersis, quos ambitio vanaeque gloriae cupiditas ad pericula contemnenda impellit, impetus & audacia, & quidvis potius, quam vera est fortitudo. Huius namque haec est indoles, vt, qui ea praeditus est, cum in omnibus ad diuinam voluntatem eiusque leges se componat, nihil quoque non in se suscipere, ipsamque subire mortem paratus sit intrepido animo, modo supremum imperatorem hoc a se exigere certus sit. Non itaque expetit pericula, sed exspectat, non ad ea currit, sed oblata non recusat, placidoque semper est animo, & in medio armorum strepitu non commotior, quam in solitudine ab omnium hominum consortio procul remotus. Adeoque cum ceteri, qui gloriae amore aliisque prauis cupiditatibus agitantur, dum impetus eos in hostes concitat, vix sui compotes sunt, saltem in isto variorum affectuum strepitu, qui non minus animum illorum perculit, quam oculos armorum hostilium ful-

fulgor, rationis audire vocem neſciunt, prudentiaeque obſeruare leges non ſunt idonei: Vir ſapiens autem, & virtute imbutus, longe aliter vbique ſe gerit, animoque intrepido, ſed tranquillo eſt, fortemque ita ſe praebet, vt non deſinat eſſe prudens. Quo ipſo ad bellicas res ceteris quoque longe eſt aptior, cum, omnium iudicio & confeſſione, ad felicem praeliorum exitum fortitudo non minus, quam prudentia ducum militumque, multum conferat. Socrates mortalium omnium, qui ethnica ſuperſtitione fuerunt imbuti, longe ſapientiſſimus, eiusmodi militis, quem virtus ipſa finxerit formauerit, exemplum praebet. Vt enim nemo eo erat tempore manſuetior, humanior, & laborum pariter ac iniuriarum tolerantior, ita, cum reipublicae neceſſitas hoc poſtulauit, intrepido & inconcuſſo animo pectus hoſti oppoſuit, vt fortiſſimi quoque militis gloriam ab omnibus retulerit, qui tamen inter maxima pericula nihil vnquam viro ſapiente, ſecumque ſemper habitante, indignum admiſerit. (f) Contra, qui virtuti non litauit, quantumvis audax interdum ſit, fortis tamen rite non appellabitur, nec contemnere pericu-

(f) *Plato in ſympoſ. Plutarchus in vita Alcibiadis, & Diogen. Laërtius in Socrate, apud Carpentarium in vita Socratis cap. IV.*

la fine animi commotione, prudentiae inimica, poterit. Quodſi noſtri ſeculi nunc reputemus mores, cum pauciſſimi verae virtuti dediti reperiantur, illud contra improborum hominum ſit feraciſſimum, rurſus quam clariſſime vnicuique conſtare arbitror, cur & raro admodum milites ipſi ſuo rite fungantur officio, & pauci quoque ſint, qui contemnant pericula, eo quo par eſt animo, militiaeque ſua ſponte nomina ſua dare velint. Accedit metus mortis, quem ſummum in improbis, minimum in virtuti ſapientiaeque deditis eſſe oportet, vt noua inde efflorescat ratio, cur hi, quorum oppido pauci ſunt, militiam non detrectent, illi contra, quorum maximus omni tempore eſt numerus, non niſi inuiti admodum atque coacti eandem ſubeant.

§. VII. Atque haec cum ita ſe habeant, non praetermittendi hic ſunt ipſi imperantes, quippe qui & ipſi ita in milite gubernando ſe gerunt, vt plerosque a militia ſubeunda deterreri neceſſe ſit. Amplus hic mihi ſeſe aperiret campus, vitia illorum, qui militibus praefecti ſunt, perſtringendi, ſed ſufficiat, pauca ſaltem & praecipua notaſſe. Nemo autem dubitaverit, quin inter maxima militiae incommoda primo loco ponendum illud ſit, quod ſtipendia militi non rite perſoluantur. Enimuero gregarii milites ex infima conſcribi

ſcribi ſolent plebe, indeque ſumma premuntur inopia, vt, niſi ſtipendia illis ſoluantur, non habeant, quo vitam tolerare poſſint. Cum ergo iis per auaritiam & fraudes praefectorum priuantur, aut fame, aut frigore miſeris pereundum eſt, aut ferendum, vt furtis & rapinis ſe dedant, & ita ſibi comparent, quo viuant. Atque duplici omnino eoque grauiſſimo ſcelere ſe obſtringunt, qui erga milites ita ſe gerunt. Primo enim iuſtitiae ipſi migrant leges, denegando, quae ex pacti lege praeſtare militibus debebant. Deinde dum velvti neceſſitatem quandam furandi militibus imponunt, eiusmodi delictorum in ſe quoque omnino deriuant reatum atque poenam. Taceo, quod contra prudentiam quoque peccent, eo quod, niſi accurate ſolvantur ſtipendia, diſciplina militaris conſiſtere nequeat: hac autem profligata, felix bellorum nullo modo ſperari poteſt euentus. (g) Quae quidem rationes tantae ſunt, vt vnumquemque vel mediocriter rerum ſuarum ſatagentem adducere debeant, ne quid iis aduerſum committat. Sed nihil tamen vſitatius, quam pati, vt milites fame & frigore conſumantur, aut ſi rapinis & furtis indulgeant, vel fuga ſaluti ſuae conſulant, acerbiſſimis in eos animaduer-

(g) *vid. Grotius de iure B. & P. lib. III. cap. XVII. §. II.*

tere poenis. Scio sane, seuerioribus poenis coercendos esse milites, (h) tantamque plerorumque esse petulantiam, vt leuioribus poenis, ad eos in fide & obsequio continendos, parum proficiatur: sed tamen nec illud obscurum alicui esse potest, si cui peccandi imponitur necessitas, & nihilo secius quam seruerissime peccata puniantur, palam iustitiam omnem conculcari, simulque talem conditionem viuendi miseris imponi, quam, vt ferre nullo modo possunt, ita merito detestantur, eamque fugiendo & detrectando id faciunt, ad quod natura ipsa bruta quoque, dum tenerrimum studium se conseruandi illis implantauit, concitat atque impellit.

§. VIII. Leue illud censeri posset, quod saepius sine necessitate praesentissimis periculis obiiciantur milites, ast illud sane grauissimum & nullo modo ferendum, quod aeternae quoque felicitatis illorum nulla fere habeatur ratio, vt metuendum omnino sit, ne plerique & vitae & animae iacturam simul faciant, dum in praelio pereunt. Enim vero, quam frigide apud milites ea omnia administrentur, quae ad vitae morumque emendationem pertinent, nemini, nisi rerum omnium ignaro, ignotum esse potest. Adde exempla vitiorum quo-

(h) *conf. Zeuecotius in Sueton. Iul. Caes. p. 15.*

Digitized by Google

quotidiana, tam frequentia apud Martis filios, vt maxima flagitia iam fere in mores abierint, turpeque cenſeatur militi, non eſſe flagitioſum. Per iſta autem, ceu torrente, abripiuntur, qui ceteroquin optima quaeque polliceri videbantur, agunturque in praeceps. Nec mihi quisquam obiiciat, in caſtris pietati locum eſſe non poſſe, vitaeque militaris genium non alios admittere mores. Fruſtra enim haec dieuntur. Si, quae ad religionem ſpectant, tanta diligentia, tanto ſtudio tractarentur, quo ea tractari par eſt, ſi, qui militibus praeſunt, iis exempla iuſtitiae, continentiae, humanitatis, ſobrietatis, frugalitatis praeirent, ſi adhortationibus commonefactionibusque ad meliorem frugem eos adducere allaborarent, aut me omnia fallunt, aut meliores habituri eſſemus militum mores. Aſt quamdiu non maiori diligentia in iis emendandis elaboratur, eos in dies deteriores fieri neceſſe eſt. Iſtudque cum facile intelligat, qui vel ſemel iuſta conſideratione haec omnia ſecum expenderit, rurſus vitio vertere non debemus noſtris, quod militiae nomen dare, ſeque ipſos in aeternae felicitatis amittendae periculum coniicere nolint.

§. IX. Haec de cauſis, cur a militia non ſine ratione multorum abhorreat animus, curue militum conſcriptio tam difficulter

procedat, poſtquam expoſuimus, nunc ordo & inſtituti ratio poſtulat, vt, num iure ſummus imperans cogere ſubditos ad arma capeſſenda poſſit, disquiramus. Equidem quin princeps, qui iſta obſtacula militiae hactenus recenſita non remouet, & nihiloſecius ad arma capienda cogere ſibi ſubiectos ſuſtinet, charitatis, humanitatis, iuſtitiae leges palam migret, nemini dubium eſſe poteſt, adeoque, ſi rem manifeſtiſſimam argumentis non neceſſariis demonſtrare ſuſciperemus, rem aggrederemur prorſus ſuperuacaneam. Aſt ſi nunc ponamus, haec omnia ſe ſecus habere, principemque nihil omittere, vt onera & incommoda militiae leuiora tolerabiliora que reddantur, an tum quoque ſubiectos ſibi militiam detrectantes vi cogere poſſit, id quidem eſt, de quo nunc diſceptatur. Qua in re vt rite ordineque progrediamur, primo illud conſiderandum, quam cauſam ciues obtendant, cur pro principe atque republica arma induere renuant. Etenim primo ſi perſuaſi ſint, belli, quod gerendum eſt, cauſam eſſe iniuſtam, atque ideo militiam detrectent, palam eſt, quod nullo modo cogi poſſint aut debeant. Deo enim magis, quam hominibus, quantumuis ſummo imperio pollentibus, obtemperandum eſſe, & ratio dictitat, & Paulus pariter ac Socrates, ſapientiſſimi viri, in-

Digitized by Google

inculcant. Aſt homini pareret potius quam Deo, qui principi bellum iniuſtum ſuſcepturo morem gereret. Nec obſtat, quod vulgo dici ſolet, ſubiectorum ciuiumque non eſſe, de ſummorum imperantium disquirere factis, licitane ſint & iuſtitiae conformia, an non. Namque vt ciues merito in arcanis principum indagandis intempeſtiuae ſuae curioſitati limites ponunt: ita contra belli iuſtitia nemini ignota eſſe poteſt & debet. Solent ideo & ipſi quoque imperantes, editis ſcriptis publicis, cauſas belli prodere, tum vt aliis principibus innoteſcat, illos iuſtis cauſis adductos ad bellum deſcendere, tum vt ipſi quoque cives hac de re certiores reddantur. Praeterea ſapientis probique viri officium eſt, vt nihil vnquam ſuſcipiat & agat, nec in alterius gratiam, niſi prius actionis iſtius iuſtitiam exploratam habuerit atque perſpectam. Haec vero tum eo magis obtinent, cum non tantum ciues de iniuſtitia armorum ſunt perſuaſi, ſed cum illa opinio quoque eos non fallit, iuſtitiaeque limites princeps reuera transgreditur. Duplici enim ſe obſtringit ſcelere, dum alterum, iniuſto bello illi illato, laedit, & ciuium quoque ſuorum opinionibus imperare cupit, quod tamen nefas eſſe res ipſa oſtendit. Quod ſi vero bellum quidem iuſtum ſit, aſt ciues in errorem coniecti illud iniuſtum reputent

tent, hactenus quidem recte sibi consulit, dum alterum, cui vis paratur, non laedit, ast ciues tamen ne tum quidem cogere potest. Namque qui alios cogere audet, aliquid committere contra opinionem, vtut falsam atque erroneam, animo conceptam, is nihil aliud agit, quam vt ab iis exigat, Dei iussum atque auctoritatem vt postponant mandatis principis.

§. X. Quid vero, si ciuis dubitet? Moralis doctrinae peritorum scitum est, contra conscientiam dubiam non esse agendum, adeoque neminem quoque vi cogendum, contra eam, vt quicquam agat, suscipiatue. Esse tamen qui in conscientia dubia imperanti, officia militiae exigenti, parendum esse asserant, refert Hugo Grotius, (i) nec obstare iuxta horum opinionem illud laudatum: *Quod dubites, ne feceris*, quia, *qui contemplatiue dubitat, potest actiuo iudicio non dubitare.* Quibus tamen Grotius ipse non suffragatur. Et merito quidem. Etenim illud, quod dicitur: qui contemplatiue dubitat, potest actiuo iudicio non dubitare, ita capio, quod possit, verbi causa, ciuis dubitare, num bellum iustum sit, nec ne, vt tamen nullo modo dubitet, sibi, principi ad arma se vocanti, esse obtemperandum. Quo quidem pacto manife-

(i) *lib. II. de I. B. & P. cap. XXVI. §. IV.*

nifeſtum euadit, ciuem verſari in errore, dum exiſtimat, parendum eſſe principi, ſive iniuſtum, ſiue iuſtum ſit bellum, quod gerendum eſt. Adeoque ſi obtemperet principi talia exigenti, quod ex ipſius mente iniuſtum etiam eſſe poteſt, peccabit, ſua opera facinus iniuſtum promovendo atque adiuuando, ſi non obtemperet, itidem peccabit, obſequium denegando principi, ad quod tamen illi praeſtandum obſtrictum ſe eſſe credebat. Eſt nimirum conſcientiae errantis haec indoles, vt pecces, ſiue eius praeſcriptum ſequaris, ſiue ab illo diſcedas. Quid ergo factu opus? Excutiendus error, ac veriora certioraque addiſcenda ſunt, quod facile ab vnoquoque rerum ſuarum non plane incurio fieri poteſt. Is certe, de quo nunc ſermo eſt, error tam craſſus eſt, vt dubitem, an temere aliquis tam omnis cognitionis expers reperiatur, ſerio qui ſibi perſuadeat, obtemperandum principi ad bellum nos vocanti eſſe, ſiue iuſtum iſtud ſit, ſiue iniuſtum, aut etiam ſi eius iuſtitia nondum liquido nobis conſtet. Haec plana ſunt & in aperto poſita, cum contra quae Hugo Grotius, Adrianum pontificem ſecutus, hac de re diſputat, non aeque expedita eſſe videantur.

§. XI. Non ergo improbo conſilium illorum, qui tributa potius extraordinaria ciui-

ciuibus imperanda, quam operam militarem ſuadent, quoties de iuſtitia belli convinci nequeunt. Saltem cogi nullo modo poſſunt, & ne ad tributa quidem, ſi religioni ſibi ducant, hac ratione bellum, quod iniuſtum putant, aut de cuius iuſtitia dubitant, opibus ſuis promouere. (k) Atque haec quidem ita ſe habent. Quod ſi vero cauſa belli manifeſta eſt, ciuesque de belli iuſtitia non dubitant, nec dubitare poſſunt, praeterea ſalus reipublicae exigat, vt bellum ſuſcipiatur, nec adſint alii, qui ciuium vicibus hic fungantur, tum demum non eſſe nefas arbitror, ad officium eos compellere. Ita enim rationes ſubduco. Quaecunque ad ſalutem reipublicae eiusque conſeruationem ſunt neceſſaria, ea agendi atque perpetrandi poteſtas ſummo imperanti eſt conceſſa. Ridiculum enim eſſet atque a ratione plane alienum, principem ſummumque imperantem conſtituere, hoc eſt talem, qui defendere atque conſeruare rempublicam debeat, nec tamen poteſtatem, quae huic fini obtinendo ſufficiat, illi concedere. Quod vero neceſſe ſit, cogere ciues ad arma pro republica capienda, cum ipſi ſua ſponte hoc facere detrectant, per ſe patet. Ergo quin principi ſummoque imperanti talis poteſtas

(k) *add. Henninges ad Grotii l. c.*

ſtas cogendi ciues conceſſa ſit, dubitari nullo modo poteſt. Atque id erat demonſtrandum. Quod quidem eo magis obtinet, ſi iam ipſi ciues ſemel conſenſerunt, & hoc ipſo ad arma capienda ſe obſtrinxerunt. Sed verus debet eſſe conſenſus. Is namque, cui inuito atque ignaro forte aliquid pecuniae obtruſum eſt, neutiquam conſenſiſſe dici poteſt, adeoque & cogi nequit, ſecus ac per plus quam barbaram crudelitatem, & nequitiam ſummopere deteſtandam, fieri apud nos conſueuit.

§. XII. Atque iſtud nunc me admonet, vt ad noſtri ſeculi redeam mores. Per eos enim conſcribendi militem haec eſt ratio, vt coactio iſta & vis pro iniquitate, & ſumma immanitate, non reputari nequeat. Eadem vero, quod prudentiae quoque tum militari, tum ciuili repugnet, demonſtrari facili negotio poteſt. Militaris prudentiae caput eſt, habere milites probe exercitatos, morigeros, & dicto imperantium audientes. Ab illis vero, qui inuiti atque coacti ad arma accedunt, quam promtitudinem, quam alacritatem, quod obſequium exſpectes? Quamdiu poenae metus illis ante oculos verſatur, facient forte, quod officii poſtulat ratio. Sed locum omnino hic habet illud Plinii: (l) *infidelis recti magiſter me-*

(l) *in Panegyr. c. LVI. n. 7.*

metus eſt. Eo enim remoto, ad mordendum frenum, & quiduis audendum parati ſunt. Hinc ſeditiones, tumultus, tanto plerumque periculoſiores, quanto iuſtiores inſurgendi contra imperantes cauſas milites ſe habere putant. Facile autem adducuntur, vt credant, ſe habere iuſtiſſimas, cum ad officia militaria coactione adducuntur, & imperantes praeterea, ſtipendiis non ſolutis, promiſſorum ſuorum ipſi non ſtant fide. Finge ergo exercitum, cuius milites non amore erga patriam, non cauſae iuſtitia, ad hanc enim vix vllus hodie reſpicit, ſed metu & vi adducti arma capeſſunt, adeoque deſerere ſtationes, proiicere arma, tranſire ad hoſtem, inſurgere contra imperantes parati ſunt, quam primum impunitatis illis ſpes affulſerit, num ab eo felicem belli euentum expectare licet? Neſcio ſane, an imperantes hoſtem magis, quam eiusmodi exercitum, ſi rationes accurate ſubducunt, metuere debeant. Quam bene autem conſuletur reipublicae, ſi eius ſalus & conſeruatio eiusmodi concredatur militi? Nec obiicias quaeſo, quod hactenus experientia docuerit, militem, quantumuis coactum & inuitum, ſolo metu in officio poſſe contineri. Namque, vt nunc taceam exempla, quibus contrarium euinci poteſt, ſufficit, quod quae metuimus, euenire poſſint, licet aliae fortaſſis obſtiterint cauſae,

ſae, cur ea hactenus aut plane non, aut raro admodum euenerint.

§. XIII. Quae dicta ſunt, confirmari poſſunt exemplo legum militarium, a Deo ipſo per Moſen populo Iſraelitico latarum, in quibus num aequitas magis, an ſapientia admiranda ſit, vix definiri poteſt. Ita autem iſtae leges ſe habent: *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quam tu habeas, aduerſarii exercitus multitudinem, non timebis eum, quia Dominus, Deus tuus, tecum eſt, qui eduxit te de terrâ Aegypti. Appropinquante autem praelio ſtabit ſacerdos (ante aciem) & ſic loquetur ad populum: Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis: non pertimeſcat cor veſtrum: nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus, Deus veſter, in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos (de periculo.) Duces quoque (per ſingulas turmas) audiente exercitu, proclamabunt: quis eſt homo, qui plantauit vineam, & nec dum fecit eam communem, vadat & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello & alius homo eius fungatur officio. Quis eſt homo, qui deſponſit vxorem, & non accepit eam &c. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: Quis eſt homo formidoloſus & corde pauido, vadat & reuertatur in domum ſuum, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe*

timore perterritus eſt, &c. (m) Quo pacto autem haec omnia peracta & in gente Iſraelitica accurate obſeruata fuerint, pluribus nos condocet Moſes Maimonides, (n) & ex eo Fagius, (o) ex quo rem paucis referemus. Primo itaque populo promiſcuo & nondum in claſſes & turmas ſeparato, ſacerdos belli dicebat: *quisquis domum aedificauerit &c.* Mox eius generis homines poteſtatem habuerunt abeundi domum, ſi bellum lege praeceptum non erat, ſed alias ob cauſas erat ſuſceptum. Tunc in turmas militares multitudo ſecernebatur ſub chiliarchis, centurionibus, quinquenariis &c. Iisque ita diſpoſitis, rurſus vnctus belli vel ſacerdos haec proferebat verba: *Ne timueritis, neque trepidaueritis, quia Dominus, Deus veſter, in medio veſtri eſt.* Porro cum acies iamiam inſtruenda eſſet, & iam turmae pariter conſiſterent, ex edito loco ſacerdos belli haec dixit: *Audi Iſrael* &c. vsque ad verba: *vt eruat vos de periculo.* Differebat haec voce aequabili & conſtanti: ceteri autem ſacerdo-

(m) *Deut. XX. 1. vsque ad 9.* (n) *de regibus eorumque bellis cap. VII. quem tractatum in linguam latinam transtulit Melchior Leydeckerus, eamque verſionem recudi curauit Thom. Crenius faſc. IX. opuſculorum ad hiſtoriam & philolog. ſacram ſpectantium.* (o) *in comment. ad Deut. XX. 1.*

docet non vncti, exſerta voce eadem exponebant per ſingulas turmas. Rurſus ſacerdos belli vnctus, *quisquis*, inquit, *aedificauit domum &c.* Quem ſermonem princeps apparitorum, qui quidem exactores alias dicuntur, exceptum per ſingulas diſpergebat turmas. Denique primus exactor *quisquis*, inquit, *aedificauit domum &c.* eiusque ſermonem iterum reliqui exactores per omnes ferebant turmas, & tum demum acies inſtruebatur.

§. XIV. Hiſce, vti dixi, legibus & inſtitutis noſtra ſententia confirmatur egregie. Primo namque per eas milites ad fiduciam omnem in Deo collocandam adducebantur. Quod eo pertinet, vt nos edoceat, fundamentum verae fortitudinis aliud eſſe non poſſe, quam virtutem, cuius comites ſunt timor ſincerus Numinis, fiduciaque in eius auxilio collocata. Atque hoc eſt, quod ſupra demonſtrauimus, neminem fungi rite militis officio poſſe, niſi ſapientem & virtuti deditum. Deinde eo cumprimis ſpectabant leges iſtae, vt homines timidi, hoſtisque aſpectum formidantes, procul amouerentur. Et id quoque praeclare atque prudenter. Hi enim non tantum per ſe ad pugnam parum ſunt idonei, ſed aliis ſaepe impedimento ſunt, imo exemplo ſuo fortioribus quoque metum incutiunt, & ad ordines deſerendos eos inuitant. Porro

cum, qui inuitus & coactus pugnat, raro recte bonaque fide pugnet, remotos Deus ab exercitu populi sui omnes eos voluit, quos quaecunque demum causa a militia abstrahere atque deterrere poterat. Cuiusmodi quidem causae quaedam hic designantur, quae frequentiores in vita hominum esse solent, aedium scilicet & vinearum emtio, sponsaliaque: quo ipso tamen mea opinione aliae quoque, quarum eadem forte hic fuerit ratio, neutiquam excluduntur. Quam itaque istae leges fuerunt humanae, quam aequae, quam hominum indoli attemperatae! Namque cum hominum eiusmodi sit ingenium, vt, qui rem quandam sibi comparauit, magno desiderio ea vtendi, aut fructus quosdam ex ea percipiendi teneatur, atque hinc si in eo impediatur, hoc non possit nisi tristi admodum atque inuito accidere; voluit Deus in gente Israelitica eiusmodi vigere mores, per quos inuitis etiam & nolentibus non esset militandum. Iam si nostri mores cum sanctissimis hisce conferantur institutis, tum demum, quam procul ab ista humanitate & aequitate absint, patebit quam luculentissime.

§. XV. Circumspicienti mihi nunc & consideranti, quid pro ista consuetudine, quae apud nos viget, inuitos ad militiam abripiendi, excusanda aut defendenda, afferri queat, nihil nunc occurrit aliud, quam

impe-

imperium forte iſtud *eminens*, quod nonnulli in ore habent. Aſt fruſtra illud huc aduocari intelliget facile, qui, quid iſtud ſibi velit, ſecum expenderit paulo diligentius. Poteſt namque interdum ea rerum euenire facies, vt ciues ea facere detrectent, quae praeſtare ex officii lege tenebantur, quaeve fieri ſalus reipublicae exigebat: & tum quidem ſi princeps eos cogat, nihil aliud faciet, quam quod *imperii eminentis* illi concedit poteſtas. Nemo itaque tam iniquus facile erit, vt neget, tale *imperium eminens* in ciues, & *dominium eminens* in eorum bona, ſummo imperanti competere, cum ipſa reipublicae ſalus & conſeruatio, quae ſummo imperanti concredita eſt, omnino tale quid requirat. Qui vero iſtud ſuis impugnarunt ſcriptis, aut vocis iſtius vim non ſunt aſſecuti, aut tale ſibi finxerunt imperium dominiumque eminens, quod a tyrannide prope abeſſet. Certe vir doctiſſimus, vt nunc alios taceam, Wilhelmus Lyſerus (p) non tam contra imperium dominiumue eminens, prout a nobis illud definitum eſt, & certis limitibus circumſcriptum, quam contra ſententiam Io. Friderici Hornii (q) limites eius vltra quam fas eſt, vti cenſet, extendentem, diſputat. Simile

(p) *in diſſertat. pro imperio contra dominium eminens, §. III. ſeq.* (q) *vid. Politica eius Architectonica lib. II. cap. IV.*

quid etiam Caſparo Zieglero (r) conſultiſſimo iuris & aequitatis viro contigit, dum alicubi Grotium, eminens illud dominium aſſerentem, perſtringit, alibi autem fatetur, (s) ſi eiusmodi limites ei conſtituantur, quales conſtituit Hugo Grotius, eodem omnino gaudere principes, nec vllas ei obſtare leges. Salua itaque maneat rerum dominis eminens illa poteſtas, modo eadem non abutantur. Rite autem ea tum demum vtuntur, ſi ciues, ſine ratione reluctantes, ea facere cogunt, quae fieri reipublicae ita intereſt, vt ſalua haec, niſi hoc fiat, eſſe nequeat. Adeoque & per eandem eminentem poteſtatem ad arma capeſſenda cogere ciues poſſunt, ſi nullam habeant cauſam recuſandi hoc officium, ſique reipublicae ſalus iſtud efflagitet. Videtur quoque illud ſignificaſſe Samuel, inter regis iura haec referens: *filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & praecurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, fabros armorum & curruum ſuorum.* (t) Sed de principe potius poteſtate ſua

(r) *ad Hug. Grot. l. I. cap. I. §. IV. p. 46. it. ad lib. II. cap. III. §. IV. p. 244.* (s) *ad lib. II. cap. XIV. §. VII.* (t) *1. Sam. VIII. 11.*

ſua abutente, quam de regis imperio eminente, legibus tamen diuinis conformi, haec intelligenda eſſe arbitror, id quod ab aliis quoque iam pridem demonſtratum eſt. Quicquid huius ſit, vti certum eſt & extra dubitationem poſitum, cogi quandoque vi imperii eminentis ciues poſſe, ita rurſus & illud palam eſt, in iſta quotidiana ciuium ad militiam coactione eminenti imperio locum non eſſe. Praeterquam enim quod raro admodum reipublicae ſalus hoc requirat, neceſſitas ſane nulla hoc iubet, aut ea ab imperantibus tantum obtentui ſumitur, ſaltem multae adhuc ſuperſunt rationes ſaluti reipublicae contra externi hoſtis inſultus conſulendi, etiamſi vi ad arma gerenda nemo compellatur. Qua de re deinceps diſſeretur.

§. XVI. Nunc, poſtquam morbi, quibus laboramus, indicati & demonſtrati ſunt, de remediis quoque, quibus pelli poſſunt, aliquid eſt adiiciendum. Huc enim tandem, poſtquam de re ipſa non amplius dubitari poteſt, recurrere ſolent, qui a ſe impetrare nequeunt, vt rebus perditis obviam eant, eum hodie rerum ſtatum eſſe, vt haec vitia tolli atque emendari nequeant, quare ſatius eſſe, ſilere, & haec incommoda deplorare, cum de medela omnibus ſit

desperandum. Et sane haec, si ita se haberent, frustra omnis in istis vitiis demonstrandis a nobis susceptus esset labor. Iam autem cum ignauorum potius hominum hae voces sint, quam virorum cordatorum, quos vlla reipublicae cura tangit, non est, quod nos deterreant. Quin stimulum addunt ad inquirendum eo accuratius, num ita se res habeat, vt boni isti viri sibi aliisque persuadent. Videtur equidem promtissima via ad omnia ista incommoda, quae circa conscribendum militem se offerunt, esse, si, abrogata militia mercenaria, in eius locum lecta introducatur. Et hanc insuper plurima commoda commendare videntur. Namque lectus miles simul exercitatus est, & ad disciplinam militarem compositus, cum mercenarius rudis plerumque sit & inexercitatus, nec disciplinae satis adsuetus. Praeterea lectus miles, cum ex ciuibus ipsis & quidem opulentioribus constet, quibus reipublicae salus curae cordique est, maiori fide, studio, & industria muneris sui implebit partes, (u) quam mercede conductus, cui & anima, & vita, & cum vtraque fides venalis est, & qui sua parum referre putat, saluane sit respublica, an pereat, Germanorum Imperatori seruiat, an Turcarum, modo stipendium ac-

(u) *vid. A. Gellius N. A. lib. XVI. cap. X.*

Digitized by Google

accipiat, quo vitam toleret, aut praedae quoque opimae ſpes oſtendatur. Porro mercede conductus miles non ſine ingentibus ſuſtentari poteſt ſumtibus, cum contra ex ciuibus praecipuis lectus ſe ipſum alat, imperatoremque maximo onere, ingentem pecuniae ſummam quotannis, ad militem ſuſtentandum, profundendi ſubleuat. Nunquam ſane tot bellis gerendis conficiendisque pares fuiſſent Romani, ſi militibus ſtipendia ſoluere neceſſe habuiſſent. Et conſtat ſane, (x) non tantum minoribus ſumtibus, ſed feliciori quoque ſucceſſu eos geſſiſſe bella, cum milite ex ciuibus opulentioribus lecto vterentur, parta autem, per tot tamque cruenta bella, rei militaris gloria mox excidiſſe, cum tandem, maxime ſub imperatoribus, milite proprio & lecto vti deſinerent.

§. XVII. Haec & alia afferri pro militia lecta poſſunt, nec contemnendam eam plane eſſe, facile euincunt, praeſertim cum quae circa militum conſcriptionem occurrunt incommoda, euitari hac ratione poſſe, videantur. Nihiloſecius tamen cum non minora quoque incommoda hanc militiam premant, ea fruſtra in tot malorum remedium proponitur. Namque ſi

(x) *conf. Conringius de militia lecta, mercenaria & ſocia, §. XII.*

ciues mercaturae aut opificiis dediti ſubinde ad arma vocentur, & commercia & opificia concidere neceſſe eſt, iisque ad ſummam paupertatem redactis, non tantum pecunia tandem, quam pro neruo rerum gerendarum ciuilis prudentiae doctores habent, deficiet, ſed ſi bellum fortaſſis diuturnum gerendum ſit, poſtquam ſua conſumſerunt, nihilo ſecius illis perſoluenda erunt ſtipendia, ni fame illis ſit pereundum. Nec obiiciat mihi quisquam exemplum Romanorum, quippe quorum longe alia fuit conditio, quam rerumpublicarum eſt hodie florentium. Namque ad rem militarem vnice inſtituta & comparata fuit Romanorum respublica: hinc bellum ex bello ſerebant, magnasque ex praeda ciues colligebant opes, tenuiores autem inter illos, coloniis quas dimittebant adſcripti, per alias orbis ſpargebantur prouincias. Commerciorum itaque & opificiorum non magna habebatur apud Romanos ratio, quin illi, qui in militiam adſciſcebantur, turpe ſibi ducebant, mercaturam exercere aut opificia, pollebantque opibus, quibus ſe ipſos, ſiue domi eſſent, ſiue in caſtris verſarentur, poterant ſuſtentare. Quemadmodum autem eiusmodi reipublicae conſtitutio, quae ad bellum ſaltem & militiae gloriam, proferendosque armis limites, & gentes alias domandas, com-

Digitized by Google

comparata eſt, diuinis humanisque aduerſatur legibus, nec ferenda vllo modo eſt inter eos, qui ſe ſanctiorem Chriſti disciplinam ſequi profitentur: ita contra commerciorum & opificiorum in omnibus rebus-publicis hodie ſummo ſtudio habenda eſt ratio, vt omne iſtud, quod hisce aduerſatur, (aduerſatur autem, vti diximus, militia lecta,) quam diligentiſſime ſit fugiendum. Sed accedit porro, quod ſi ciues armis tractandis adſuefiant, quod in militia lecta fieri neceſſe eſt, illi inde euadant ferociores, & ſi forte imperans ad illorum nutum & voluntatem res ſuas non adminiſtrauerit, ad frenum mordendum resque nouas moliendas, audaciores. (y) Raro admodum diuturna ſunt imperia & reipublicae militares. Ipſum tandem Romanum imperium, cum milites omnia ad ſe raperent, poteſtatemque imperatores conſtituendi & deiiciendi, nemine reſiſtente, ſibi aſſererent, conſiſtere diutius non potuit, ſed fractum imminutumque fuit, vt tandem barbararum gentium armis ſuccumberet. Et iisdem ſane periculis omnes respublicas, quae armorum gloriam & militare decus pro fine & ſcopo ſibi conſtituerunt, obnoxias

(y) *vid. Clapmarius de arcanis rerumpublicarum lib. II. cap. VII. p. 19. add. Forſtnerus in Tacitum T. I. p. 546. ſeqq.*

xias esse, nemini, nisi qui hospitem plane ex historicorum monumentis retulit animum, ignotum esse potest. Sed taceo ceteras rationes, ab aliis iam contra lectam militiam & pro mercenaria allatas, cum instituti nostri ratio hisce immorari diutius, nobis non permittat.

§. XVIII. Hoc itaque pacto cum ad incommoda, quae militum conscriptionem vrgent, tollenda parum proficiatur, aliae nobis circumspiciendae sunt rationes, quibus vitia ista corrigi atque emendari possint. In quibus enumerandis vt ordine procedamus, primo necesse est, vt subiectorum tanta adsit multitudo, quanta ad patriam defendendam, bellaque necessaria gerenda sufficit. In magna enim incolarum inopia, paucos quoque reperiri necesse est, qui arma ferre aut velint aut possint, vt adeo plurimi tum inuiti & reluctantes ad hoc officium sint cogendi. Contra vbi ciuium numero abundat respublica, longe facilius est reperire, qui vitam venalem habeant, eamque accepto stipendio proiicere parati sint. Quae autem rationes sint, numerum ciuium augendi, a ciuilis prudentiae magistris luculentissimis passim expositum est commentationibus, (z) a quibus, quae dicta sunt proli-

xi-

(z) *vid. Boterus de causis magnitudinis ciuitatum.*

xius hic repetere, inſtituti noſtri legibus prohibemur. Promtiſſima certiſſimaque via augendi incolarum numerum haec eſt, ſi leniter habeantur ciues, nec tributis & vectigalibus immodicis nimium vrgeantur & opprimantur. Praeterquam enim quod hac ratione exteri quoque alliciantur, ad figendas in noſtra republica fortunarum ſuarum ſedes, ipſi quoque, qui iam in noſtra republica degunt ciues, ad ineunda matrimonia, ſobolemque procreandam invitantur, cum certi ſint, partem bonorum, labore atque induſtria ſua paratorum, ad poſteros ſuos redundaturam. Quae omnia ſecus ſe habent, ſi nimiis exactionibus ad incitas ſubditi redigantur. Namque non tantum exteri hac ratione deterrentur, quo minus ſedes ſuas mutent, ſed indigenae quoque cum extrema paupertate colluctantes, intelligentesque, non ſibi ſe aut ſuae ſoboli, ſed imperantibus laborare, liberosque, ſi quos ſuſcipiant, in eandem miſeriae & calamitatis ſortem naſci, animum ſimulque voluntatem per matrimonia rite inita ciuium numerum augen-

tum. Hippolitus a Collibus de incrementis ciuitatum. Beſoldus de incrementis imperiorum, aliique, add. Io. Andreas Boſius in introduct. in notitiam rerum publicarum c. XXVIII. §. V.

Digitized by Google

gendi, abiiciunt. Sed religionis quoque libertas referri ſolet inter media, ciuium numerum augendi, idque non ſine inſigni ſucceſſu fieri, vel Belgica hodie nos condocet respublica, (a) quae tum aliis cauſis, moderato ſcilicet, & nihil niſi aequitatem & iuſtitiam ſpiranti regimini, tum maxime religionis, quae vnicuique, modo talia non profiteatur, quae publicae tranquillitati aduerſa ſunt, conceditur, libertati, immenſam iſtam, qua affluit, hominum multitudinem debet; vti Hiſpania contra triſte & in omne aeuum memorabile exhauſti, hominibusque per inquiſitionis, quam vocant, ſacrae, plus quam barbaram crudelitatem orbati (b) & plane eneruati regni, exemplum praebet. Sed indicaſſe haec ſufficiat, prolixe enim de iis commentari huius non eſt loci. Id potius addo, ſi nulla ratione augeri incolarum numerus eousque poſſit, vt ſemper praeſto ſint, qui pro republica defendenda, adque hoſtium inſultus reprimendos arma capere parati ſint, aliud

(a) *conf. Templeus dans les remarques ſur l' eſtat des prouinces vnies de Pays bàs cap. V. p. 192. & alibi paſſim.* (b) *conf. quae ex Petri Ferdinandi Nauaretae libro, cui titulus: Conſeruatio monarchiae Hiſpanicae, refert Io. de Laet. deſcript. Hiſp. p. 483.*

aliud quicquam non ſupereſſe, quam vt ſummus imperans a gentibus hominum multitudine abundantibus, conſcribendi ibi militis facultatem, impetret.

§. XIX. Interim non abnuo, multas ob rationes expedire, vt ex noſtris ſubditis potius conſcribantur milites, quam vt illi ab alia gente arceſſantur. Quare tum iſtae rationes numerum ſubditorum augendi, quas antea indicauimus, tum aliae quoque, quibus, vt non deſint milites patriae defenſionem ſuſcepturi, effici poteſt, neutiquam ſunt negligendae. Et hisce quidem nunc illud addimus, quod, ad incommoda militum conſcriptionem hodie prementia, euitanda, ſalutare admodum atque conſultum illud quoque ducam, ſi militum conſcriptio non ad vltimum neceſſitatis articulum differatur. Quod ſi enim temporis ratio permittat, per varias vrbes atque prouincias ire, & conquirere nouos milites, aut ſi noſtrae ditiones tantum illorum numerum non ſuppeditent, quantus ad bellum rite adminiſtrandum requiritur, a vicinis externisque gentibus eas impetrare, cogere inuitos atque reluctantes plane ſuperuacuum fuerit. Neceſſarium contra videbitur, ſi hoſtis immineat, temporisque anguſtia prolixiores ambages in militum conſcriptione prohi-

hibeat. Res tamen ipſa docet, ab eo bello, quod nos resque noſtras tuendi cauſſa ſuſcipimus, diſcernendum hic ſedulo eſſe illud, quod aliis inferimus, vt reſarciant, quibus nos affecerunt, damna. Namque cum in ſecuros rerum ſuarum, & nihil eiusmodi metuentes hoſtis inſultus facit, non licet ſane vti ambagibus in milite conſcribendo, ſed ſi perpetuus non alatur miles, qui ad quaeuis fortuita paratus ſit, & ciues quoque ipſi tam reipublicae ſuae ſint negligentes, vt capeſſere arma detrectent, tum demum imperii eminentis eos experiri vim, neutiquam iniquum fuerit. Aſt ſi ipſi vim paremus in alios, quid obſtet, quo minus colligamus ſenſim vires, & eam conſcribendi militis rationem, quae ciuibus oneri non ſit, ineamus, non video. Forte iſtud: ne conſilia noſtra reſciſcat hoſtis, & vim vi repellere feſtinet? Aſt ciuilis prudentiae hic in conſilium adhibenda decreta, quippe quae haud vnam viam conſilia noſtra tegendi & occultandi ſuppeditabit.

§. XX. Adiungendum nunc illud eſt, ne bella nimis ſint frequentia. Multae aliae quoque hoc ſuadent rationes, quae alibi ſolent enumerari. Certe qui ſecum expenderit princeps, quot quantisque periculis rempublicam exponant belligerantes,

tes, quam difficile ſit, vel in vno bello legibus iuſtitia & prudentia praeſcriptis ſtare, is haud facile, vt in cauſa quamuis iuſtiſſima arma induat, ſe adduci patietur, tantum abeſt, vt bellum ex bello ſerere, & vna victoria ceu inſtrumento alterius vti, pulchrum ducat. Praeterea cum raro admodum cauſa belli iuſta adſit, quae ad arma capeſſenda principem compellat, raro admodum etiam ea rerum facies ſe exhibeat, vt felici cum ſucceſſu rerum, ſineque ſubiectorum incommodo bellum geri poſſe, ſperare queat, patet, facillimum quoque eſſe bella euitare, iisque quam rariſſime ſe implicare. Quo frequentiora autem bella ſunt, eo maior militum numerus requiritur, cum *& ſecundis praeliis copiae atterantur*, (c) & vix vllus fortunam adeo ſibi propitiam, votisque ſuis obſequentem experiatur, vt non ex praeliis quibusdam inferior diſcedat. Hinc itaque patet, quo maior ſemper numerus militum requiritur, eo difficilius etiam eorum conſcriptionem procedere, eoque ſaepius cogendos eſſe, qui arma capiant. Non opus eſt haec demonſtrare pluribus, cum ipſa hoc vnumquemque doceat experientia.

§. XXI. Sed porro iſtae cauſae, quibus multos deterreri ſupra demonſtrauimus

(c) *vid. Curtius lib. IV. cap. VI. n. 21.*

Digitized by Google

quo minus ſua ſponte caſtra ſequantur, ſedulo a ſummo imperante ſunt remouendae. Equidem vt, qui effeminatis mollibusque ſunt moribus, ſtatim virili pectore concipiant animi robur, iuſſu ſuo atque auctoritate ſummus imperans efficere nequit: Bene tamen, ſi educatio liberorum formandis ad virtutem, ſobrietatem, vigilantiam moribus ſit attemperata, hoc obtinebit princeps, vt ſubditis praeſit, iis qui ſint moribus praediti, quibus bonum & ſtrenuum militem gaudere decet. Fateor, cuncta, quod ad liberorum educationem attinet, apud nos ſunt corruptiſſima: cumque nihil aeque ad ſalutem & tranquillitatem reipublicae neceſſarium ſit, quam liberorum ad rationis legumque diuinarum praeſcripta accommodata educatio, nihil minori, qam haec, cura & ſolicitudine ſuſcipitur. Regulas autem bonae & prudenter inſtitutae educationis, non eſt, quod nunc a me quis exigat: traditae illae ſunt noſtra aetate ſubinde a viris ſapientiſſimis. Summa earum haec eſt, non tam intellectum multarum, ſaepius inutilium, rerum cognitione, quam voluntatem probitate, patientia, voluptatum contemtu imbuendam eſſe, idque non tam prolixis praeceptorum ac regalarum ambagibus, quibus ſaepius pa-

parum proficitur, quam exemplis, quae parentes liberis, & ſuperiores omnes inferioribus praeire debent, efficiendum eſſe. Cumque in ipſa chriſtiana religione fons & fundamentum omnium virtutum quaerendum ſit, alibi quoque fruſtra quaeratur, ea ſedulo diligenterque imbuendos eſſe liberos, non tantum, vt hodie fieri ſolet, vt capita praecipua doctrinae chriſtianae intellectu complectantur, ſed vt omnia, quae edocti ſunt, & quae in perfectiſſimo virtutum omnium exemplo, ipſo ſeruatore noſtro Chriſto, quod ob oculos nunquam non illis verſari debet, conſpiciunt, vita moribusque ſuis diuini Spiritus gratia adiuti, exprimere adſuefiant. Ita ſi adminiſtretur liberorum educatio, habebit princeps ſubditos probos, fortes, morigeros, laborum patientes, voluptatum contemtores, &, vt paucis omnia dicam, bonos ciues, bonosque, ſi bellum gerendum ſit, milites: nec deerunt, qui, intellecta belli iuſtitia & neceſſitate, ſponte arrepturi pro patria ſint arma, tantum abeſt, vt per immanem & inauditam crudelitatem ad hoc officium ſint compellendi.

§. XXII. Nec tamen negligendae ſunt, ſed coniungendae exercitationes corporis. Neceſſarias tamen intelligo, per quas membra roborantur, corpusque ad labores

perferendos aptum redditur, non autem ludicras & ad oſtentationem ſaltem, & vanam, interdum & impiam, ſpectantium oblectationem comparatas. Rem explicabo paulo vberius. Conſultum nimirum admodum fuerit, puerorum, quam primum adoleſcere incipiunt, explorare ingenia, & illos, qui litteris tractandis idonei fuerint, expertae virtutis & doctrinae magiſtris erudiendos tradere, ceteros autem, pro cuiusque indole, ad alias artes deſtinare, & eos quidem, quibus ad opera militaria aliquando vti viſum fuerit, per varia exercitationum genera, ad ferenda arma, ad aeſtum atque frigus tolerandum adſuefacere. Eſt quidem generatim in omnibus pueris inſtituendis haec tenenda ratio, vt ad patientiam, laborumque tolerantiam, voluptatumque contemtum erudiantur, ſed in milite tamen praecipue corporis robur atque durities requiritur, quae, quod facillime per varias exercitationes in tenera aetate ſuſceptas comparetur, quilibet per ſe facile intelligit. Et hactenus laudandi quoque ſunt iſtarum gentium mores, apud quas publice gymnaſia conſtituta ſunt, in quibus ad rem nauticam, militiamque tum equeſtrem, tum pedeſtrem, iuuenes praeparantur.

§. XXIII. Supra quoque inter cauſas, quae hodie

hodie plerosque a militia subeunda deterrent, retulimus, quod stipendia militibus accurate non persoluantur. Vnde quod hoc quoque in capite officium imperantium sit, qui iustitiae & aequitatis habere rationem volunt, ipsi haud difficulter intelligunt. Video equidem, & hic plerumque obiici solere aerarium exhaustum, pecuniaeque inopiam, qua tantum non omnes fere laborant, quoties necessarii faciendi sunt sumtus, cum contra, quae in res ludicras & vanas profundatur pecunia, nunquam desit. Non est itaque, vt Hermanni Conringii, Klockii, aliorumque hic excutiamus scripta, qui de aerario principis rite constituendo, augendoque & locupletando commentati sunt: haec omnia, quae isti homines solerter interdum excogitarunt, non sufficiunt, ne ad necessaria quidem, quamdiu principes ipsi suis cupiditatibus modum non ponunt. Neque etiam opus est tot ambagibus, tot artibus, tam callide excogitatis, ad ea comparanda, quae ad reipublicae vsus requiruntur: breuissima & certissima, eaque optima via ad ditescendum, est parsimonia. Huic si imperantes locum concederent, si luxui limites tandem ponerent, si irritamenta voluptatis proscriberent, & ad frugalitatem, ad modestiam in victu & amictu, &

Digitized by Google

omni vitae genere, ſe componerent, ſi calculum ponere diſcerent paulo accuratius, & expenſas accommodarent reditibus, ſuppeteret ſane ſemper ad res neceſſarias pecunia, nec ad artes eiusmodi ſubtiles, ſaepius etiam turpes, pecuniam conficiendi, confugiendum eſſet. Nunc autem haec omnia ſecus ſe habent, & aegrotis illis haud abſimiles mihi eſſe videntur rerum domini, qui ad aeſtum, qui corpus vrit, depellendum, aquam frigidam expetunt, eaque ſe ingurgitare cupiunt, non animaduertentes, venis ipſis ſanguinique cauſam caloris inhaerere, eaque non ſublata, cetera quae extrinſecus adhibentur, adeo non prodeſſe, vt noceant contra, & mortem ipſam haud raro accelerent. Qui vero ex miniſtris principum eo cogitationes ſuas & conſilia omnia conferunt, vt ſaltem nouas rationes aerarium augendi excogitent, ſi ad mala, quae ex pecuniae inopia reipublicae incumbunt, depellenda, etiamſi ea vitae ratio, quam plerique hodie tenent, non mutetur, ſe multum profecturos credant, ſe quidem ipſos decipiunt turpiter; ſin intelligunt, quid agant, quamque incaſſum laborent, miſerrimi ſunt mortalium, dum pro viliſſimis prauarum cupiditatum, quibus explendis omnis illorum opera deſtinata eſt, inſtrumentis non reputari nequeunt,

ſeque

ſeque ipſos, ſi ſapiunt, reputabunt. Sed ediſſerant haec mala pluribus, qui hoc ex inſtituto agunt. Nobis nunc ſufficit demonſtraſſe, facillimo negotio rerum dominos, ſi parſimoniae ſe dedere velint, eam pecuniae ſummam comparare poſſe, quae tum ceteris reipublicae neceſſitatibus, tum militi quoque alendo ſufficiat. Equidem Machiauello non adſtipulor, qui pecuniae in bello omnia tribuit: hoc tamen aſſerere non dubito, cui pecunia in promtu eſt, ei nunquam defuturos milites, eique non temere impoſitum iri neceſſitatem, inuitos & reluctantes ad militiam cogendi.

§. XXIV. Reliqua, quae ſupra indicauimus, obſtacula, quo pacto tolli queant, quiuis per ſe facile intelligit. Et praecipuum quidem, quod merito in moderna militia reprehenditur, & multos ſine dubio deterret, quo minus ei nomina ſua dent, eſt ſacrorum atque religionis neglectus. Huic autem quo pacto occurri poſſit, ſi docere ſuſciperem, multorum forte incurrerem reprehenſionem. Ergone qui ab ineunte aetate ſe chriſtianos appellitarunt, ſeque haud vltimum forte in hoc ordine obtinere locum putant, nunc demum edocendi ſunt, quid nominis, quod gerunt, ab iis exigat ratio? Quam autem vellem, vt cordati viri ſuperſedere hoc labore poſ-

Digitized by Google

ſent, inculcandi prima ſacrorum, quae chriſtianorum nobis conciliant nomen, elementa. Superſedere autem tum ſane poſſent, ſi quisque inter milites quoque ea ageret, quae tam auguſti muneris, quod a Deo impoſitum chriſtianis eſt, conditio requirit. Nunc autem cum non tantum milites ipſi ea, quae chriſtianum decent, officia in minimis ponant, ſed raro admodum illi ipſi, quibus ſacrorum cura apud eos demandata eſt, officio ſuo, ea qua par eſt diligentia, fungantur, non poſſunt non viri cordati & tot animarum iacturam ſerio deplorantes, vt tandem aliquos ſaltem in rectam reuocent viam, tam ſupinum chriſtianae religionis neglectum iis exprobare, eaque inculcare, quae ad prima chriſtianiſmi elementa pertinent. Ratio autem, ad meliorem frugem reducendi militum mores, in eo, mea opinione, conſiſtit, vt primo non niſi ſpectatae virtutis ac probitatis viris ſacrorum adminiſtratio apud milites demandetur: quam enim hac in re peccatum hactenus ſit, vel me non monente, quilibet intelligit. Deinde optandum eſſet, vt in ducibus atque praefectis militum eligendis conſtituendisque, non tantum prudentiae, fortitudinis, ceterarumque virtutum, ſed probitatis cum primis quoque haberetur ratio. Exemplis enim

enim longe rectius homines docentur, quam praeceptis, aut legibus. Iis porro, quibus hoc iniunctum eſt, vt ſacrorum curam gerant, nulla praetermittenda eſt occaſio, non tantum intellectum erudiendi & imbuendi notitia dogmatum, quae ſcitu ſunt neceſſaria, ſed cum primis adhortationibus commonefactionibusque a vitiis, quibus inquinata eſt, voluntatem repurgandi. Ergo & numquam non vitiorum, praeſertim apud milites frequentium, foeditatem demonſtrabunt, &, quam iſta cum moribus hominis chriſtiani conſiſtere nequeant, oſtendent, exemplum hic omnibus praeeunte Ioanne, (d) pauciſſimas, ſed ſapientiſſimas, viuendi regulas militibus praeſcribente, *μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε, καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν.*

§. XXV. Et haec quidem de militum conſcriptione commentari hac vice nobis viſum. Quae eo comparata eſſe, vt noſtri ſeculi vitia demonſtraremus, quiuis facile intelliget. Hinc & ea, quae ceteroquin hic a politicorum, ſcholae ſaltem ſuam doctrinam accommodantium, turba diſputari ſolent, a nobis praetermiſſa plane eſſe, nemo mirabitur, nec quisquam,

(d) *Luc. III. 14.*

Digitized by Google

vti credo, vitio vertet. Si enim, prudentiorum iudicio, de quolibet argumento ea saltem dicenda sunt, quae dici debent, non quae dici possunt; quae autem dici debeant, ex cuiusque fine ac scopo sit aestimandum; certe non potui non sicco praeterire pede omnes illas quaestiunculas, de quibus vmbratici doctores inter se adductis insuper, vt eruditionis gloriam capterit, auctoritatum & testimoniorum plaustris, altercari solent. Illorum autem, qui secus sentiunt, & quibus nihil pulchrum videtur, nisi quod cum illorum moribus conuenit, iudicia me non curare, hic palam profiteor.

EXER-

EXERCITATIO

IVRIS NATVRALIS,

DE

TESTAMENTIS

SVMMORVM IMPERANTIVM,

SPECIATIM

CAROLI II. HISPANIAE REGIS,

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XXV. MAII ANNO M D CC.

RESPONDENTE

IO. CASPARO LIBERO BARONE DE ABSCHAZ.

CAP. I.

DE SVMMORVM IMPERANTIVM TESTAMENTIS GENERATIM.

Σύνοψις.

Occasio dissertationis, §. I. Norma testamentorum inter principes est ius naturae, §. II. Quia testamentum est modus transferendi dominium, §. III. Vnde quoad substantiam iuris naturalis est, non quoad formam, §. IV. Non obstante, quod heres non consentiat, §. V. Vasquii sententia corrigitur, §. VI. Testamenta minus solennia naturaliter obligant, §. VII. etiam in conscientia, §. VIII. Mores gentium circa testamenta, quid probent? §. IX. Concluditur, testamenta summorum imperantium non esse irrita, §. X. Nec obesse exempla, quae in contrarium afferuntur, §. XI. Quippe quibus aliae plerumque subsint causae, §. XII. Quinam summorum imperantium principumque nomine nobis veniant? §. XIII. Statuum imperii Germanici testamenta an ad normam iuris ciuilis sint exigenda? §. XIV. Rationes affirmantium, §. XV. earum ἐπιχρισις. §. XVI. Rationes negantium, §. XVII. Quid existimandum, si Statui imperii cum ciue suo aut alio Statu res sit, §. XVIII. De testamentis vasallorum, §. XIX. Quousque summorum imperantium facultas testandi

di ſeſe extendat? §. XX. Regnorum diuerſitas vnde? §. XXI. ſunt vel patrimonialia, vel legitima, §. XXII. Patrimonialia an & quousque teſtamenta admittant? §. XXIII. Vnde intelligi queat, ſitne regnum legitimum, an patrimoniale? §. XXIV. Non omnia regna eſſe patrimonialia, nec omnia legitima, §. XXV. Differentia horum regnorum quoad modum ea transferendi in alios, §. XXVI. Vſus huius differentiae in variis controuerſiis, §. XXVII. Exempla regnorum patrimonialium & legitimorum, §. XXVIII. Hiſpania ſitne regnum legitimum an patrimoniale? §. XXIX. Argumenta Cabotii, quibus probat, pleraque Hiſpaniae regna olim fuiſſe hereditaria, §. XXX. Circa ea nonnulla obſeruantur, §. XXXI. Quaenam iure naturali ad teſtamentum ſummi imperantis requirantur? §. XXXII. Conſenſum teſtatoris ad teſtamentum eſſe neceſſarium, §. XXXIII. qui impeditur tum ratione intellectus, §. XXXIV. tum ratione voluntatis, §. XXXV. Quo pacto voluntas teſtatoris nobis innoteſcat? §. XXXVI. De codicillis quid ſentiendum? §. XXXVII. Teſtamentum principis legibus diuinis repugnare non debet, §. XXXVIII. Nec alterius ius quaeſitum euertere, ſiue illud fluat ex ſucceſſione ab inteſtato, §. XXXIX. quo poſito, an filium exheredare poſſit? diſputatur, §. XL. ſiue ex pacto atque conuentione, §. XLI. Principes an & quousque pactis & teſtamentis anteceſſorum ſuorum teneantur, §. XLII.

§. I. Sus-

§. I.

SVſpenſam hodie ſollicitamque Europam vniuerſam tenet Hiſpania, rege ſuo per mortem Caroli II. orbata, omniumque in ſe conuertit oculos animosque. Auſtriacam namque Burbonicamque gentem in ſe inuicem armat ſpes obtinendae opimae hereditatis, dubio equidem incertoque, vt bellorum omnium, euentu, aſt minime dubio iure. Iam pridem enim ſapientum innotuere voces, felices in cenſum non venire ſucceſſus, de cauſae cum diſceptatur iuſtitia: licet plerumque iuſtis armis adſit Deus. Atque hoc, vt omnes in votis habent, qui, quod boni ciuis eſt, patriae noſtrae, cuius ſalus cum Auſtriacae gentis ſalute ac incolumitate arctiſſimo colligata eſt vinculo, bene cupiunt: ita quisque pro viribus, vt cauſae iuſtitia proferatur in lucem, clariusque indies eluceſcat, iure meritoque elaborat. Proinde, licet non ſim neſcius, fore, vt ingenia decora, exquiſitioribusque praeſidiis inſtructa, doctiſſimis ſuis monumentis efficiant, ne quemquam fugiat, potentiſſimae ſereniſſimaeque genti Auſtriacae ſuum in Hiſpaniae regnum ius ſaluum hodienum integrum-

Digitized by Google

grumque esse, eidemque Caroli II. Hispaniarum regis testamentum nihil omnino derogare: ego tamen quoque hanc occasionem, pietatem meam obsequiumque erga serenissimam istam gentem demonstrandi, praetermittere nullo modo volui. Vt autem ordine prouehar, nec a more in exercitationibus academicis recepto discedam, primo generatim de principum differam testamentis, deinde hinc deducam, quae causae nostrae rite disceptandae inseruire iudicauero.

§. II. Primo itaque de regula, ad quam totum hocce negotium exigatur, vt simus solliciti, necesse est. Haec nulla alia esse potest, quam ipsum ius naturae, quod & gentium vocatur, quando ex eo gentium integrarum, & qui eas repraesentant, regum principumque dispensantur fata. Quemadmodum enim ciuilibus legibus principes rerumque dominos subiicere velle, nihil aliud esset, quam eripere illis maiestatem diuinitus eis conceſſam, pedibusque conculcare: ita consuetudines quoque regni in tantum admittendae sunt, in quantum naturali iuri non repugnant. Interim illud libenter concedimus, in principum rerumque publicarum causis disceptandis, vbi a naturali iure discesseris, vel hoc nihil dispo-

nit,

nit, ad populi conſenſum, conſuetudinesque conſenſum eius indicantes, eſſe recurrendum.

§. III. Video autem hic quosdam ſtatim corrugare frontem, & neſcio quam obiicere audaciam, quod a multorum doctrina & ingenio praeſtantium virorum diſcedam ſententia, (a) qui ciuili iuri vindicant, quod nos ex iure naturali arceſſere conamur. Sed, vt noſtras audiant rationes, petimus, prius quam leuitatis aut ignorantiae nobis inurant notam. Naturalis iuris nomine nihil nunc deſignamus aliud, quam naturalem facultatem, cuiuis mortalium competentem, nec, per iuſſum aut legem ſuperioris, cui forte is ſubiectus ſit, reſtrictam aut arctioribus incluſam limitibus. Fluit haec facultas ab ipſa Numinis ceu ſupremi legislatoris voluntate: quippe quod hominibus conceſſit ea omnia agere, quae ad ſingulorum ſalutem, ſi ſinguli, aut vniuerſorum, ſi vniuerſi ſpectentur, pertinent. Cum ergo ſine rerum dominio nec ſinguli nec vniuerſi viuere poſſint, iſtudque adeo natura hominum poſtulet, manifeſtum eſt, Deum & facultatem bona poſſidendi, eaque abalienandi, aut in alios transferendi, conceſſiſſe, aut facultatem iſtam ab homini-

(a) *vid. Pufend. de I. N. & G. lib. IV. cap. X. §. IV. V. VI.*

bus introductam approbasse. Eaque naturaliter omnibus ex aequo competit, cum natura ipsa omnes omnino homines aequales esse ostendat, quamdiu ipsi pactis atque conuentionibus hanc aequalitatem non tollant.

§. IV. Atque hoc est, quod Hugo Grotius (b) docet, testamentum, vt alios actus, formam certam accipere posse a iure ciuili, ipsam tamen substantiam eius cognatam esse dominio, & eo dato, iuris naturalis. Liquido hoc innuit, ritus atque ceremonias quasdam a iure ciuili addi testamentis posse: interim ipsam facultatem bona sua in alium, in euentum mortis, transferendi, vnicuique a natura esse concessam, cum in testamentis non aliter res se habeat ac in dominiis. Et sane ego nullam video rationem, cur non vnusquisque naturaliter habeat facultatem de rebus suis disponendi, earumque post mortem suam possessorem constituendi. Imo nulla plane vis esset dominii, nisi domino liceret eiusmodi quid sancire, quod etiam post mortem eius valeret.

§. V. Nec obstat, quod nullus adsit heredis consensus. Licet enim iste requiratur, vt in effectum deducantur, quae testator constituit: non tamen eius defectus naturalem facultatem impedire potest, cuius,

(b) *de I. B. & P. lib. II. cap. VI. §. XIV.*

ius, deficiente etiam consensu, haec vis est, vt nemo bona defuncti prius sibi vindicare possit, quam de heredis consensu constiterit. Atque hoc si obseruetur, omnino expleta est voluntas defuncti. Simul tamen constat, quod per testamentum omnino heredi ius aliquod enascatur. Hoc ipso enim dum per testamentum alii ab adeunda hereditate excluduntur, donec ipse consensum suum declaret, nonne ius aliquod habet? Proinde si quis ita forte argueret: heres acquireret a testatore, aut viuo aut mortuo: non viuo testatore, quia heres eo viuo nec acquirit, nec acquirere potest; nec eo mortuo, quia tum nemo concedit; responderem, heredem omnino ius aliquod acquirere viuo testatore, non quidem absolutum & perfectum, sed quod tamen in perfectum eualescat, si mors testatoris atque consensus heredis accedat. Videntur autem secus sentientes in hunc errorem inducti, quod ab actibus inualidis atque irritis non discreuerint imperfectos & non consummatos. Concedo, testamentum iure naturali tum demum fieri actum consummatum atque perfectum, si, morte testatoris subsecuta, accedat consensus heredis: ast inde non sequitur, hunc actum inualidum prorsus esse, & nullius effectus. Tantum valet, quantum huius conditionis negotia valere possunt, scilicet

a bonorum, quae relinquit teſtator, vt reliqui excludantur poſſeſſione, donec heres voluntatem ſuam declarauerit.

§. VI. Ferdinandus Vasquius, contra communem receptamque opinionem, teſtamenta quoad inuentionem eſſe *iuris gentium*, quoad formam *iuris ciuilis*, diſputans, aſſerit, ea eſſe *iuris ciuilis* inuentione, *iuris gentium ſecundarii* approbatione. (c) In quo non ſatis, quid diceret, quidue ſtatueret, penſi habuiſſe videtur. Primo namque conſtat, natura vnicuique competere facultatem de bonis ſuis ſtatuendi, idque vi dominii ab hominibus introducti, a Deo comprobati. Deinde, fieri equidem potuit, vt primi mortales hac facultate non vterentur, deinceps autem cum initium ab vno factum eſſet, reliqui paſſim ſecuti ſint. Adeoque aſſeri poteſt, teſtamenta moribus gentium debere originem, modo hoc ita intelligatur, moribus gentium naturalem hanc facultatem excitatam velut & in vſum deductam fuiſſe. Cum vero heredis inſtitutio eiusmodi actus ſit, qui variis hominum fraudulentorum dolis ſit obnoxius, principes legumque latores ad fraudes omnes cohibendas merito ceremonias quasdam, ritusque, & ſolennitates addiderunt, & ita ſolennitates illae iuri ciuili

(c) *de ſucceſſion. & vltim. volunt. lib. I. §. I. n. 9. p. 7.*

ciuili natales ſuos adſcribunt. Rem omnem ita exprimit Io. Henricus Boeclerus: (d) *Facilius iſta expediuntur, ſi formulas teſtamentorum & ſolennitates, ab ipſo per teſtamenta de re ſua diſponendi iure, probe diſtinguamus. De vtroque, quin iura ciuilia nobiliorum gentium aliquid conſtituant, dubio caret: ſed non eodem modo. De forma enim teſtamentorum libere & indifferenter legislator decernit, prout ſuae reipublicae & temporum intuitu hominumque captu, fraudibus & iniquitatibus potiſſimum obuiam iri, reique autoritatem & fidem conciliari, opportunum iudicat. Poteſtatem vero ipſam diſponendi de re ſua per teſtamentum, vt iure naturae fundatam, neque auferre prorſus poteſt, & ad aequitatis naturalis normam ſua legislatione explicare ſtudet, & interdum ad tempora & rationes ſuae reipublicae limitat, reducitque.* Vbi tamen, quod dicit, principem poteſtatem de re ſua diſponendi, vti iure naturae fundatam, nemini aufferre poſſe, explicatione indiget. Enimuero cum facultas illa teſtandi ſit iuris naturalis conceſſiui, non praeceptiui, nullus dubito, quin princeps, ſi reipublicae expediat, omnia prohibere teſtamenta poſſit. Quae enim a Deo non ſunt praecepta, nullamque naturalem neceſſitatem habent, ea omnia, ſi reipublicae ſalus

(d) *in comment. ad Hug. Grot. lib. II. de I. B. & P. cap. VI. p. 232.*

hoc exigit, prohiberi a principe poſſunt. Concedo tamen, vix fieri poſſe, eiusmodi rerum vt oriatur facies, vt vtile hoc reipublicae cenſeri queat, nedum vt ſalus eius & conſeruatio hoc exigat.

§. VII. Atque hinc, ni fallor, diiudicari poſſunt, quae de teſtamentis minus ſolennibus diſputantur. Idem ille, quem laudavi, Ferdinandus Vasquius (e) fatetur, communem eſſe ſententiam, ex teſtamento minus ſolenni oriri obligationem naturalem: ille tamen cum Didaco Couarruuia, aliisque quibusdam, in contrariam concedit ſententiam, hac ratione fretus: *Moueor*, inquit, *quia teſtamentum ſecundum noſtram veram ſententiam, quam tuemur, inuentione, effectu & approbatione eſt iuris poſitiui, quo iure remoto, defunctus poſt mortem ſuam de rebus ſuis diſponere non poſſet, cum eo tempore earum rerum dominus futurus non eſſet. Vnde* ita pergit, *ſi ius poſitiuum remoueas, (prout remoueri videris, quando eius formam negligis) certe remanebis in terminis iuris naturalis, quo iure inſpecto, teſtandi facultas non erit non magis, quam hodie eſt facultas, de rebus alienis diſponendi, quarum olim dominium habuimus: cum hodie, quando de iis diſponere volumus, earum dominium non haberemus.* Aſt vero patet, Vasquium in tota hac diſceptatione ponere ceu euictum atque

(e) *l. c. lib. I. n. 22. p. 9.*

atque certum, de quo tamen adhuc est controuersia. Negat enim, ex testamento minus solenni oriri obligationem naturalem, ideo quia testamenta sint iuris positiui. Enim vero hoc cum nondum concedamus, tota auctoris demonstratio sua sponte corruit. Simul tamen non satis sibi constare videtur, dum formam saltem testamentorum a iure positiuo esse innuit, id autem, quod forma, h. e. ceremoniis ac ritibus a iure ciuili praescriptis, remota remanet, esse iuris naturalis. In quo nos secum consentientes habet. Ergo huc tandem quaestio redit; an testamentum naturaliter spectatum, hoc est, sine ceremoniis atque solennitatibus iuris ciuilis, vim obligandi habeat? rursus negat Vasquius, addita ratione, *quod ius naturale testandi facultatem non magis probet, quam facultatem disponendi de re aliena.* Ast idem per idem probat, incertum per aeque incertum. Ius naturale nemini concedere facultatem disponendi de re aliena, largimur. Nec enim natura ratioque dominii hoc permittit. Ast quid hoc ad facultatem testandi? in qua non de re aliena, sed sua testator disponit. Consensus forte heredis requiritur ad obligationem naturalem producendam? Ita quidem Vasquius statim subiicit: sed hoc iam supra explosum est. Rursus equidem in-

ſtat idem auctor: (f) *naturae minime congruere, vt quis poſſit de rebus quondam ſuis diſponere, eo tempore, quo iam dominus eſſe deſiit, vel eo tempore, quo dominus eſt, & effectum conferat in tempus, quo futurus dominus non ſit.* Ad quod tamen itidem iam ſupra reſponſum, demonſtratumque eſt, nullam afferri poſſe rationem, cur rei poſſeſſor vi dominii effectum conferre nequeat in tempus, quo futurus dominus non eſt: immo naturam indolemque dominii, vt conferre poſſit, omnino requirere.

§. VIII. Equidem ita exiſtimo, fundamento rite poſito, non admodum nos oportere eſſe ſollicitos de iis, quae huic fundamento ſuperſtruuntur. Dabimus tamen hic aliquid moribus ſcholae, & Vasquii noſtri veſtigiis paulisper inſiſtemus. Quaerit is porro, an in foro conſcientiae, vt loquitur, aliquis obligetur ex teſtamento minus ſolennni? (g) Adductis in vtramque partem doctorum ſententiis, illis tandem ſuffragatur, qui aſſerunt; *non teneri heredem in foro conſcientiae praeſtare legata relicta in minus ſolenni teſtamento.* Rationes autem dum conquirit, ad easdem relabitur ſententias, quas hactenus ceu falſas atque erroneas reiecimus. Obſeruandum vero, dum aſſerimus, omnino obligari heredem ex teſtamento minus

(f) *l. c. n. 23. p. 9.* (g) *lib. I. §. I. n. 23. p. 9.*

minus ſolenni, de tali nos hoc intelligere teſtamento, vbi de voluntate & conſenſu teſtatoris ſatis conſtat, & alterius etiam ius quaeſitum non laeditur. Etenim cum omnes ſolennitates, ritus ac ceremoniae huc demum comparatae ſint, ne qua fraus aut deceptio intercedat, iuſtaque bonorum poſſeſſione eum priuet, quem heredem ſuum eſſe voluit defunctus, manifeſtum eſt, ceſſante cauſa harum ſolennitatum, ipſas quoque ſolennitates merito pro ſuperfluis & non neceſſariis haberi. Aſt ſi conſenſus dubius ſit atque incertus, fraudisque periculum aut metus adſit, inſiſtendum vtique iſtis remediis, quae contra aliorum iniuſtitiam leges ſuppeditant. Deinde, ſi alter ius aliquod quaeſitum in bona defuncti, quocunque demum titulo hoc adeptus ſit, habeat, itidem aliter eſt pronunciandum. Etenim ſi certum ſit eius ius atque manifeſtum, teſtamentum ſiue ſolenne, ſiue minus ſolenne, ipſo iure naturali nullum eſt. Naturaliter namque nemini competit facultas de bonis alienis, aut quae quocunque modo alterius ſunt, diſponendi. Quod ſi dubium, ſummopere tamen eius referat, de conſenſu teſtatoris liquido conſtare, vt tum ſolennitates omnino ſunt neceſſariae, ad omnem fraudis ſuſpicionem ab herede amoliendam, ita ſane, ſi ſolennitatibus de-

ſtitutum fuerit teſtamentum, in foro ſaltem ciuili contra illum, qui ius aliquod in bona defuncti ſibi vindicat, teſtamentum minus ſolenne neutiquam valebit. Faciet tamen, quod humanitatis ratio ſuadet; ſi quis de iure potius ſuo decedere, quam teſtamentum, vtut minus ſolenne, infirmare voluerit. Atque tum demum obtinet, quod Samuel Puffendorfius (*) pronunciat, generoſum iudicaſſe, viros eximiae humanitatis laudem affectantes a voluntate defuncti non recedere, ſi vel maxime ad formulas legum ciuilium non ita exacte foret expreſſa, euitandae ſuſpicioni auaritiae, aut quia mortalitatis ſenſus tenera pectora acriter mouet, vt ne quem fruſtra id voluiſſe concedant, quod vltimum erat voliturus. Huc refert illud Plinii: *Religioſiſſime ſoles cuſtodire defunctorum voluntatem, quam bonis heredibus intellexiſſe, pro iure eſt. Neque enim minus apud nos honeſtas, quam apud alios neceſſitas valet.* Itemque illud: (h) *Ego propriam quandam legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiam ſi iure deficerentur, quaſi defectas tuerer,* (a) Sed & alibi idem Plinius (k) profitetur: *Hoc ſi ius aſpicias, irritum*

(*) *de I. N. G. lib. IV. cap. X. §. VIII.* (h) *lib. IV. ep. X.* (i) *lib. II. ep. XVI.* (k) *lib. V. ep. VII.*

tum eſt. Si defuncti voluntatem, ratum & firmum eſt. Mihi autem defuncti voluntas (vereor, quam in partem ICti, quod dicturus ſum, accipiant) antiquior iure eſt. Tanta autem vis eſt veritatis, vt tandem ipſe Ferdinandus Vasquius talia ſubiungat, quae priora eius decreta tantum non euertunt. Etenim cum aſſeruiſſet, in re dubia teſtamentum minus ſolenne neminem obligare in conſcientia, quaerit: *quid autem, ſi heres certo ſciret, defunctum voluiſſe, ea legata minus ſolennia praeſtari, eo forte, quod ipſe teſtator cum ipſo herede id collocutus fuerit?* tandemque reſpondet: *Ceterum ſi certus ſit de voluntate teſtantis, contrarium* (vt ſcilicet teſtamentum ratum habeat) *heredi ob animae ſalutem conſulerem, vt ipſe penitiſſime conſcientiam ſuam ſcrutetur, & hac in re id faciat, quod ſua conſcientia dictat, quae conſcium pectus nunquam premere deſinit.* (l) Vno itaque velut ictu proſternit, quaecunque hactenus tanto ſtrepitu, totque verborum ambagibus, confirmauerat. Enim vero peccatum nullum admittit, qui non agit contra legem. Ergo qui teſtamentum minus ſolenne reſpuit, vtut certo illi de voluntate atque conſenſu teſtantis conſtiterit, aut non peccat, aut neceſſe eſt, vt legem aliquam migret. Aſt quod peccet, concedit Vasquius, dum aſſerit, ſe ob animae ſalutem heredi non conſule-

(l) *lib. I. §. I. n. 24. p. 9.*

fulere, a teſtamento vtut minus ſolenni discedat. Si ergo legem migrat, aut naturalem migrat, aut poſitiuam. Non poſitiuam, cum de teſtamento minus ſolenni ſermo ſit, ipſeque largiatur Vasquius, formam ſaltem, ſiue ſolennitates teſtamentorum eſſe a lege ciuili. Ergo peccat contra legem naturalem, cuique vt dominium rerum, ita & facultatem, iſtud ad alios transferendi, concedentem: ergo teſtamenta ſunt iuris naturalis: ergo naturalem habent vim obligandi: ergo obligant in conſcientia: id quod erat demonſtrandum.

§. IX. Solent hic nonnulli, vt probent, a iure naturae omnibus concedi facultatem teſtamentum conficiendi, prouocare ad mores gentium. Minus quidem accurate. Cum enim ne in iis quidem, quae ſunt iuris naturalis praeceptiui, recte argumentum a moribus gentium petatur, multo minus haec argumentandi ratio procedet in iis, quae ſunt iuris naturalis conceſſiui. Siue enim vtantur homines naturali iſta facultate, ſiue non vtantur, perinde eſt: ſufficit, quod omnes eadem vti poſſint, modo a lege ciuili nullum ponatur obſtaculum. Interim ſi non apud omnes, ſaltem apud celebriores moratioresque gentes, ſemper in more poſitum fuit, teſtamenta condere. De

Ebrae-

Ebraeis hoc probat Hugo Grotius (m) ex *Geneſ. XV. 2. Hoc iure*, inquit, *Abrahamus ſi ſine liberis deceſſiſſet, res ſuas Eliezero relicturus fuerat.* Io. autem Seldenus (n) provocat ad teſtamentum Noachi, quo orbem vniuerſum tribus diſtribuiſſe filiis dicitur: idque ex Euſebii chronicis, atque Georgio Cedreno comprobat. Ipſa diſtributio ſatis nota eſt: teſtamenti autem mentionem dicti auctores diſerte iniiciunt; imo addunt, eum litteris illud conſignatum, filiisque praelectum & obſignatum, ſecum retinuiſſe vsque ad annum ab Adamo MMDXCII. Moribundum autem teſtamentum ſuum dediſſe Semo, vtpote primogenito, & pietate prae ceteris inſigni. Aſt cum ab aliis inter fabulas referatur atque commenta, quicquid tum de iſta orbis diuiſione, tum etiam de teſtamento Noachi dicitur, non magis hisce inſiſtemus, quam ſuppoſititiis iſtis ſcriptis, ſub teſtamenti duodecim patriarcharum, teſtamenti Iacobi, &c. fictis nominibus, in orbe circumuolitantibus, & vel hoc nomine hic remouendis, quod morum ſaltem quasdam contineant praeceptiones. Enim vero qui noſtra adhuc aetate mos obtinet, conſilia ſapientiora, & vitae morumque regulas, teſtamenti nomine

(m) *l. II. de I. B. & P. c. VI. §. XIV.* (n) *de ſucceſſione in bona defunctor. cap. XXIV. p. m. 84.*

ne insigniendi; (ecquem fugiunt testamenta Mazarini cardinalis, Colberti, aliorumque?) illum iam olim frequentatum fuisse, inde manifestum redditur. Causam autem huius rei ignorare nemo potest, qui secum expenderit, moribundos, non tantum de bonorum ad alios translatione voluntatem suam declarare, sed insimul, dum vltimum suis dicunt vale, cum apprecatione omnigenae felicitatis, monita quaedam salutaria coniungere solere. Sed de hisce vt diutius simus solliciti, necesse non est, cum nemo forte dubitauerit, in gente Ebraea testamenta ab antiquissimis temporibus viguisse. Apud Graecos pariter ac Romanos testamenta in vsu fuisse, si probare vellem, rem agerem superuacaneam, & de qua itidem nemo ambigit. De veteribus Germanis Tacitus (o) asserit, testamentorum nullum apud eos fuisse vsum. *Heredes*, inquit, *successoresque sui cuique liberi: & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, auunculi.* Quod tamen de forma testamentorum & scriptura, ad morem Romanorum, quem semper in oculis habuerit Tacitus, intelligendum, contendit Io. Henricus Boeclerus. (p) Et sane ex eo, quod eas non adhibue-

(o) *de morib. German. cap. XX. n. 6.* (p) *in Grotii lib. II. cap. VI. p. 235.*

hibuerunt ſolennitates, quae apud Romanos frequentabantur, neutiquam colligere licet, illos nihil vnquam de bonis ſuis diſpoſuiſſe aut verbis aut aliis ſignis, praeſertim quoties deeſſent, qui ab inteſtato ſuccederent: quemadmodum & haec argumentandi ratio, quae teſtamenta apud eos recepta fuiſſe ideo negat, quia obtinuit ſucceſſio ab inteſtato, maximopere fallit. Rurſus tamen ex eo, quod Germani in ſucceſſionibus ab inteſtato ſecuti ſunt luminis naturalis praeſcriptum, neutiquam collegerim, eos etiam naturalem teſtamenta condendi facultatem exercuiſſe. Id quod tamen idem Boeclerus facit. Namque non video, cur gentes in quibusdam ſequi luminis naturalis praeſcriptum nequeant, vt tamen ſtatim non exerceant omnia, quae illis a natura conceſſa ſunt, aut rebus etiam earum expediunt. Noſtra autem parum refert, quid fecerint Germani, quidue non fecerint, cum moribus gentium hic neutiquam ſtemus.

§. X. Poterant haec, quae hactenus diſputauimus, alicui ab inſtituto noſtro aliena videri. Sed ſi quis dicenda ſecum expenderit, mox ſecus ſentiet. Etenim ſi nemo naturaliter habet facultatem condendi teſtamenta, neceſſario conſequitur, vana atque irrita eſſe omnia regum, ſummorumque

que imperantium teſtamenta. Supéruacua ergo & futura eſſet noſtra tractatio de teſtamentis principum. Summos enim imperantes non aliis quam diuinis legibus teneri, ſatis conſtat. Equidem fateor in praeſenti ſereniſſimae gentis Auſtriacae cauſa, forte praeſidium aliquod haec ſententia, principum teſtamenta omnia irrita atque inualida declarans, nobis afferret. Sed praeterquam quod etiam aliud praeſidium ex Philippi IV. Hiſpaniae regis teſtamento petitum, eriperet, qui figmentis cauſam, quantumuis iuſtam, tueri annititur, ei plus nocet quam prodeſt. Talis quoque ineunda eſt via, principum ſummorumque imperantium iura defendendi, quae non tantum ſemel illa ſtabiliat, ſed quae aliis etiam vicibus ea non euertat.

§. XI. Proferri equidem exempla ſolent teſtamentorum a regibus principibusque conditorum, quae tamen fuerint inualida. Sic ipſius Caroli M. & Ludouici Pii, aliorumque Vandalicorum & Hungaricorum regum teſtamenta, commendationis magis vim, iudicio praeſtantiſſimorum hiſtoricorum, quam verae alienationis habuerunt. Memorat hoc quoque Hugo Grotius, (q) qui & porro huc refert (r) teſtamentum Pelagii, quo Hiſpaniam reliquit Alfonſo

(q) *lib. I. cap. III. §. XIII.* (r) *in annot. ad l. c.*

fonſo & Ormiſindae; Alfonſi quoque Aragonii, Alfonſi Legionenſis, aliorumque. His addunt nonnulli exemplum Dauidis, qui quod intelligeret, inualidum fore teſtamentum, viuus potius regnum conferre Salomoni voluit. (s) Quod etiam feciſſe Philippum Macedonem, ex Liuio (t) conſtat, cum Perſea a regno arcere, & eius loco regem facere vellet Antigonum, fratris ſui filium. Atque hoc probe animaduertiſſe dicunt illos principes, qui a populo aut ordinibus imperii confirmari teſtamenta ſua voluerunt. Id quod de Carolo conſtat, memoratque ex Adone ipſe Grotius, voluiſſe eum teſtamentum ſuum a Francorum optimatibus confirmari. Immo Philippus ille, cuius antea mentionem fecimus, obiiſſe dicitur Macedoniae vrbes, vt principibus Antigonum commendaret. Adduntque ex Buchanano, (u) irritum fuiſſe teſtamentum regis Scotiae, qui morte impeditus fuerat, ne accederet confirmatio Ordinum.

§. XII. Haec vero, vti praeeunte Hugone Grotio, vulgo afferri ſolent exempla, ita quid ad ea reſpondendum ſit, iam ex eodem Grotio conſtat. Paucis: inualida

(s) *1 Reg. I.* (t) *lib. XL. c. LVI.* (u) *lib. XV. rerum Scotic. init.*

atque irrita fuerunt haec teſtamenta, & forte adhuc alia quaedam, non ideo, quod facultate teſtandi reges deſtituerentur, aut quod nullam obligationem naturalem teſtamenta haberent, ſed quod iſti principes conditiones, quibus recta ratio facultatem naturalem teſtamenta condendi circumſcripſit, non obſeruarent. Demonſtrabimus in ſequentibus, regna eſſe vel legitima, vel patrimonialia: & illa ſine conſenſu populi nec teſtamento, nec vlla alia ratione abalienari poſſe. Si ergo princeps tale quid peragere ſuſcipiat, ſine dubio peccat, agitque, quod per ſe & ſua natura irritum non eſſe nequit. Carolus M. & Ludouicus, aliique Francorum, immo & aliarum gentium reges heredem teſtamento inſtituere non potuerunt. Concedo. Non enim habuerunt regna ſua in patrimonio. Idem de omnibus illis teſtamentis cenſendum, quae commendationis potius quam alienationis vim habuiſſe dicantur. Alphonſi vtriusque Arragonii, & Legionenſis, teſtamenta fuere irrita. Largior. Populus enim ea teſtamenta improbauit, teſte Io. Mariana. (x) Nec enim regna ſua habuerunt in patrimonio, ceteroquin conſenſus populi non fuiſſet neceſſarius. Neutiquam autem ideo, quod principes nullum teſtamen-

(x) *lib. X. p. 499. & XII. p. 577.*

mentum, quod irritum non ſit, facere queant. Atque hinc ratio patet, cur principes quidam, ſummique imperantes, teſtamenta ſua a populo atque ordinibus confirmari voluerunt. Quae enim populi ſunt, ea vtique ſine conſenſu populi abalienare nequeunt. Hinc etiam pacta ſucceſſionis mutuae in eiusmodi regnis valida non ſunt, niſi conſenſus populi accedat. Proinde & pacta ſucceſſionis mutuae inter Sanctium & Iacobum Arragonenſes, a proceribus firmari oportuit, teſte eodem Io. Mariana, (y) qui & ſimile quid de Henrico Nauarrae rege, Ioannem heredem inſtituente, (z) deque Iſabella Caſtellae regina, (a) memoriae prodidit. Quod autem nonnulli potentes teſtamentorum ſuorum conſtituant executores, vti de Ptolemaeo Aegypti rege, Romanos, vt teſtamenti tenorem tuerentur, implorante, refert Iulius Caeſar, (b) id neutiquam arguit, ac ſi principes illi exiſtimauerint, ſe facultate teſtamentum condendi fuiſſe deſtitutos. Immo ſi haec illorum ſediſſet animo ſententia, improbitatem ſuam, per ſummam imprudentiam palam prodidiſſent, implorando aliorum ad iura ſua tuenda auxilium, quae ta-

(y) *lib. X. p. 512.* (z) *lib. XIII. p. 597.* (a) *lib. XXVIII. ſ. in append. biſt. Hiſp. p. 243.* (b) *de bello ciu. lib. III. cap. XX.*

men per ſummum ſibi vindicabant nefas. In promtu autem ſunt aliae cauſae, quae eos, vt hoc facerent, impellere potuerunt. Tanta enim hominum eſt improbitas, vt teſtamentorum infringere vim, nulli dubitent. His itaque ſi alia ratione obuiam iri nequit, omnino ad potentiorum auxilia recurrendum eſt, praeſertim cum inter principes ſummosque imperantes deſit iudex, qui auctoritate ſua immorigeros compeſcere poſſit.

§. XIII. Accedendum nunc tandem paulo propius eſt ad noſtrum inſtitutum, & primo quidem cum principum nomen hic ſaepius occurrat, quinam eodem deſignentur, paucis explicandum eſt. Summi enim imperantes quinam vocentur, nemini obſcurum eſſe poteſt. Principum itaque nomine illi interdum gaudent, qui alterius tamen ſubiecti ſunt imperio, ipſo vero ſummo imperio plane ſunt deſtituti. Horum quin in teſtamentis quoque non alia ſit conditio, quam reliquorum ciuium, dubitari nullo modo poteſt. Namque eodem plane cum illis cenſu veniunt, adeoque leges cuiusque reipublicae ciuiles pro norma ſuorum teſtamentorum agnoſcere debent.

§. XIV. Longe alia tamen Statuum imperii noſtri eſt ratio. Hi namque vti in ſuis territoriis ſummorum imperantium loco ha-

habentur, nec aliis quam diuinis & fundamentalibus imperii obſtringuntur legibus: ita, ſi ratione totius imperii conſiderentur, non poſſunt non pro ciuibus coimperantibus haberi, qui non aliis legibus, quam in quas ipſi conſenſerunt, hoc eſt pactis & conuentionibus, obligantur. Patet ergo, quod teſtamenta illorum, ſolennitatibus etiam iuris ciuilis deſtituta, omnino valida ſint Siue enim, vt ſupremos illos conſideres in territoriis ſuis imperantes, ciuili iure non tenentur: ſiue, vt coimperantes ciues eos ſpectes, probandum adhuc eſt, quod in leges ciuiles conſenſerint, iisque tum reliquas ſuas actiones, tum cumprimis teſtamenta ſubiecerint.

§. XV. Sunt qui contrarium euincere annituntur hisce rationibus: *quod princeps in teſtamento actiue & paſſiue vtatur iure communi; quod principes & comites legibus ciuilibus teneantur, & quod ſecundum eas in ſupremis etiam curiis iudicentur, & lites eorum omnes, adeoque & teſtamenta ipſorum ſecundum eas decidantur. O. C. part. II. Tit. 13. 3. Quod in ordinatione notariorum Coloniae ſancita de A. 1522. Tit. von Teſtamenten §. vnd ſollen die Notarien, notariis iniungatur, vt faciant teſtamenta ſecundum iuris ciuilis ſolennitates: & denique quod tum communis doctorum opinio pariter ac praxis & conſuetudo imperii noſtri hisce ſuffragetur.* Hasce & ſimi-

les rationes ex aliorum mente affert Huldericus Eybenius, (c) & in compendio Philippus Reinhardus Vitriarius. (d)

§. XVI. Istae vero rationes tam infirmae sunt, tamque elumbes, vt cordatioribus grauedinem moueant atque tussim. Pro certo enim in quibusdam assumitur, quod tamen nondum euictum est, scilicet quod principes actiue & passiue vtantur iure communi in testamentis, quodue teneantur iure ciuili. Deinde iidem auctores mores & facta pro regula ponunt: perperam quidem: cum multa fiant, vsuque recepta sint, quae tamen secus fieri & possint & debeant. Doctorum autem opiniones & auctoritates apud eos demum valebunt, qui rationum bonaeque mentis inopes, non inueniunt, cui inniti queant, nisi clarorum virorum nomina. Interim si factis & auctoritatibus pugnandum esset, nostram ita hisce quoque instruere aciem possemus, vt dubiam redderemus secus sentientibus palmam. Sed omnium instar sit illustris Dn. Rhetius, qui eandem sententiam tuetur. (e)

§. XVII. Sunt sane nonnulli ex publici iuris

(c) *de testamento princip. vel com. imp. §. XVIII.*
(d) *instit. I. P. Rom. Germ. l. III. Tit. XX. §. V.*
(e) *iur. publ. l. II. tit. XXXIV. §. I.*

iuris doctoribus, qui contrariam nobiscum tuentur opinionem, hisque fere vtuntur rationibus: *quod imperator, omissis licet solennitatibus, lege ciuili praescriptis, recte ac valide testetur: quod principes & comites iure militari vtantur: quod, cum iuris statuendi & communis abrogandi potestatem habeant (Status imperii,) ad eiusmodi solennitates ad instar priuatorum obligari, dici nequeant: quod inter principes non ex apicibus iuris ciuilis, sed ex mero naturali gentium iure, quod solennitates eiusmodi ignoret, agendum sit: quod donationes principum comitumque imperii absque insinuatione, itemque inter coniuges valeant, nihil efficiente contraria iuris ciuilis dispositione: & denique quod in dubio eligenda sit illa sententia, quae pro sustinendo testamento faciat.* Ex hisce rationibus nonnullae non plane contemnendae sunt, pleraeque autem ineptae sunt & ridiculae, & causam magis produnt, quam probant. Non autem opus est tot ambagibus. Ex iis, quae §. XIV. diximus, res clarissime, vti putamus, euinci potest.

§. XVIII. Sunt nonnulli, qui non omnia Statuum imperii testamenta eodem habenda esse loco, contendunt. Valida scilicet ea esse putant, solennitatibus etiam iuris ciuilis destituta, si inter ipsos & ciues eorum res agatur, irrita contra esse, si cum aliis principibus aut imperii Statibus illis-

res sit. Ad prius autem quod attinet, concedo equidem, posse principem vti beneficiis iuris ciuilis, etsi eodem ceteroquin non obligetur. Sed si heres institutus sit cum exclusione tertii, non video, quo pacto ius aliquod in bona defuncti sibi vindicare queat, si ex iure naturali nullam omnino vim habeant testamenta. Certe ad leges ciuiles eiusmodi testamentum exigi nequit, cum iis non teneatur princeps: iuris naturalis autem nulla est efficacia, ex horum auctorum mente. Ergo tali testamento nihil acquirit. Si dicas, testatorem & heredem tamen teneri iure ciuili, valde vereor, ne summa sit iniquitas, si tum demum in negotiis cum principe iure ciuili standum sit, quoties emolumentum aliquod ad eum inde redundat. Ergo ad iuris naturalis dispositionem recurrendum. Quod autem porro dicitur, testamentorum inter ipsos principes statusque imperii nullam vim esse aut efficaciam, id me capere non posse, lubens profiteor. Sequitur sane ista assertio ex sententia, quam supra impugnauimus, quae naturalem vim obligandi testamentis abiudicat. Sed ista sententia, dum fundamenti loco substernitur, petitur id, quod est in principio, vt more in scholis recepto loquar. Repugnat autem ea non tantum rectae ratio-

tioni, sed praxi etiam, moribusque inter principes Statusque imperii receptis.

§. XIX. Constat autem, non nullos principes summosque imperantes, aut regna, aut ducatus, aut principatus ac comitatus, non iure proprio, sed clientelari perque modum feudi possidere. De hisce itaque vt obseruemus, vel maxime instituti nostri ratio postulat, eos de feudis istis, siue maiora sint, siue minora, neutiquam testari posse. Communis ita fert doctorum iuris feudalis sententia, quorum magno numero afferre nomina possemus, si delectatio crepandi doctorum virorum nomina nos caperet. Interim apud Huldericum Eybenium (f) nonnulla videri poterunt. Cui iungi omnino debet, qui ex instituto & peculiari dissertatione hoc argumentum pertractauit, quemque honoris causa nomino, vir illustris Samuel Strykius. (g) Sed ipsa suffragatur ratio: cuius vnice hic standum est scitis. Certe hoc ipso dum vasallus non iure proprio feudum possidet, statim intelligit, in sua positum non esse facultate, illud pro lubitu & sine consensu domini feudi abalienare. Testamentum autem de re aliqua facere, quam abalienare nequeas, per se absonum est. Longe autem adhuc ineptior esse, qui existimaret, abalienari

(f) *l. c. §. XIV.* (g) *de testamentis vasallorum.*

a se posse rem, cuius non habeat dominivm. Sed cum non omnium tamen feudorum eadem sit indoles, eademque conditio, ita nonnulla quoque & abalienationem & testamentum vasalli admittunt; quanquam hoc ipso valde improprie feuda vocentur. Et primo quidem consuetudo, atque statuta locorum, testamentum vasalli admittunt: quibus generalis ratio feudorum ideo opponi nequit, quoniam haec ipsa consuetudo indicio est, dominum feudi in id consensisse, vt abalienandi & testamentum condendi facultate vasallus gauderet. Huius autem si adsit consensus, nihil amplivs est, quod desiderari queat. Sic in regno Franciae consuetudine feuda in patrimoniorum sortem redacta esse, quoad disponendi ius, tam inter viuos, quam in vltima voluntate, ex Nicolao Boerio, (h) atque Matthaeo de Afflictis (i) obseruat idem ille, quem laudauimus, Samuel Strykius: (k) qui & plura exempla addit, quae hic repetere superuacaneum foret. Sed de feudo quoque nouo valere testamentum, si dominus feudi in id consenserit, idem Strykius noster docet, addita ratione, quod cum nouum feudum immediate a domino habeat vasallus, & ita solius domini praeiudi-

(h) *decis. XII. n. 3.* (i) *decis. XIX. n. 2.* (k) *de testamentis vasallorum c. III. §. II.*

iudicium hoc casu subsit, nemo possit eiusmodi testamentum impugnare. Idem tamen etiam censendum de feudo hereditario, quippe quod pro se & omnibus heredibus vasallus accepit. Vnde per testamentum illud abalienari posse, recte asserit Christophorus Besoldus, (l) quibus itidem cum pluribus aliis Strykius (m) accedit. Sed in his omnibus ad consensum domini rem totam redire manifestum est, vt adeo in hocce effato me totum istud negotium comprehendere posse, haud vane mihi persuadeam: vasallus per receptam feudorum consuetudinem nullum testamentum facere potest: ast tum demum potest, si dominus feudi consentiat, nec aliorum ius quaesitum in feudum laedatur.

§. XX. Haec ipsa consideratio eo nos ducit, vt dispiciendum sit, quousque testandi facultas, quam summis imperantibus principibusque asserimus, suos proferat limites. In eo certe tantum non omnes consentiunt, de rebus patrimonialibus, seu mere allodialibus, liberam principi competere testandi facultatem. Immo cum interdum in ipso etiam imperio Romano-Germanico principatus, comitatusque pro allodiis reputentur, de iis testari posse principem

(l) *Politicor. lib. I. cap. VI.* (m) *l. c. §. VII.*

cipem, Io. Limnaei, (n) Myleri, (o) Hugonis Grotii, (p) Reinkingii, (q) aliorumque est sententia. Dari vero territoria principatuum, comitatuumque nomine insignia, quae hoc iure veniunt, in confesso est apud plures. Sed quicquid huius sit, nemo certe temere refragabitur, modo res allodialis, patrimonialisque sit. Certe de feudis nonnullis constat, quod nexus feudalis tam tenuis sit, vt propius ad naturam rei allodialis, quam feudi, accedere videantur. Sed hic tamen probe obseruandum, quod iam antea innuimus, quod non omnium feudorum eadem sit conditio: & si forte in quibusdam ita se res habeat, inde tamen non inferendum, quod in omnibus idem obtineat. Quod si autem dubium oriatur, ad vsum & consuetudinem recurrendum est, & ex natura quoque feudorum interpretatio instituenda. Contingere itaque aliquando equidem potest, vt per conniuentiam domini plura sibi vindicet vasallus, quam ceteroquin illi liceat: sed quod iure hoc faciat, non statim asserendum, multo minus res feudalis ideo pro allodiali aut patrimoniali reputanda.

§. XXI.

(n) *l. IV. c. VIII. n. 132. seqq.* (o) *de statib. imp. concl. XXIV. n. 7.* (p) *de I. B. & P. l. I. c. III. §. XII. seqq.* (q) *de regim. sec. & eccles. lib. I. class. IV. cap. XVII.*

§. XXI. Ad ea vero regna atque principatus, quos aliquis suo iure, non clientelari, possidet, quod attinet, vt eo rectius de iis statui queat, paulo altius res nobis repetenda veniet. Considerantibus nimirum originem structuramque rerumpublicarum, patebit, populum rempublicam constituentem, cum saluam sine imperio ciuitatem esse non posse videret, vt suae securitati consuleret, non tantum consensisse in id, vt imperantes constituerentur, sed definiuisse etiam, a quibus, & quo modo sibi imperari vellet. Namque vt per pacta ipsae ciuitates coaluerunt, ita cogitari nulla alia ratio potest imperii introducti, quam consensus ciuium, seu pactum inter ciues ac imperantes initum. Quemadmodum vero natura ciuitatis requirit, vt imperans, qualiscunque demum sit, aut quocunque modo summae rerum admoueatur, tanta instructus sit potestate, quanta ad imperium rite administrandum requiritur: ita contra certos potestati eius ponere limites, vnum aut plures ad illam dignitatem euehere, modumque quo imperans constitui, imperioque admoueri debeat, definire, in libera cuiusque populi positum fuit voluntate, vt decerneret in hisce omnibus, quod rebus suis, ciuitatisque saluti, quam maxime expedire arbitraretur.

Digitized by Google

retur. Hinc etiam videmus, diuerſiſſimos hic eſſe gentium mores, aliis electionem ſucceſſioni, aliis ſucceſſionem electioni praeferentibus: & ad ſucceſſionem quod attinet, diuerſam etiam apud diuerſas gentes eam eſſe, ſatis conſtat. Enim vero natura ciuitatis, humanique generis ſalus non requirebat, vt haec apud omnes eodem modo ſeſe haberent: hinc quod cuique genti placuit, id etiam, in hisce quidem capitibus, iuſtum & aequum cenſeri debet.

§. XXII. Ad ſucceſſionem itaque quod attinet, fuerunt nonnullae gentes, quae abſoluto imperantis arbitrio eam permitterent, id ratum habentes, quicquid ille hac in re decreuiſſet. Et hinc orta ſunt illa regna, quae hereditaria, itemque patrimonialia vocari in ſcholis politicorum ſolent. Hugo Grotius (r) ex iure belli, atque abſoluta deditione, horum regnorum originem accerſit. *At quidam*, inquit, *reges pleno iure proprietatis*, (regnum poſſident) *vt, qui iuſto bello imperium quaeſiuerunt, aut in quorum ditionem populus aliquis, maioris mali vitandi cauſa, ita ſe dedidit, vt nihil excideretur.* Minus quidem, me iudice, accurate. Licet enim bellum interdum occaſionem praebeat, vt populus regnum alicui offe-

(r) *lib. I. c. III. §. XI.*

offerat in patrimonium, non tamen pro cauſa venditari poteſt: cum ſolus conſenſus populi, a Deo tamen approbatus, ſit cauſa imperii, & modi etiam, quo imperium alicui confertur. Fateor, bellum ſaepe occaſionem praebet, vt regnum alicui in patrimonium cedat: ſed poſſunt etiam aliae eſſe occaſiones & cauſae, quae populum, vt hoc faciat, adducant. Quid obſtat enim, quo minus populus commodorum quorundam intuitu hoc faciat? vt nunc ceteras aut occaſiones aut cauſas, quae eum mouere queant, taceam.

§. XXIII. Ex populi itaque conſenſu atque voluntate cum totum hoc negotium metiendum ſit, facile intelligitur, quod poteſtas ſummi imperantis, quoad imperii aut regni abalienationem, diuerſimode circumſcribi poſſit. Interdum enim tota res eius permitti poteſt arbitrio, vt populi nullae partes ſint, nec eius aut conſenſus aut confirmatio concurrere debeat, ſed vt ratum firmumque ſit, quicquid princeps decreuerit. Et eiusmodi quidem regna proprie in patrimonio ſunt, iureque hereditario ad alios transmittuntur. Interdum vero in tantum arbitrio principis aliquid conceditur, vt ſucceſſorem deſignare poſſit, quae tamen deſignatio tum demum valida cenſeatur, ſi accedat conſenſus aut confirmatio

matio procerum vel populi. Denique inſtitui ita quoque haec ſuccedendi ratio poteſt, vt tota quidem a voluntate populi dependeat, principis tamen deſignatio, aut teſtamentum, vim commendationis apud populum habeat. Et ex hoc genere fuiſſe teſtamentum Caroli M. arbitror, quod apud Petrum Pithoeum, (s) Melchiorem Goldaſtum (t) aliosque hodienum legitur. Voluiſſe enim eum a Francorum optimatibus teſtamentum ſuum confirmari, iam ſupra innuimus, & ex Adone obſeruauit Hugo Grotius, (u) & ex recentioribus etiam alii docent. Namque & ex aliis documentis conſtat, Francorum reges regnum iſtud non habuiſſe in patrimonio, & nullo alio exemplo comprobari poteſt, regum arbitrio, facultatem regnum abalienandi, fuiſſe permiſſam. Ad populi ergo procerumque, qui populum repraeſentabant, conſenſum voluntatemque tota res rediit, qui hic tam fuit neceſſarius, vt ſine illo irritum nullumque fuiſſet Caroli M. teſtamentum.

§. XXIV. Dubium autem interdum oriri poteſt, ſitne regnum patrimoniale ac hereditarium, an legitimum? Namque non ſemper conſtat, an populus familiae regnum

(s) *poſt vitam Car. M. ab anon. Engolism. deſcriptam p. 203. ſeqq.* (t) *Conſtitut. Imper. T. I. ad A. 506.* (u) *l. c.*

gnum conferendo, simul contulerit facultatem illud pro lubitu abalienandi, an vero hanc facultatem sibi reseruauerit. Vincentius Cabotius suam hac de re ita depromit sententiam: (x) *Plurimum interest, an aliquis praescriptus sit lege, aut consuetudine vsurpatus succedendi ordo. Nam vbi nullus extiterit, erit regis libera de regno dispositio, in quem velit liberorum principatum conferre. Stante vero eiusmodi lege aut consuetudine, non erit, nec poterit rex ita de regno disponere, vt a legis aut consuetudinis forma recedat.* Voluntas nimirum populi duplici ratione manifestatur, aut expresse & aperte per leges, aut tacita quadam consensione per consuetudinem. Adeoque hactenus illa argumentandi ratio recte procedit: vbi leges de successione latae sunt, aut consuetudo certum succedendi modum approbauit, ibi a voluntate regis successio non pendet, nec potest regnum pro hereditario reputari. Contra vbi legibus fundamentalibus hac de re nihil fuit dispositum, aut eae pro rege militant, quod habere regnum in patrimonio debeat: porro vbi consuetudo vel nullum modum approbauit, vel aperte regi, in patrimonio regnum habere cupienti, suffragata fuerit, recte inde documentum capitur, regnum

(x) *Variar. Iur. publ. & priu. dissert. lib. I. cap. X. pag. 39.*

iſtud eſſe patrimoniale. Paucis: omnia ſigna ſeduio perpendenda ſunt, ex quo voluntas atque conſenſus populi, familiae alicui regnum deferentis, colligi queat. Interim fateor, maxima interdum hic ſuboriri poſſe dubia: & non adeo inepte pronunciaſſe Vincentium Cabotium (y) arbitror: *difficile eſt in tanta obſcuritate rerum, qua premimur, (latent enim omnia fere iura regnorum) conſtituere, quae regna ad hoc aut illud genus ſucceſſiui regni referenda ſint.*

§. XXV. Palam autem atque turpiter hic aberrant Ludouicus Molina, & Michael ab Aguirre, quorum ille omnia regna ſucceſſiua vult eſſe legitima, hic contra omnia contendit eſſe patrimonialia. Molina auctor eſt, (z) omne regnum non iure hereditario, ſed ſanguinis, ad ſucceſſores deferri: neque enim ſucceſſores in regno illud accipere ab immediato anteceſſore, neque ex diſpoſitione & voluntate illius, ſed id ſumere ex iure ſanguinis, atque ex pacto & prouidentia reipublicae, quae regnum ipſum inſtituit, certisque legibus illud alligauit, vt eo modo in illud ſuccederetur. Contra Michael ab Aguirre (a) probare co-

na-

(y) *l. c.* (z) *de iuſtit. & iure T. III. part. prior. de maiorat. & trib. tract. II. diſp 626.* (a) *in reſp. de ſucceſſ. Portugall. regni part. I. n. 15.*

Digitized by Google

natur, omnia regna iure hereditario deferri, argumento ex iure canonico petito, ex quo appareat, primogenitum filium, cui ius primogeniturae ex consuetudine defertur, non a genere, sed a patre illud consequi: id est, non tam quia primogenitus, quam quia heres. Egregie! scilicet. Neutri autem suffragatur Christophorus Besoldus: (b) & recte quidem, cum ipsa testetur experientia, non eandem in hoc capite omnium regnorum successiuorum esse conditionem.

§. XXVI. Sit ergo hoc certum & extra omnem dubitationem positum, quaedam regna esse patrimonialia, quaedam legitima: in illis populum regi tradidisse facultatem, ea pro lubitu abalienandi: in his populum eam facultatem sibi reseruasse. Sua sponte enim ex eo sequitur, diuersissimam in vtrisque & testamentorum, & successionum ab intestato, esse rationem. Hanc diversitatem paucis edisserit Hugo Grotius. (c) Namque & diuidi illa posse, pro lubitu possessoris, asserit, etiam inter mares & feminas, & adoptatos quoque, nothos, & cognatos proximos, si adsint signa voluntatis, ad successionem esse admittendos. Et vt reliqua paucis complectar, si rex, qui regnum

(b) *Politicor. lib. I. cap. III. p. 218.* (c) *lib. II. c. VII. §. XII.*

habet in patrimonio, voluntatem ſuam ſuper ſucceſſione declarauit, in omnibus ea, in quantum iuri diuino non repugnat, ſtandum eſt. Aſt ſi non declarauerit, id voluiſſe cenſendus eſt, quod ſaluti & ſecuritati regni ſui quam maxime fuerit conueniens. In regnis contra legitimis ad populi voluntatem vnice reſpiciendum: quae ſi per leges fundamentales aut conſuetudinem fuerit declarata, non hinc eſſe diſcedendum, manifeſtum eſt: ſin, id rurſus ius fasque erit, quod ſaluti regni fuerit conueniens. Vti ergo in regnis patrimonialibus teſtamenta ſummorum imperantium omnino locum habent, ita ex legitimis contra faceſſere debent.

§. XXVII. Quanti vero momenti ſit haec aſſertio, per ſe ſatis intelligitur, & conſtat etiam ex grauiſſimis controuerſiis, quae ex hoc fundamento definiendae veniunt. Nimirum vbi de regno, vti de patrimonio, ſuo rex teſtamento diſponere poteſt, manifeſtum eſt, quod arrogatione, adoptioneue ſibi filium facere poſſit, vt iam ante ex Hugone Grotio docuimus, cui etiam adſtipulatur Carolus Molinaeus. (d) Primogenitura quoque ius in tali regno ſua ſponte corruit, cum nihil obſtet, quo minus ſecundo genitum, vel vltimum ex filiis eligere

(d) *ad conſuetud. Pariſ. §. XII. gloſ. III. n. II.*

gere possit, qui sibi succedat. Comprobat hoc calculo suo Antonius Bagnasacus, (e) cui suffragatur Christophorus Besoldus, (f) apposite ex Plutarcho adducens exemplum Pyrrhi, ei, qui ex filiis suis gladium habuerit, magis acutum, regnum se relicturum profitentis: itemque comitis Embdensis, ex liberis heredem dignissimum nominantis. Neque vero tantum in iis, qui ex regio sanguine prognati sunt, hoc procedit: sed & peregrinum aut humili loco ortum, filiis suis neglectis, designare successorem potest princeps in regno patrimoniali. Sunt qui dissentiunt, insuper tamen habita natura regni patrimonialis. Et exempla etiam proferunt huc non spectantia, vt illud Antonini philosophi, quem prohibitum fuisse dicunt, ne Commodum negligeret. Ast dicunt, non probant: & perperam imperium Romanum pro regno patrimoniali venditant; licet in eo adoptiones, arrogationesve, ast alias ob causas, non fuerint infrequentes.

§. XXVIII. Non lubet nunc persequi cetera, quae ex hac regnorum differentia fluvnt. Id quod ad nostrum institutum pertinet, euictum satis est. Exempla si quis, ex veteri pariter ac recentiori historia, desi-

(e) *in resp. de succes. regni Portugall. pro Sabaud. Duce n. 41.* (f) *l. c. p. 222.*

deret regnorum tum patrimonalium, tum legitimorum, is Vincentium Cabotium (g) adeat, longa serie ea recensentem. Ea autem cumprimis enumerat, quae reges aut testamento, aut donatione, aut alia ratione sine consensu populi abalienarunt. Et sane dum populus hisce abalienationibus se non opposuit, taciteque eas approbauit, fasus velut hoc ipso est, regem facultate abalienandi gaudere. Atque vt intelligatur, regnum aliquod patrimoniale esse, sufficit, si princeps aut testamento, aut donatione, non expetito populi consensu, illud abalienare possit. Ad hodierna, & Europae quidem, quod attinet regna, ea pro legitimis potius quam patrimonialibus habenda esse, non dubitandum est. Constat hoc vel exinde, quod in iis legibus fundamentalibus ratio succedendi definita, nec adeo facultas pro lubitu testamentum de regno condendi, regi concessa sit. Id quod de Galliae regno, praeter alios, Hottomannus, (h) de Anglia Eduardus Chamberlainius (i) testantur. Suecici regni successio constituta fuit in comitiis Aroësiensibus A MD. XLIV. in quibus ex electiuo regno successium fa-

(g) *variar. Iur. publ. ac. priu. differt. lib. I. c. X. p. 40. seqq.* (h) *de successs. in regn. Franc. praesertim l. I.* (i) *in notit. Angliae part. I. c. V.*

factum fuit. Decretum in hisce comitiis conditum, quod & in comitiis Norcopensibus A. M DC IV. confirmatum fuit, extat in descriptione Sueciae Elzeuiriana. (k) Testamentum equidem fecit Carolus Gustauus, sed quid de eiusmodi testamentis existimandum sit, ex sequentibus patebit. Denique in Daniae quoque regno solenni sanctione, (l) cum & istud regnum ex electiuo successiuum fieret, ampliorque potestas regi concederetur, cautum est, vt intra descendentes ex regio sanguine prognatos successio subsisteret.

§. XXIX. Hispanici autem regni hic paulo prolixius iniicienda est mentio, vt viam paulisper nobis muniamus ad ea, quae sequenti capite ordine sumus demonstraturi. Habendumne enim hocce regnum sit pro hereditario seu patrimoniali, an legitimo? quaeri posset. *Hispaniae regna pleraque*, inquit Christophorus Besoldus, (m) *paternis olim testamentis, iureque hereditario delata fuisse, certum est: & probant de Castellae, Arragoniae, Legionis, Nauarrae & Maioricarum imperio Oldradus de Ponte (consil. 94. 95. & 230. Cabot. I. cap. 10.* Quae Oldradus de Pon-

(k) *pag. 134.* (l) *Extat. Sr. Königl. Maj. Erbbelehnung bey vorgegangener Erbhuldigung, in diar. Europ. contin. IV.* (m) *Politicor. lib. I. cap. VI. pag. 219.*

te hac de re habet, non magnum adeo momentum trahunt. Sed quae Vincentius Cabotius in medium attulit, digna sunt, vt paulisper a nobis expendantur.

§. XXX. Regnum itaque Legionis in Hispania hereditarium fuisse, probat Cabotius ex Io. Vasaei chronicis Hispanicis. Hic enim auctor est, Alphonsum castum regem, iam animam agentem, regem declarari ac salutari feciſſe Ranimirum Veremundi diaconi regis filium, cum alioqui regni succeſſio ad Bernhardum Carpiensem, nepotem suum ex sorore Ximena, lege rediret. Regna Navarrae & Castellae paternis testamentis & hereditario iure antiquitus delata fuisse, ex Roderico Toletano, Io. Vasaeo, Marineo Siculo, ita probare conatur: *Cum Garsias primogenitus Sancii maioris, regis Nauarrae, matrem heredem comitatus Castellae adulterii accusasset, fratre suo Ferdinando fratris scelus non detegente, Ranimirum nothum privignum obtuliſſe se duello, quo reginae pudicitiam vindicaret. Confitente postea calumniam Garsia matrem peperciſſe filiis ea lege, vt Garsias in regno Castellae, quod ab eo tempore regnum esse coepit, & suum erat, non regnaret: quod & ita contigit. Nam cum pater regnum inter filios suos partiri decreuiſſet, ita diuiſio facta est, vt Garsiae primogenito regnum Nauarrae & ducatus Cantabriae obueni-*

obuenirent: Ferdinandus Caſtellae regnum haberet: regina vero, Arragoniam, quae eius erat, ex donatione propter nuptias, dedit Ranimiro priuigno, qui pro ea ſe duelli periculo obiecerat, id ipſum rege Sanctio confirmante: Vnde reges Arragonum originem habuerunt. Addit porro ex Roderico Toletano, eundem regem Ferdinandum Caſtellae & Legionis regnum partitum eſſe inter filios ſuos, cuius exemplum praeter alios ſecutus ſit Alphonſus VII. Denique & Arragonum regnum teſtamento deferri ſolitum, pluribus exemplis comprobat. Sic ex Marineo Siculo, Iacobum I. Arragonum regem teſtamentum condidiſſe, in quo Petrum filium natu maiorem in regno Arragonum, Valentiaeque & comitatu Barcinonae heredem inſtituerit, Iacobum autem filium minorem in regno Maioricarum, Ruſcinonae, Ceritaniae, Montispeſſulani: & quae alia ſunt eiusdem commatis, de regno Siciliae quoque, ab auctore obſeruata.

§. XXXI. Haec vero omnia, licet noſtrae, quam tuendam ſuſcepimus cauſae, parum noceant, cum non tam quaeratur, an reges Hiſpaniae poſſint teſtamenta condere, quam, an illud, quod Carolus ſecundus condidit, validum ſit? nihilo ſecius non abs re fuerit, hic quaedam annotaſſe, ne iſta Vincenti Cabotii dicta, crude accepta,

aliquem in errorem inducant. Obſeruamus itaque (1) nec veteres hiſtoricos Hiſpaniae, nec ipſum Cabotium in hac re ſatis ſibi conſtare. De ipſo illo Alphonſo caſto, cuius primo loco propoſuit exemplum, ex Roderico Toletano, (n) & Lucio Marineo Siculo, (o) antea retulerat, cum donare regnum ſuum voluiſſet Carolo M. palam cives regni ſe oppoſuiſſe, nec vlla ratione id voluiſſe concedere. *Qua ratione*, inquit, *Hiſpani, cum Alphonſus caſtus rex, liberos non habens, regnum ſuum donare Carolo M. ea lege, vt Arabes ex Hiſpania expelleret, donationem illam irritam fecerunt, dicentes: ſe malle mori liberos, quam in Francorum degere ſeruitute, aut per eos incolumes eſſe.* Ergo ſane Alphonſus regnum ſuum non habuit in patrimonio. Ceteroquin enim ne neceſſarius quidem fuiſſet ſubditorum conſenſus, tantum abeſt, vt ſuo diſſenſu irritam potuiſſent facere regis donationem. Ad ipſam vero Alphonſi diſpoſitionem de regno quod attinet, probe eſt obſeruandum, quod Veremundus, Ramiri pater, regnum iſtud obtinuerit ante Alphonſum, qui a Mauregato in exilium pulſus regnoque ſpoliatus fuerat. Sed vrgentibus conſcientiae ſtimulis, Veremundus Alphonſo ab exilio revocato regnum reſtituit, ipſe vero in monaſterium conceſſit, inde rex Diaconus dictus.

Al-

(n) *c. X. l. IV.* (o) *de reb. Hiſp. lib. IV.*

Alphonſus itaque, liberis deſtitutus, Ramirum poterat ut iuſtum regni heredem conſiderare, quod etiam Ramiri pater obtinuerat; adeoqee iſta ſua declaratione nihil aliud fecit, quam vt regnum adiudicaret ei, qui ceteroquin forte etiam ſine iſta declaratione, aut diſpoſitione, ſucceſſiſſet. Paucis: declaratio aut teſtamentum, quo regnum confertur illi, qui ceteroquin ſuccedere poterat aut debebat, neutiquam euincit, regnum aliquod eſſe patrimoniale. Deinde (2) & hoc non eſt negligendum, cum reges iſti Hiſpanici, qui in expellendis Mauris operam ſuam ſtudiumque collocabant, provincias, quas hoſtibus eripiebant, velut bellico iure acquiſitas poſſidere crederentur, ſubditi etiam chriſtianis dominis quam Mauris, quacunque demum conditione illis imperarent, parere mallent, maior vtique illorum in plerisque regnis potentia fuit, quam ſequentium regum, qui iure cognationis aut ſimilibus titulis regnum adepti ſunt. Hinc diuiſiones iſtae fluxerunt, & aliae diſpoſitiones de regnis, quae euincunt, regnorum Hiſpanicorum talem ea aetate fuiſſe conditionem, quae ad indolem regni patrimonialis quodammodo accederet: plane autem ea fuiſſe hereditaria aut patrimonialia, ita vt reges ad exteros etiam ea transferre potuerint, vix credo, an vllo exem-

exemplo comprobari possit; certe Alphonsi casti exemplum, antea prolatum, contrarium demonstrat. Interim non omnium quoque regnorum hic eadem fuit conditio. Namque Arragoniae reges longe arctioribus olim limitibus fuisse circumscriptos, quam reliquorum regnorum dominos, nemini ignotum est. Denique (3) cum iure connubii ad gentem Austriacam Hispaniae regnum peruenerit, saltem ex eo tempore Hispaniae regnum pro legitimo, non autem pro patrimoniali habendum esse, manifestum est. Primo hoc constat ex ipso modo, quo serenissima ista gens ad regnum Hispaniae peruenit. Deinde idem euincunt leges regni Hispanici, de ratione succedendi, quae inperuacaneae essent, si ea ex sola voluntate regis penderet. Quod si autem testamenta quaedam a regibus condita sunt, condita autem esse constat, in iis aut consensum procerum populum repraesentantium adhibuerunt, aut talia disposuerunt, in quibus ne opus quidem erat, etiam in regno legitimo consensum populi exquirere. Instituerunt enim heredes, quibus iam ceteroquin per natalium conditionem, atque ex consensu populi generali, successio debebatur: qui successuri fuissent, etiamsi testamento non scripti fuissent heredes.

In-

Digitized by Google

Interim si rex aliquis ausus esset, receptum & per leges semel constitutum succedendi ordinem interuertere, an illud testamentum validum firmumque futurum fuisset, merito cum Samuele Strykio nostro dubitamus, imo plane abnuimus. *Cum enim*, inquit vir ille illustris, (p) de regno Hispaniae verba faciens, *regnum illud deferatur per leges regni, deficientibus masculis, etiam per feminas descendentibus, non erit in arbitrio regis, hanc successionem pro libitu interuertere, aut huic praeferre, alteram vero penitus excludere.* Nihil ergo istis testamentis fecerunt, quod vel minimam suspicionem praebere potuisset, ac si sibi facultatem, etiam sine consensu populi regnum abalienandi, vindicarent. Sed quid opus est pluribus verbis in re manifesta, & de qua hodie nulla est, necesse potest controuersia? Interim hoc inde clarissime sequitur, si nunc heres regni in Hispania scribendus sit, qui ceteroquin aut nullum ius habuerit vnquam, aut illud amiserit, si porro heres excludendus sit, cui per generalem & specialem regni consensum, & per natalium conditionem ius in regnum competat, tum necessario accedere debere expressum populi Hispanici consensum: testamentumque

(p) *de testam. vasallor. c. I. §. XXI.*

que sine tali consensu populi confectum, ipso iure vanum esse, nullum atque irritum.

§. XXXII. Sed redeundum nobis est ad nostrum institutum. De illorum nimirum regum testamentis, quorum regna sunt legitima, satis nunc superque constat, quod nulla illis competat facultas, testamento regnum in alium transferendi. Ideoque si nihilo secius testamentum condant, irritum illud est ac inualidum, nisi consensus populi expressus accedat. Ast ad patrimonialia quod attinet, fatemur, habere regem facultatem, testamento regnum in alium transferendi, fatemur etiam, eum iuris ciuilis regulis eiusque solennitatibus non teneri. Nihilo secius tamen, vt a iuris naturalis praescripto, quo omnes imperantes principesque tenentur, non recedat, necesse est. Quae autem ius hocce naturale circa testamenta disponit, ad tria reuocari possunt capita: primo, vt reuera testator consentiat; deinde vt illis, quorum interest, de consensu eius certo & liquido constet; & denique vt in res, quas abalienare instituit, nulli mortalium aliunde ius aliquod quaesitum sit.

§. XXXIII.

Digitized by Google

§. XXXIII. Quod consentire debeat, manifestum est, nec quisquam sanae mentis homo ea de re dubitauerit. Si enim testamentum, iuxta iure consultorum sententiam, est voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit; sane ratio indolesque testamenti necessario consensum requirit. Accedit, quod, vti supra obseruatum, testamentum simul sit modus transferendi in alium dominium aut imperium; translationem autem istam itidem a consensu voluntateque transferentis vim omnem habere, positum itidem est apud omnes extra controuersiam. Atque huc ea quoque iureconsultorum effata pertinent: *voluntatem testatoris praedominari in testamentis & vtramque vbiuis facere paginam: voluntatem sectari nos debere: debere voluntatem esse liberam, non coactam aut importunis sollicitationibus expressam:* & quae alia sunt eiusdem commatis.

§. XXXIV. Consensus autem cum & intellectus & voluntatis inuoluat actum, sua sponte sequitur, vtrumque liberum nec vlla ratione impeditum esse debere. Ergo & illud manifestum est, & aetatem, & errorem, & mentis morbum consensui afferre impedimentum aliquod posse, atque obstare, quo minus testamentum validum sit, vimque suam exserat. In moribundis equidem plerumque mentis vis, siue dolorum vehementia,

tia, siue mortis imminentis metu atque terrore, imminuitur, vt non tam exacte, quid rebus aut suis aut aliorum expediat, dispicere possint, quam vt corpore ita animo quoque valentes. Quae quidem res Platonem (q) induxit, ad testamenta prorsus reiicienda, tanquam profecta ab illis, qui iusta deliberatione, in rebus magni momenti summopere necessaria, vti non potuerint. *Singuli*, inquit, *multa & inter se diuersa & legibus & viuentium moribus, & suis ipsorum maioribus contraria statuerent, priusquam testamentum condere vellent, si quis potestatem dabit, ita simpliciter ratum esse testamentum, quodcunque quis disponat, quomodocunque affectus ad finem vitae. Stolidi enim & fracto quodammodo animo praediti sumus plerique, cum iam morituros nos esse putamus.* Neutiquam tamen ex eo omnia reiicienda sunt testamenta. Praeterquam enim quod nonnulli ad extremum vsque vitae halitum iustum animi retineant robur, vt, quid faciant, quidue constituant, accurate pensi habeant, occurri etiam huic incommodo alia ratione potest, si quis scilicet testamentum condat, priusquam aut in morbum incidat, aut hic ita ingraueſcat, vt mentis nimis debilitentur vires. Interim lubentissime fateor, si dubium aliquod hic oriatur, quaenam

(q) *l. II. de legibus p. m. 347.*

quaenam vera ſeriaque ſit teſtatoris voluntas, ea, quam corporis animique viribus pollens declarauit, an vero illa, quam proſtratis viribus, metuque & doloribus obrutus, prodidit, illam, modo aliae non obſtent rationes, huic longiſſimo interuallo eſſe anteferendam, profiteor lubens atque aſſero.

§. XXXV. Vt autem intellectus per aetatem, errorem, morbum, ita voluntas per coactionem atque metum impediri poteſt, quo minus teſtator rite conſenſiſſe dici queat. Varia equidem ratione id fieri poſſe non dubitabit, qui vtcunque hominum, aliorum bonis inhiantium, vel alias ob cauſas voluntates morientium ad ſe flectere annitentium, perſpectos exploratosque habuerit mores. Sic vt ex infinitis modis vnicum ſaltem proferamus, ponamus ſacri ordinis virum, auctoritate & eloquentia pollentem, cuius magnopere interſit, Titium a teſtatore heredem ſcribi, ſciat autem, iam firmiter conſtitutum eſſe teſtatori, Pomponium heredem bonorum ſuorum inſtituere: accedat itaque ad aegrotum extremam iam ſibi inſtare horam ſentientem, conquiſitisque vndique rationibus probare adgrediatur, non poſſe ſine iniuria praeteriri Titium, immo grauiſſime teſtatorem ſe obſtricturum ſcelere, ſi Tirio praetermiſſo,

Digitized by Google

Pomponium heredem ſcribere perſeueret: „poſtulare hoc eccleſiae ſacrique ordinis „ſalutem, ad quem ſibi deuinciendum ſi „quid praetermittat, grauiſſimas acerbiſſi- „masque poſt mortem illi luendas eſſe poe- „nas: contra certiſſimam promptiſſimam- „que iram Numinis placandi, delictorum- „que omnium impetrandi veniam, viam „eſſe, ſi ea agat, conſtituatue, quae his, „ſacri inquam ordinis viris, grata ſint, „quaecque ad preces pro eius ſalute tanto „ardentius fundendas eum concitare pos- „ſint: denique ſiſtendum eum eſſe prope- „diem coram Numinis, ſeueriſſimi iudi- „cis tribunali, vt ſententiam de vita recte „aut male acta audiat: non autem eſſe, vt aut „aequum iudicem, aut exoptatam ſibi pro- „mittat ſententiam, ſi Chriſti miniſtris, „quos vnice in oculis ferat, repugnet. Opti- „ma contra laetiſſimaue quaeuis ſperanda „eſſe, ſi horum commendatus Deo preci- „bus decedat. Si, inquam, haec ſimilia- ve orator aliquis aut ſacerdos ad pietatis ac ſanctitatis ſpeciem compoſitus, & quem- vis integris corporis animique viribus prae- ditum fallere aptus, ingenti zelo atque cla- more inculcet, credisne, libeſam diſponen- di facultatem miſero tunc relictam? Quan- tam vim religionis habeat perſuaſio in ani- mis mortalium, nemo ignorat, praeſertim

eo

eo tempore, quo transeundum est aut ad aeterna gaudia, aut ad aeternos cruciatus. Metum itaque atque terrorem in animo aegroti oriri necesse est maximum, qui vt caliginem intellectui offundit, ita voluntatem constringit, impeditque, vt impetu velut abripiatur ad illud approbandum, quod elicere iste, qui terrorem hunc incutit, cupit. Neque est, quod forte excipias, metum non tollere libertatem voluntatis, nec adeo consensum impedire. Scio enim, praestantissimos quosdam viros in hanc ingressos esse sententiam: sed addendum quoque fuerat, quod iidem adiiciunt, non omnem metum voluntati libertatem eripere: id quod & nos libenter concedimus: ast eripere omnino metum grauiorem, terrore nimirum cum animus percellitur, cumque, quod necessario fieri oportet, cogitationes ita confunduntur, vt approbet, quae nec satis intelligit. Accedit vero, quod in testamentis non qualiscunque consensus sufficiat, qualis forte cum metu isto consistere posset, sed quod plenus consensus, liberrimaque voluntas requiratur. Certe talis esse semper debet voluntas in omni dominiorum atque imperiorum translatione. Id quod ciuilis quoque iuris auctores interpretesque sedulo inculcant, *debere voluntatem esse liberam, non coactam, aut impor-*

tunis sollicitationibus expressam, nec pendere ex alieno arbitrio, aut conferri in alterius voluntatem, &c. (r)

§. XXXVI. Consensus itaque si plenus testatoris adsit, necesse quoque est, vt rite illis, quorum interest, innotescat. Enimvero cum consensus actus internus sit, manifestum est, nullam eius vim aut efficaciam esse, nisi eo modo declaretur, vt omnibus constet, hoc, nec aliud quidpiam, testatorem voluisse. Et sane eam consensus voluntatisque declarationem multis variisque fraudum generibus obnoxiam esse, nemo diffitebitur, nisi qui rerum humanarum, artiumque, quibus aut ad magnas opes, aut ad regna quoque atque imperia, grassari improbi solent, plane est imperitus. Nec inveniri temere vlla ratio declarandi vltimam voluntatem potest, quae omnia ista improborum declinare stratagemata possit. Scripturam viua voce & diuturniorem, & securiorem esse, fatentur omnes· videturque nulla fraus subesse posse, si testator aut manu sua testamentum scribat, aut ei ab alio scripto subscribat. Quid vero tum, si quis summus fraudum politicarum artifex manum testatoris imitetur? Si supprimat verum testamentum, atque supponat aliud, illudque pro vero venditet? Testes, in-

(r) *vid. Richterus decis. XXVII. n. u. Meuius ad ius Lub. lib. II. tit. I. artic. IV. n. 28. seqq.*

inquis, adhibendi sunt. Adhibeantur: Sed si quis testatorem inducat callida persuasione ad eiusmodi testes adhibendos, quorum fides venalis sit, quique ad quidvis obstricti illi sint, qui immutare testamentum ad suas cupiditates sibi non ducit religioni? Et quis vero omnia fraudum percenseat genera? Cape autem adhuc, nisi molestum fuerit, hoc exemplum. Si quis auro corruptus, aut aliis rationibus inductus, euertere testamentum aliquod cupiat, occasionemque is captet, vt solus moribundo adsit, simul vero ex amicis sociisque praesto esse iusserit, qui testes actui huic adesse debeant, callide autem remoueantur, quos is forte non addictos suis partibus suspicatur, tum vero iubeat aegrotum suam declarare voluntatem, sed scribam ea scribere, de quibus iam ante inter eos conuentum: quis testamentum hoc in dubium vocet? quis fraudis suspicionem animum suum subire patiatur? Fallor autem magnopere, aut saepius haec luditur fabula. His equidem similibusue fraudibus suis ritibus & solennitatibus obuiam ire voluerunt leges ciuiles: ipsaque ratio dictitat, omnia ea adhibenda esse praesidia, quae ad fraudes eiusmodi euitandas fuerint necessaria: sed quam parum hisce omnibus contra improborum calliditatem

proficiatur, res ipſa & experientia quotidiana docet. Interim ſi fraudum eiusmodi ſuſpicio enaſcatur apud eum, cuius refert, teſtamentum aliquod non eſſe conditum, vitio illi verti non debet, ſi paulo accuratius inquirat in omnes περιστάσεις, vt adeo de defuncti voluntate certus reddatur.

§. XXXVII. Romani, vt teſtamentorum religioni conſulerent, varias iis addiderunt ſolennitates: ſimul tamen ne illis hae conſtitutiones fraudi eſſent, quibus forte non conceſſum erat, omnes illas ſolennitates obſeruare, codicillorum vſum introduxerunt. Codicillorum enim nomine iuris peritis vltima voluntas minus ſolennis venit, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, excepta heredis inſtitutione. Ius naturae hoc diſcrimen teſtamenti & codicillorum equidem ignorat, Interim cum teſtamenta ſolemnia minus obnoxia cenſeantur eſſe fraudibus & corruptionibus, quam codicilli: ita ratio dictitat, in tantum his illa eſſe praeferenda, in quantum tutiora certioraque minus tutis incertisque anteponenda eſſe, quiuis, vel mediocriter ratione ſua vtens, intelligit. In codicillis itaque vti ſemper maius fraudum atque corruptionis periculum, praeſertim ſi in illis aliquid dispoſitum ſit, quod teſtamento antea condito, aut etiam voluntati teſtatoris per ſigna haud

haud dubia declaratae, repugnet: ita minorem quoque promerentur fidem, accuratiusque ſubire examen debent, priusquam admittantur. Multo itaque magis, longeque diligentius in illis ea omnia conſideranda ſunt, quae de teſtamentorum deprauationibus ſupra diximus. Immo ſi ſigna valde probabilia conſpirent, ad fraudis & corruptionis eos conuincendos, tanto facilius reiici atque pro irritis declarari poſſunt, quanto minoribus veritatis & ſinceritatis praeſidiis inſtructi ſunt, quam teſtamenta ſolennia.

§. XXXVIII. Denique & hoc ratio dictitat, atque natura exigit, ne alterius ius quaeſitum per teſtamentum laedatur, immo eiusmodi teſtamentum, ſaltem in quantum alterius ius quaeſitum laedit, nullum irritumque eſſe iubet. In promptu ratio eſt, quia nemo transferre in alium poteſt, niſi quae in eius poſita ſunt poteſtate. Aſt in quae alteri iam aliquod ius quaeſitum eſt, ea in teſtatoris poſita poteſtate neutiquam dici poſſunt. Atque hoc Romani quoque iuris auctores interpretesque iudicant, dum teſtamentum vocant voluntatis noſtrae *iuſtam* ſententiam, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit: & Iuſtinianus imperator in omnibus quidem voluntatem teſtatoris, ſed quae *legitima eſt*, dominari debe-

Digitized by Google

re censuit. Iusta nimirum debet esse voluntas: hoc est, primo nihil velle debet testator, quod legibus repugnat: id namque per se irritum est. Intelligendum hoc de legibus tum diuinis, tum humanis, si ciues spectes; sin imperantes principesque, tantum de diuinis, quippe quibus tantum obstringuntur. Adeoque quicquid princeps, vel qui eius personam forte sustinet, legibus diuinis aequitatique naturali contrarium decernit, hoc statim per se suaque natura nullum & irritum existimandum est. Huc etiam refero leges fundamentales regni aut imperii, quas si testamentum principis euertat, idem omnino de eo est existimandum. Imo audeo & hoc addere, si summus imperans aut princeps in testamento suo aliquid disponat, quod saluti gentis regnique aduersum sit, ego quidem tale testamentum iniustum esse pronuncio. Esto exemplum: Accersat princeps in testamento suo successorem ex gente suis subditis magnopere inuisa, quippe si imperium capessat, bella externa & interna, aliaque grauissima incommoda metuenda sint, vtque adeo manifestum sit, eum non tam regni populique saluti, quam suis aut aliorum cupiditatibus consuluisse, an hocce testamentum, si cetera etiam recte se habeant, iustum validumque sit? dis-

Digitized by Google

diſputari adhuc omnino poſſet. Scio equidem, non ſtatim quod iniuſtum eſt, etiam eſſe irritum ſiue nullum. Sed tale teſtamentum, quod non iniuſtum modo, ſed irritum, hoc eſt, non validum quoque ſit, ſequenti modo, ni fallor, euincere poſſum. Quando populus principi in regno patrimoniali (de hoc enim tantum ſermo eſt: nam in legitimis teſtamenta principum ſine conſenſu populi ſemper irrita ſunt) facultatem conceſſit, teſtamento aut alia ratione regnum abalienandi, vel in alium transferendi, ea id lege feciſſe cenſendus eſt, vt regni ſimul ſemper haberet tationem, nec facultate iſta in regni perniciem vteretur. Quis enim crederet, tantam in populum cadere dementiam poſſe, vt ea rata vellet eſſe, quae in ſuam pernicieem non poſſunt non vergere. Ergo non credat princeps, hanc poteſtatem in infinitum ſibi conceſſam eſſe, vt ea pro lubitu vti poſſet: ſed exiſtimet, eam ex fine eſſe metiendam, & ex ſalute populi certos illi conſtituendos eſſe limites. Quare ſi quid agit, quod huic fini, ſaluti populi regnique incolumitati, repugnat, limites poteſtatis ſuae transgreditur, facit quod facere non poterat, adeoque quod in ſe & ſua natura irritum eſt. Atque hoc a nobis euincendum erat. De iniuſtitia autem horum teſtamentorum nemo dubitat.

§. XXXIX. Praeterquam vero quod princeps hoc modo populi ius laedat, aliorum quoque, liberorum scilicet, aut cognatorum iura laedere potest. Hi vero duplici ratione aut in regnum ipsum, aut in bona regis ius aliquod sibi asserere possunt, primo quidem ex successione ab intestato, deinde per pacta & conuentiones. Enimuero ad successiones ab intestato quod attinet, quoad priuatorum quidem bona hereditatesque, itemque in regnis patrimonialibus, non ex alio fundamento, quam ex voluntate tacitoque consensu defuncti, eas deriuari posse censeo, qui tamen rite interpretandus est, ne aequitati naturali repugnet. Ast in regnis legitimis hic iterum ad populi consensum voluntatemque recurrendum est. Quotiescunque enim regnum familiae alicui defertur, ea lege defertur, vt omnes posteri ex hac familia progignendi, eo ordine, quem populus aut expresse in legibus fundamentalibus, aut tacite in consuetudine recepta, praescripserit atque approbauerit, succedant. Si quem itaque iuxta nascendi conditionem hic ordo, populi constitutus voluntate, tangat, is simul hoc ipso ius adipiscitur, regis sane auctoritate, aut testamento aliquo, neutiquam illi iterum eripiendum. Namque in regnis legitimis regi neutiquam fas est, ab isto ordine,

Digitized by Google

ne, ſemel recepto atque introducto, recedere. Patet autem, nos ſupponere, quod heres ab inteſtato iure ſuo nondum exciderit: quod renunciatione, aliisque modis fieri poteſt. Etenim ſi iure ſuo excidit, velut pro mortuo habetur, adeoque in ius eius ſuccedit, quem poſt illum, iuxta regni leges ac conſuetudines, ſuccedendi ordo tangit. Immo ſi princeps tum eum, qui iure ſuo excidit, praeterito poſteriori, qui hoc ipſo ius aliquod adeptus eſt, heredem ſcribat, iniuſtum eſt teſtamentum atque irritum. Iniuſtum quidem, quia eripere aliquid tertio auſus eſt, quod tamen iam is ſibi vindicare poterat. Illi enim, qui iam iure ſuo exciderat, nulla fit iniuria, ſi praetereatur, cum nullo amplius iure gaudeat. Irritum vero etiam eſt: quoniam diſponere auſus eſt de rebus alienis. Quemadmodum itaque omnium confeſſione & donationes rerum alienarum vanae ſunt, & irriti contractus ſuper rebus alienis initi, ita de teſtamentis eiusmodi idem eſt exiſtimandum.

§. XL. Atque hinc diiudicari poſſunt, quae de exheredationibus apud iuris interpretes tam operoſe disputantur. Cum enim quaeritur, an exheredari a principe aut filius aut proximus heres, quicunque ſit, poſſit, hoc, quod indicauimus, regnorum patrimonialium & legitimorum diſcrimen,

men omnino eſt obſeruandum. (s) In regno namque patrimoniali, aeque ac in bonis priuatis, ſola patris voluntate exheredari filius poteſt, regnumque ad alium transferri, modo delictum tam graui poena dignum admiſerit, regnique aut populi ſalus iſta exheredatione in periculum non adducatur. Sine graui enim cauſa aliquem aut bonis aut ſpe ſucceſſionis priuare, inhumanum eſt, & naturali aequitati repugnans. Vnde & in iure ciuili ob iniquam exheredationem querela inofficioſi teſtamenti conceditur. Populi autem regnique ſalutem ſemper fundamenti loco ponendam eſſe, per ſe patet. In regnis autem legitimis tota res iterum ad conſenſum populi redit. Quemadmodum enim filius, ceterique cognati ins ſuccedendi in eiusmodi regnis, non a voluntate patris, ſed a voluntate atque conſenſu populi habent, ita non patris, ſed populi conſenſu atque iudicio, hoc illis adimi poteſt. (t) Populus itaque ſolus eum exheredare, ſucceſſioneque indignum pronunciare poteſt.

§. XLI. De pactis atque conuentionibus quid ſentiendum ſit, nemini obſcurum eſſe

(s) *vid. H. Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. VII. §. XXV.* (t) *conf. Io. Fridericus Hornius in polit. architecton. lib. II. cap. IX. §. XV.*

esse potest. Supponimus autem iterum eos, qui eiusmodi pacta ineunt, facultate quoque pacisendi fuisse instructos. Ceteroquin enim pacta per se irrita nullum alteri conferre ius possunt. Ast si firma rataque sint, nullo modo per testamentum iterum eripi potest, quod per pactum est concessum. Hinc bona pactis familiarum comprehensa, neutiquam testamentorum dispositioni subiecta esse, ciuilis quoque iuris doctores statuunt. Quod argumentum prolixius pertractat Nicolaus Betsius. (u) Confraternitatum quoque, inter illustres Germaniae familias institutarum, hoc euincit ratio: quippe quarum ea vis est, vt omnium iudicio irritum futurum sit eius principis testamentum, quod hisce familiarum illustrium pactis repugnaret. Et recte quidem; pactorum enim nullus vsus amplius, nulla efficacia foret, si, quae per ea concessa sunt, liceret per testamentum iterum eripere. Accedit, quod voluntas ea semper irrita sit, quae voluntati priori, nullo vitio laboranti, e diametro aduersatur.

§. XLII. Controuersia quidem haec carebunt, si is ipse, qui pacto aut conuentione aliquid concessit, deinceps testamento in alium illud ius transferre annitatur. De

(u) *de pactis famil. illustr. cap. IV. & V.*

De eo tamen adhuc dubitari poſſit, an princeps anteceſſorum ſuorum pactis, aut etiam teſtamentis, teneatur. Ad pacta equidem quod attinet, non temere quisquam reperietur, qui hoc vocare in dubium auſus fuerit, modo nullum pactis adhaereat vitium, praeſertim, modo ſaluti regni populique non repugnent. Hugo Grotius, (x) vt eo accuratius rem iſtam expediat, ad patrimonialium atque legitimorum regnorum discrimen, ſaepius a nobis inculcatum, hac etiam vice recurrit. Aſſerit namque, eum, qui in regno patrimoniali ſuccedit, omnino teneri iis pactis, quae ipſi regno bonisque, in quae ſuccedit, inhaerent, quaeue realia ideo dici ſolent. Et ratio ſane hoc dictitat, cum ea demum conditione ad ſucceſſionem admittatur, vt onera quoque ei adhaerentia ſubeat. Saltem iniquiſſimus mortalium eſſet, qui commodum ſolum capere, incommoda autem cum eo connexa detrectare vellet. Ad legitima autem regna quod attinet, ad populi iterum reſpiciendum eſt conſenſum: & hic ſi expreſſus non adſit, aeſtimandus eſt ex ſalute & conſeruatione regni. Rata nimirum habere cenſetur ciuitas, quaecunque princeps aut imperans agit, modo e diametro ſaluti populi non aduerſentur. Certe cum princeps re-

(x) *lib. II. cap. XIV. §. X. ſeqq.*

regnum administrare nequeat, nisi potestate valide, & cum effectu post mortem quoque suam duraturo, paciscendi instructus sit, hanc populus illi neutiquam denegare potest, cum ineptum sit, finem velle, nec tamen consentire in media, quae ad finem istum consequendum sunt necessaria. Ergo si princeps eiusmodi vel maxime moriatur, pactum tamen non exspirat, cum, quicquid in negotiis ad regnum spectantibus egit, velut ex consensu atque voluntate regni populique egerit. Quamdiu autem non alius rex in eius locum substituitur, tamdiu populus ipse & iura & obligationes in se recipit, easque iterum transfert in nouum regem, quem succedendi ordo tangit. Atque hoc est, quod Hugo Grotius inhuit, (y) dum affert, in regnis patrimonialibus regem ex pacto antecessoris sui obligari *immediate:* in legitimis autem *mediate*, mediante scilicet populo. Quicquid autem huius sit, sufficit, quod obligetur, adeoque quod per testamentum suum, ius tali pacto aut conuentione alteri quaesitum, nullo modo iterum aufferre queat. In testamentis res eodem modo se habet. In regnis namque patrimonialibus si quis princeps testamento constituerit, quinam & quo ordine sibi inuicem succedere debeant, successor stare hac dispositione tenetur, nec la-

(y) *l. c.*

latum ab ea discedere vnguem potest. Namque regnum per testamentum ea demum conditione adeptus est, vt antecessoris voluntatem expleret: quod si intermittit, se ipsum iure regni excidisse, nec de regno, vti nec de reliquis bonis, quae hereditario iure accepit, quicquam disponere posse, demonstrat. In legitimis regnis ad eiusmodi testamentum aut consensus populi, vel procerum, qui populum repraesentant, accessit, aut non accessit: si non accessit, testamentum nullam vim habet, adeoque successor eo non obligatur: sin accessit, tamdiu successor eo tenetur, quamdiu populus sententiam non mutat. Multo itaque minus sine consensu populi testamentum condet, quo forte antecessoris testamentum, iam populi consensu firmatum corroboratumque, infringere atque labefactare sustineat. Quod si fecerit, vix aliud sibi pollicere poterit, quam vt vanum habeatur ab omnibus eiusmodi testamentum, irritumque, & omni destituatur effectu. Huc ergo cuncta redeunt: si testamentum principis nullo vitio laborauerit, eo omnino tenetur eius successor: sin contra, aut is facultate testandi fuerit destitutus, aut eam, vltra quam par fuit, extenderit, aut aliud aliquod vitium ei adhaereat, successor

ceſſor non tenetur. Cuius rei illuſtre exemplum de Alexandri M. teſtamento apud Diodorum Siculum, (z) & de Caſimiri, Poloniae regis, teſtamento apud Martinum Cromerum, (a) occurrit. Et haec quidem, quae hactenus de principum teſtamentis generatim diſſeruimus, tam clara ſunt, niſi nos omnia fallunt, tamque manifeſta, vt rationi ipſi bellum indicere videatur, qui ea aut infringere, aut vocare in dubium annisus fuerit. Plura adduci potuiſſent, ſed haec ad noſtrum, quod nunc porro proſequemur, inſtitutum, ſufficere putamus.

(z) *Lib. XVIII. p. 588.* (a) *p. m. 661.*

CAP. II.

DE TESTAMENTO CAROLI II. HISPANIAE REGIS.

Σύνοψις.

Carolus II. Hiſp. R. condit teſtamentum, §. I. quod tamen ipſi Galli, ex pacto cum Britannis Batavisque inito, non poſſunt habere pro valido, §. II. An legitimum ſit, itemque an ſit vtile? disquiritur, §. III. Non poteſt eſſe legitimum aut validum, ſiue formam ſpectes, ſiue materiam, §. IV. Coniectura prima, quod conſenſus regis non adfuerit, §. V. coniectura ſecunda, §. VI. Regem

Hiſpaniae non potuiſſe genti Auſtriacae ius quaeſitum in Hiſpaniam teſtamento ſuo eripere, §. VII. In Hiſpania obtinere ſucceſſionem linealem cognaticam, conceditur, §. VIII. Aſt iuxta eam ſucceſſio debetur genti Auſtriacae, §. IX. Renunciationes iure naturae ſunt validae, §. X. nec obſtat ius ciuile, §. XI. Maria Thereſia ita renunciauit iuri ſuo in Hiſpaniam, vt nulli cauillationi locus eſſe poſſit, §. XII. Quaenam fuerit intentio eius, dum iuri ſuo renunciauit, §. XIII. Ad mentem potius quam verba renunciantis reſpiciendum eſſe, conceditur, §. XIV. An Maria Thereſia intellexerit iura ſua, quibus renunciauit? §. XV. Delphinus an gaudeat iure repraeſentationis? §. XVI. Ius nondum natorum quodnam ſit? §. XVII. Reliqua argumenta, quae contra renunciationem afferuntur, refutantur, §. XVIII. Delphinum nec matris, nec auunculi ſui, heredem ratione Hiſpaniae dici poſſe, §. XIX. Teſtamentum Caroli II. ideo, quia alteri ius quaeſitum eripit, ipſorum Gallorum teſtimonio irritum eſſe probatur, §. XX. Cauſam renunciationis hodie ceſſare, Gallus quidam putat, §. XXI. ſed errat magnopere, §. XXII. In cauſam renunciationis, quae ab auctore iſto ſupponitur, vlterius inquiritur, §. XXIII. Per ſucceſſionem ducis Andegauenſis Galliae & Hiſpaniae coniunctio non impeditur, §. XXIV. Caroli II. teſtamentum ex eo etiam irritum eſt, quod teſtamento Philippi IV. repugnet, §. XXV. item-

itemque legibus regni Hiſpanici, §. XXVI. De feudis regni Hiſpanici tractatio inſtituitur, §. XXVII. Ducatum Mediolanenſem eſſe feudum imperii, §. XXVIII. exceptio Gallorum, §. XXIX. Ad eam reſpondetur, §. XXX. De Belgio Hiſpanico diſquiritur, §. XXXI. itemque de regno Neapolitano, §. XXXII. De vtilitate huius teſtamenti quid ſentiendum, §. XXXIII. Noxium illud eſſe probatur, & primo quidem ipſis Hiſpanis, §. XXXIV. Et Hiſpanorum etiam vicinis, §. XXXV. ſpeciatim Italis, §. XXXVI. Belgio foederato, §. XXXVII. quod porro demonſtratur, §. XXXVIII. Imperio denique Germanico, & aliis Europae regnis, §. XXXIX. Exceptio Gallici cuiusdam auctoris diluitur, & diſſertationi finis imponitur, §. XL.

§. I.

VIx per Ryswicenſem pacificationem pax reddita erat, atque quies, feſſis Europae rebus, cum ſtatim noui belli metum omnibus iniiceret infirma Caroli II. Hiſpaniarum regis valetudo. Prole enim cum eum deſtitutum viderent, cumque ſimul animaduerterent, ſereniſſimae Auſtriacae genti per Galliae regem haud concedendam quietam regni huius poſſeſſionem, ſtatim colligere poterant, vix aliam viam litem dirimendi ſupereſſe, quam vt belli euentui committeretur. Huic, vtpote florentiſſimis regnis rebusque publicis perni-

ciem vltimam allaturo, vt obuiam irent, Britanniae rex Belgiique foederati proceres, inducí se pasſi ſunt, vt cum Galliae rege Hiſpanicas ditiones ea ratione diuiderent, qua id rebus ſuis, tranquillitatique Europae, quam maxime expedire rati ſunt: non malo quidem, vti credere par eſt, conſilio, aſt exemplo neutiquam probando. Quo animo Carolus, Hiſpaniae rex, hanc diuiſionem exceperit, coniectura quilibet facile aſſequi poteſt, cui humani ingenii non prorſus ignota eſt conditio. Auſtriaca ſane gens eam vt iniquam palam repudiare, Galli contra defendere, omnique ſtudio anniti, vt alios quoque principes atque respublicas in diuiſionis huius ſocietatem pellicerent. Hisce, contrariis vtique, Auſtriacorum atque Gallorum, ſtudiis dum Europa feruebat, nunciique de regis Hiſpaniae valetudine diuerſiſſimi mox ad ſpem anxios ſollicitosque animos erigerent, mox novum metum incuterent, morte praematura mortalium rebus Carolus eripitur, ſtatimque fama, de Andegauenſi duce herede in teſtamento regis inſtituto, per vniuerſum orbem circumuolitat. Productum tandem illud teſtamentum promulgatumque fuit, perſpicaciſſimis tamen etiamnum dubitantibus, oculisque ſuis vix habentibus fidem, certe

certe accuratiori rem tantam indigere inquisitione profitentibus.

§. II. Equidem quod de ditionum Hispanicarum dictum est diuisione, a Gallis ante Caroli regis obitum instituta, id nunc ad nos non spectat. Facere tamen non possum, quin duo hic obseruem momenta, a nostro, quod suscepimus, instituto non prorsus, vti puto, aliena. Primum illud est, quod luculenter inde appareat, Gallos de iure suo in Hispaniae regnum tum omnino, vt quam mitissime loquar, dubitasse, aut saltem credidisse, non adeo firmo hoc niti fundamento. Certe si credidissent, ius aliquod in Hispaniam sibi competere, nullam video causam, cur non totum potius imperium, quam partem saltem eius, sibi asseruerint. Quamcunque autem afferant causam, illa cur nunc etiam locum habere nequeat, non video. Namque ad testamentum regis quod attinet, id quod alterum nostrae obseruationis caput est, ex eadem diuisione colligitur, Gallos aut existimasse, Hispaniae regem nullum, quod validum esset, condere posse testamentum, aut iam tum illis constitutum fuisse a pacto cum Angliae rege, Belgicaque republica inito, discedere, quotiescunque hoc commodorum suorum iuberet ratio. Posterius si illis tribuatur, haud dubio aegre ferent;

neceſſeque adeo eſt, vt admittatur prius, exiſtimaſſe ſcilicet eos, nullo teſtamento hanc diuiſionem labefactari, aut irritam reddi potuiſſe. Id vero eſt, quod me capere non poſſe, lubens profiteor, cur teſtamentum regis Hiſpaniae validum eſſe debeat, dum fauet Gallis, idem vero irritum futurum fuiſſet, ſi eo aliquis ex ſereniſſima gente Auſtriaca ſucceſſor in omnes Hiſpanici imperii ditiones deſignatus fuiſſet. Haec autem aliis accuratius diſcutienda relinquimus.

§. III. Ad rem ipſam vt accedamus propius, duo conſtituemus noſtrae diſceptationis capita; vnum erit, an hoc Caroli II. Hiſpaniarum regis teſtamentum validum ſit, & an ſereniſſimae genti Auſtriacae, ius, quod in vniuerſum regnum Hiſpanicum habet, eo fuerit ademtum? alterum: an vtile hoc teſtamentum cenſeri debeat, tum ad ipſius regni Hiſpanici, tum etiam ad Europae vniuerſae tranquillitatem conſervandam, felicitatemque promouendam? Placet enim eidem methodo inſiſtere, qua ad teſtamentum hocce defendendum, vſus eſt auctor ſchediaſmatis gallico ſermone ſcripti, cuius titulus: *Lettres ecrites d' Anvers par Mr. N. a M. P. en Hollande, ſur le teſtament de Charles II. Roy d' Espagne.* Huius etiam cumprimis animus eſt, diluere cauillationes.

§. IV.

§. IV. Multa autem cum animo meo ſe offerant, quibus euincere poſſem, effectu ſuo hoc teſtamentum deſtitui: ad duo tamen itidem ea reuocabo capita. Nonnulla enim certa facta, hiſtoriamque teſtamenti ſupponunt, eaque argumenta a nobis tantum pro hypotheticis venditantur, euadent tamen certiſſima, ſi aliquando teſtamenti huius hiſtoria luculentius in lucem proferatur. Alia contra abſolute & plane euincent demonſtrabuntque, licet teſtamentum id factum ſit, prouti factum fertur, illud nihiloſecius inualidum eſſe & irritum, nec vllo modo iuribus ſereniſſimae gentis Auſtriacae obſtaculum aliquod adferre. Aut ſi vocibus in ſcholis receptis vti liceat, primo circa formam teſtamenti nonnulla monebimus, deinde materiam conſiderabimus, atque euincemus, talia diſponi in hoc teſtamento, quae neutiquam in regis fuere poteſtate.

§. V. Nimirum ad hiſtoriam teſtamenti quod attinet, arcana aulica rimari noſtrum non eſt: interim non deſunt grauiſſimae dubitandi cauſae, an iis conditionibus gaudeat hoc teſtamentum, quibus etiam ex iure naturae munitum eſſe debet teſtamentum principis, ſi quidem validum eſſe debeat, vti in capite praecedenti demonſtrauimus. Nihil temere hic aſſerimus: non

tamen nefas fuerit, quasdam circumſtantias hiſtoricas annotaſſe, quae quo pacto cum hoc teſtamento conciliari poſſint, alii videant. Primo itaque illud non praetermittendum, quod Carolus rex non potuerit non alieno valde a gente Borbonica eſſe animo, ſiue bella continua Gallos inter & Hiſpanos geſta, ſiue Gallorum conſilia ad Hiſpaniae monarchiam labefactandam, ſereniſſimamque gentem Auſtriacam opprimendam vnice tendentia, ſiue denique vltimum iſtud pactum, de monarchia Hispanica diuidenda, cum ſumma defuncti regis ignominia atque contemtu coniunctum, ſpectes. Haec itaque omnia an Hiſpaniae rex tam facile concoquere potuerit, vt ea gente, quae non tantum communem cum eo originem agnoſcit, & quae nunquam fere non eosdem & amicos & inimicos cum Hispaniae regibus habuit, amicitiam etiam cum defuncto rege ſancte coluit, praeterita, praeferre ei non dubitauerit gentem, quae in his omnibus aliter ſe geſſerat? iudicent, quorum vacuus praeiudicatarum opinionum eſt animus. Sufficit, inquis, quod praetulerit: fruſtraque adeo diſputatur, quid facere potuerit. Immo vero haec eo tendunt, vt, an factum ſit, & quomodo factum ſit, diligentius adhuc inquirendum eſſe oſtendatur. Namque vbi

res,

res, quae facta dicitur & non fieri potuit, aut aliter fieri, quam debeat, ibi hoc argumentorum genus, quo disquiritur, quid fieri potuerit, non negligendum esse, per se manifestum est. Rursus excipis, omnes istas rationes, quae animum regis aut a gente Borbonica abalienare, aut ad gentem Austriacam flectere potuerint, cessisse vtilitati reipublicae. Boni enim regis esse, non ad priuatas aut odii aut amoris causas, sed ad gentis cui praeest salutem, vnice respicere. Fateor, hoc esse boni regis officium. Nec aliud quid de Carolo II. Hispaniae rege mihi persuadeo: quem boni, immo optimi principis titulo nomineque dignum esse, largior. Sed an Hispanici regni salus aut conseruatio eam succedendi rationem postulet, quam testamentum illud constituit, id vero est, quod vix ac ne vix quidem mihi persuadere possum. Sed hac de re deinceps ex instituto.

§. VI. Altera circumstantia historica, eaque minime negligenda, est, quod Ludovicus Portecarrerus, cardinalis, Gallicanis partibus palam addictus, ad testamentum hocce a rege eliciendum, plurimum conferre potuerit. Nolumus in quemquam iniurii esse, aut quicquam de alicuius fama aut existimatione detrahere, multo minus audemus hoc illi imputare, quod aut

fraudulenter teſtamentum hocce ſubſtituerit, aut variis perſuaſionum generibus regem, in vltimo vitae articulo conſtitutum, callide ad eiusmodi quid faciendum, induxerit: licet id facile contingere potuerit: ſed hoc ſaltem aſſerimus, cardinalem iſtum a ſuſpicione iſta vix liberari poſſe, partim ſi conſideremus, quo animo & erga Auſtriacos & ergo Borbonicos fuerit rex Carolus, partim qua auctoritate polleat cardinalis, quamque ſe fauentem Gallicis auſibus demonſtrauerit, partim etiam ſi expendamus, quam facile animi aegrotorum conturbari, & ad aliquid decernendum induci poſſint, quod, ſi mente corporeque valuiſſent, nunquam admiſſuri fuiſſent. Ergo, cum, vt ſupra demonſtratum, teſtamentum inualidum ſit, niſi liberrimus adfuerit conſenſus, liquido conſtat, merito de teſtamento, an rite ſe habeat, dubitari poſſe, quamdiu cauſae, de libero teſtatoris conſenſu dubitandi, adſunt. Has vero in teſtamento Caroli II. Hiſpaniae regis adeſſe, cœcus ſit oportet, qui non agnoſcat. Accedit vero, quod pro teſtamento minus ſolenni, ſi famae publicae credendum, eius diſpoſitio, ſaltem quoad ſucceſſionem, habenda ſit. Licet enim ſummi imperantes iuris ciuilis ſolennitatibus non teneantur, quoties tamen fraudis ſuſpicio ſubeſt, hanc magis confirmari,

ſi

ſi ſolennitates abſint, quam ſi adhibitae fuerint, itidem in praecedenti capite prolixe a nobis demonſtratum eſt.

§. VII. Poſſemus multa alia eiusdem generis adiicere, ſed accedendum nobis tandem eſt ad caput cauſae atque argumentum praecipuum, quo ita hoc negotium conficiemus, vt nemo reponere quicquam poſſit, niſi quem tanta ceperit dementia, vt rationi ipſi apertum indicere bellum non dubitet. Etenim ita arguo & ita rationes meas ſubduco: Si cui iam in regnum aliquod ius quaeſitum eſt, id teſtamento principis aufferri illi nullo modo poteſt. Adeoque ſi nihiloſecius rex teſtamentum condere audeat, quo ius illud quaeſitum alterius labefactetur, inualidum illud eſt, atque ipſo iure irritum. Probatum hoc a nobis in praecedenti capite clariſſime eſt, vt verbum addere ſuperuacaneum foret. Nihil ergo aliud ſupereſt, quam vt demonſtremus, ſucceſſionem in regnum Hiſpaniae, omnesque ditiones ei annexas, ſereniſſimae genti Auſtriacae tam firmo iure deberi, vt nullo teſtamento hoc ei eripi potuerit.

§. VIII. Manifeſtum eſt & pueris etiam notum, duos fuiſſe Philippi I. Hiſpanicarum pariter ac Auſtriacarum ditionum domini & heredis, filios, Carolum atque Fer-

Ferdinandum, illum Hiſpanicae, hunc Auſtriacae lineae progenitorem. Manifeſtum etiam & ex natura ſucceſſionis clarum, ſi legitimi heredes in poſteritate Caroli deficiant, non poſſe non ſucceſſionem deferri ad poſteros Ferdinandi, eo ordine, quem ſucceſſio linealis, & quidem cognatica, requirit. Concedam enim nunc tantisper, quod auctor ſchediasmatis, quod paſſim circumfertur ſub titulo; *excerpta hiſtorico-politica de natura ſucceſſionis in monarchiam Hiſpaniae*, operoſe ex Ludouico Molina, Hugone Grotio, aliisque probare annititur. Magnopere enim fallitur, ſi cauſae gentis Auſtriacae hanc ſuccedendi rationem vel minimum obſtare putat, adeoque labore, iſta excerpta colligendi, facile ſuperſedere potuiſſet. Demonſtrabimus enim, firmiſſimo talo niti cauſam Auſtriacam, etiamſi haec ſuccedendi ratio admittatur. Interim non ſemper ab ipſis Hiſpanis hanc ſuccedendi rationem obſeruatam fuiſſe, non poſſumus non hic velut in tranſitu monere. Etenim cum Philippus II. regnum Portugalliae ſibi aſſereret, volebat videri, quod nihil expeteret, quod non legibus ſuccedendi in Hiſpaniae ac Portugalliae regnis receptis eſſet conueniens. Si ergo ſucceſſionis linealis habere rationem voluiſſet, debuiſſet citra controuerſiam Eduardi liberis, quos ex

Iſa-

Isabella Bragantina susceperat, cedere. Natura enim successionis linealis cognaticae requirit, vt inter fratres & sorores habeatur ratio primo sexus, tum aetatis, vti demonstrat Hugo Grotius. (a) Eduardus autem, cuius tum adhuc supererant liberi, erat frater Isabellae, matris Philippi, & adeo ex hac ratione illi omnino praeferri debuisset. Et nihilo secius tamen Philippus a plerisque iure consultis Hispanicis non creditus est quicquam commisisse, quod aut naturali iuri, aut receptis successionum legibus repugnaret. Sed quicquid huius demum sit, vt diutius hisce immoremur, necesse non est.

§. IX. Successioni itaque lineali cognaticae si porro insistere velimus, Philippum IV. equidem Hispaniarum regem praeter Carolum II. duas reliquisse filias, Mariam Theresiam atque Margaretham constat, quarum illa Ludouico XIV. Galliae regi, haec inuictissimo imperatori nostro Leopoldo nupsit. Ast vero cum Maria Theresia iure suo ob renunciationem, vt planissime deinceps euincemus, exciderit, ordo ratioque successionis linealis postulat, vt ad Margaretham Leopoldi coniugem, eiusque posteros, imperium deferatur. Cum vero Margaretha vnicam tantum reliquerit filiam, sereniſſimi electoris Bauariae coniugem,

(a) *lib. II. de I. B. & P. cap. VII. §. XXII.*

iugem, & cum filius ex ea progenitus mortuus, & ipſa quoque mater praematuro obitu rebus mortalium erepta ſit, haec quidem ita exſpirauit linea. Poſtulat ergo iterum ratio ſucceſſionis linealis, vt retrocedatur ad liberos Philippi III. Hic praeter Philippum IV. Hiſpaniae regem, ſucceſſorem ſuum, itidem duas filias ſuſcepit, Annam atque Mariam, quarum illa Ludouico XIII. Galliae regi, haec Ferdinando III. imperatori, in matrimonium data fuit. Sed de Anna Ludouici XIII. G. R. coniuge itidem conſtat, quod ſolenni ritu ſucceſſioni in regnum Hiſpaniae, omnibusque in id iuribus ſuis, renunciauerit. Suo ergo iure cum ita exciderit, in cenſum non venit. Ex Maria autem Annae ſorore natus eſt Leopoldus imperator, quem adeo iuxta naturam ſucceſſionis linealis cognaticae ordo ſuccedendi tangit. Quod ſi vero ne hoc quidem titulo iuris gauderet, recurrendum tandem, vt ſupra diximus, ad primos vtriusque lineae conditores eſſet: cumque in Hiſpanica nemo ſuperſtes ſit, qui vlla iuris ſpecie ſucceſſionem ſibi vindicare poſſit, praeter gentem iſtam Borbonicam, quae tamen iure ſuo excidit, nihil aliud relinqueretur, quam vt ex ſucceſſionis linealis indole ad lineam Auſtriacam ſucceſſio perueniret.

§. X.

§. X. Facile video, quid hic regeri queat. In his omnibus ſcilicet nos ſupponere, validam eſſe renunciationem filiarum regum Hiſpaniae, quae Galliae regibus nupſerunt, id quod tamen nondum euictum ſit. Fateor, hoc caput eſſe cauſae. Proinde nobis demonſtrandum eſt, vanum nullumque eſſe praeſidium, quod in eo Galli quaerunt. Enimuero in confeſſo apud omnes poſitum eſſe, arbitror, ius, quod conſenſu acquiritur, conſenſu etiam iterum amitti. Addamus & hoc. Ius, quod illi, qui ex familia regia prognati ſunt, in regnum praeſertim legitimum, quale eſt Hiſpania, habent, conſenſui vtriusque partis, populi atque illorum, qui ſpem ſuccedendi habent, vnice innititur. Quae autem vtriusque partis conſenſu acquiruntur iura, & contrahuntur obligationes, illa etiam iterum tolli poſſunt vtriusque conſenſu. In renunciationibus autem ſolennibus, quales ſunt, de quibus hic diſceptatur, vtriusque partis & omnium illorum, quorum intereſt, conſenſus adeſt: quis ergo dubitet, ius, ſi quod habet, qui ei renunciat, omnino amitti? Sane ſi quis renunciationibus rite inſtitutis vim ſuam atque efficaciam tolleret, is eadem facilitate & pacta, & contractus, & foedera, & quasvis conuentiones, quibus tamen vita ſocialis hominum carere nequit, proſcriberet. Vnde

de miror sane, quid in mentem venerit Francisco Hottomanno, (b) atque Dionysio Gothofredo, (c) dum renunciationes futurae successionis naturali repugnare asseruerunt aequitati. Forte sibi persuaserunt, iuris naturalis praeceptiui esse, vt liberi succedant parentibus, liberisque adeo acquirendi necessitatem a lege naturae esse impositam, qui tamen error est, in tantis minime ferendus viris. Iam vero si sciuerunt, successionem in bona parentum permissionem saltem esse atque beneficium iuris naturalis, qui fugere eos potuit, quod & iure ciuili sancitum est, in cuiusque arbitrio positum esse, beneficium pro se introductum contemnere, quippe quod & invito non obtruditur: cui & alia iuris ciuilis regula: omnes licentiam habere his, quae pro se introducta sunt, renunciare, accedit. Sed refragatur illis quoque totus sane iure consultorum ordo, praecipue autem, qui ex instituto de renunciatione commentati sunt, Iacobus Butrigarius, Paulus Galleratus, aliique.

§. XI. Iure quidem Romano renunciationes successionum improbatas fuisse, plurimi huius iuris interpretes tradunt, a quibus tamen cum Antonio Fabro, (d) Io. Strau-

(b) *conf. VIII.* (c) *in l. 3. C. de collat. verb. vt. t.*
(d) *dec. XIV. error. pragm. 1. n. 6.*

Digitized by Google

Strauchio, aliisque (e) dissentit illustris Strykius noster. (f) Barth. autem Kellenbenzius, qui ex instituto hoc argumentum pertractavit, dum iure ciuili renunciationi filiarum impedimentum aliquod positum esse observat, sequentes eius rei affert rationes: *quod nemo re sua debeat abuti. §. expedit. institut. de his qui sunt sui vel al. iur. Porro cum natura circa masculos & feminas pariter operetur, L. maximum vitium C. de lib. praeter. aequitati & charitati fraternae consultius esse, si successionis inaequalitas hac in parte cohiberetur*, & quae alia sunt eiusdem commatis. (g) Praeterquam vero quod iuris ciuilis dispositio, iuri naturali, quo solo principum actiones diriguntur, nihil derogare possit, rationes quoque allatae ita comparatae sunt, vt in regum ac principum renunciationibus vix locum inueniant. Si quae femina enim hac demum conditione regi aut principi in matrimonium collocanda sit, certe re sua abuti, neutiquam censenda est: praesertim si splendor familiae, si salus populi hoc insuper postulent. Eodem vero loco masculos & feminas habendos esse, perperam supponitur. Parentes liberis suis, siue masculis, si-

(e) *Exercit. IV. ad 50. dec. Iustin. in l. 35. §. 1. c. de inoffic. test. c. 2. n. 6.* (f) *de succes. ab int. dissert. VIII. cap. XII. §. XL.* (g) *quaest. II. n. XV. p. 31.*

ve feminis, iure perfecto nihil aliud praeter alimenta debent. In ceteris itaque si disponat aliquid, quod familiae aut regno maxime expedit, non peccant, etiamsi in hereditate inaequalitas quaedam deprehendatur. Eodem loco habendi sunt liberi, fateor, sed quantum reipublicae salus, aut aliae causae grauiores, hoc permittunt. Multo minus autem haec in regno legitimo in censum veniunt. Sed hasce minutias nunc mittimus.

§. XII. Renunciauit itaque Maria Theresia successioni omnibusque iuribus suis in regnum Hispaniae, & ita renunciauit, vt ne minima quidem spes posteris eius relicta sit, immo vt data opera omnibus cauillationum generibus obuiam itum videatur. Primo namque omnibus & singulis iuribus, titulis, qualescunque demum essent, renunciauit, & ita quidem, vt nullo legum, consuetudinum, ordinationum, dispositionum beneficio atque praesidio irritam hanc renunciationem fieri posse, declararet. Quid cautius, quid circumspectius dici poterat? Modo perfidiam cautio vlla aut circumspectio superare queat. Frustra ergo testamentum, aut alia quaecunque dispositio huic renunciationi opponitur, cum iam cautum sit in ipsa renunciatione, ne vnquam ad eius vim infringendam his-

hisce dispositionibus locus concederetur. Porro non tantum renunciauit pro se, sed & pro omnibus liberis suis atque posteris, cuiuscunque sexus & gradus. Quod documento sane clarissimo est, constitutum fuisse & Mariae Theresiae,& patri eius, gentem Borbonicam in perpetuum a successione regni Hispanici excludere. Vtque ista sanctio eo religiosius obseruaretur, rogabatur pontifex, vt eidem apostolicam impertiret benedictionem. Ratam quoque habuit Galliae rex hanc renunciationem, instrumento hanc ob causam conditio, cui & rex manu sua subscripsit Tholosae die XXIV. Nov. A. MDCLIX. In ipsis quoque tabulis pacis Pyrenaicae haec inserta sunt: immo iureiurando, & duplici quidem iureiurando, vt non nemo obseruat, (h) sanctissime a Ludouico rege confirmata. Haec manifesta sunt: versantur enim hodie in omnium manibus tabulae matrimoniales a rege & Maria Theresia comprobatae: versatur in omnium manibus instrumentum renunciationis a Maria Theresia factae: versatur in omnium manibus instrumentum pacis Pyrenaeae, & testamentum Philippi IV. (i) in quo repetita ista renunciatio

(h) *v. Reflexions sur une Lettre ecrit d' Anuers p. 37.* (i) *Excerpta ex hisce monumentis authenticis exhibentur in libello: Remarques sur la succession du duc d' Anjou. p. 92. seqq.*

& denuo confirmata fuit, idque verbis tam luculentis, vt nemo, nisi ridiculus atque ineptus cauillator, de veritate huius rei, aut de mente sententiaque & Mariae Theresiae, & patris eius, dubitare queat.

§. XIII. Sed videamus, quid renunciationi Mariae Theresiae, de hac enim potissimum disceptatur, obiiciant, qui Gallicanas partes defendunt. Videtur autem prae ceteris, quos mihi quidem videre contigit, auctor libelli: *Reponse d'un Ecrivain Hollandois à un illustre Parisien &c.* erudite hoc argumentum pertractasse. Huius itaque considerare rationes, non abs re fuerit. Primo itaque extra dubium positum putat, quod si quis filiam alteri in matrimonium det, vt iuribus suis renunciet, non aliam ob causam eum renunciationem a filia exigere, quam vt filii sui eiusque posterorum successioni consulat. Et de ipsa etiam filia, iuribus suis renunciante, idem esse praesumendum. Addit rationem, quia credibile non sit, in propria adeo quemquam saeuire viscera, vt filiae suae renunciatione peregrinis aditum ad regnum munire velit. *Il est du sens naturell,* inquit, *& de la disposition du Droit, qu'un pere, qui stipule la renonciation de sa fille, le fait en faveur de son fils, & que la fille a la meme veue & les memes egards pour son frere, par cette presomption de la*

loi

loi, & de l' homme, qui ni le pere ni la fille ne ſont pas aſſez ennemis de la nature, pour preferer une famille etrangere à leur propre poſterite. Menoch. lib. IV. praeſumt. 37. n. 14. &c. Sed nihil aliud agit, quam vt caliginem offundat imperitioribus. Poteſt enim & patri, renunciationem a filia exigenti, & ipſi filiae, aliud quid etiam eſſe conſtitutum, quam vt tantum ſucceſſioni filii, aut fratris, eiusque poſterorum conſulant. Immo totius familiae ſucceſſioni, &, quod maximum eſt, ſaluti atque commodo populi totiusque regni, ea conſulere poſſunt. Tantum vero abeſt, vt vituperandus ſit, qui totius familiae, aut populi etiam regnique ſui commodis ac ſaluti, filiae cuiusdam commoda poſtponit, vt maximam potius hoc ipſo promereatur laudem. Ratio iubet, vt parentes ament liberos, ſed eadem etiam praecipit, vt eos magis amemus, quibus arctiori vinculo ſumus obligati. Rempublicam vero aut vniuerſam familiam praeferendam eſſe vni ex liberis, quis vnquam dubitauerit? Immo ſi piaculum eſſet, excludere filias a ſucceſſione, aut magnum nefas, peregrinis potius aditum concedere (ſi modo peregrini dicendi ſint, qui ex eadem ſtirpe ſunt prognati) ad regnum, quam liberis ſequioris ſexus, maximo ſane ſcelere ſe obſtrinxerunt Galliae reges, qui, dum feminas pla-

ne a ſucceſſione excluſerunt, non potuerunt non, ſi aliquando maſculi deficiant, poſthabitis poſteris ex feminis prognatis, peregrinis ad regnum patefacere aditum. Auctoritatibus non pugnamus, ſed rationibus, quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Ceteroquin & in Menochii, Bouthillieri, & reliquorum inquirendum eſſet ſententiam, & auctoritates auctoritatibus opponendae. Cuiusmodi quidem ſcholaſticum pluuerem illuſtri huic tractationi adſpergere, nobis religioni ducimus: & neſcio ſane, an Galli hoc vitium ferrent in Germano.

§. XIV. In eo iure-conſultos & Hiſpanos & Italos conſentire porro docet, quaecunque demum ad filiam regis, iuribus ſuis renunciantem, decipiendam inueniantur, ſemper tamen ad ſenſum mentemque renunciantis eſſe reſpiciendum. (k) Confirmat hoc teſtimonio Saminiati: *in renunciationibus, quicquid ferunt verba, aut conquiſitae in tenerae & imperitae renunciantis deceptionem formulae, iudicatur inſpecta ſemper voluntatis praeſumtione. Controuerſ. 100. n. 39. 48. ſeqq.* Non erat hoc ex Hiſpanorum aut Italorum iure-conſultorum monumentis repetendum, quod ſana ratio omnes homines docet. Sed probandum erat, formulam renunciationis ad Mariam Thereſiam, Ludovici

(k) *p. 14.*

vici XIV. G-R. coniugem, decipiendam callide fuisse compositam: probandum fuisset, eam hanc formulam non satis intellexisse: probandum denique fuisset, eius mentem non fuisse, vt omnes posteri sui genti Austricae postponendi sint. Haec omnia vti frustra supponuntur, ita contrarium in sequentibus luculentissime demonstrabitur.

§. XV. Distinctionem inter renunciationem personalem, realem, & mixtam, quod cardinalis de Luca inter ineptias & deliramenta referat, nos neutiquam aegre ferimus. Nec enim ad nostram causam tuendam ea opus habemus. Neutiquam autem auctori (*) largimur, quod feminae, iuribus suis renunciantes, non capiant vt plurimum formulas, quibus vtantur, nec eas intelligant. Nullam enim rationem video, cur capere eas non possint, si distincte & perspicue cuncta proponantur. Ast formulae iuris adhibentur, quae illarum captum superant? Quid vero obstat, quo minus obscuriores istae formulae explicentur? Aut si Maria Theresia non intellexit formulam, qua iuribus suis in regnum Hispaniae renunciauit, eam quoque non intellexit rex Galliae, aut eius ministri? Aut illius non minus intererat in ista formula nihil poni, quod sibi aut posteris suis fraudi

(*) *p.* 15.

di esse posset, quam Mariae Theresiae? Cur ergo id tum non monuit? cur non petiit, vt clarius & citra ambages, quid formula sibi vellet, explicaretur? Sed concludit rursus, ad mentem potius & voluntatem, quam ad verba renunciantis esse respiciendum; id quod nos neutiquam negamus. Hanc vero Mariae Theresiae mentem fuisse satis constat, quae hodie Gallis neutiquam placet. Sed regerit auctor, eadem semper oberrans chorda, mentem renunciantis eam esse non posse, quae posteros eius a successione excludat. Idque ne frustra dixisse videatur, ad Molinam, Sanchezium, Mierezium de Marinis, & nescio quos? prouocat. Inepte! Supra enim demonstrauimus, posse, immo debere etiam apud feminam, pietatis & honestatis curam gerentem, commodum totius familiae, praesertim commoda & salutem populi, pluris esse, quam commoda suorum liberorum.

§. XVI. Ast, inquit, si Carolus, permutata naturae lege, mortuus fuisset ante patrem suum Philippum IV. potuissetne renunciatio tum impedire successionem Delphini? Respondet: *nullo modo:* addita ratione: *quia proprio iure & ex propria persona veniisset. Firmat optime* Kellenbez *de renunciatione filiar. qu. 33. n. 6. & per tot.* Berlich. *part. II. c.* 43.

43. *n.* 12. Betſius *de pactis &c. reſponſ. I. poſt tract. p.* 757. His iureconſultos Hiſpanos, Belgicos, Sabaudicos & Gallicanos addit. Magnorum, credo, virorum nominibus adverſariis ſuis metum incutere voluit, cum rationibus non poſſet. Sed agedum, conſideremus, quid iſti ſibi velint. Nicolaus Betſius (l) hoc aperte ſatis indicat, quod iſti auctores, qui eiusmodi quid aſſerunt, nitantur iure repraeſentationis. Quando itaque quaeritur, an renunciatio filiae, quae moritur ante patrem, eius liberis, quo minus ſuccedant, fraudi eſſe poſſit? idque iureconſulti negant, addita ratione, quod proprio iure & ex propria perſona veniant, non poſſunt aliud ſententiae ſuae fundamentum afferre, quam quod liberi ex iure repraeſentationis ſubeant locum parentum. Ergo tota iſta quaeſtio ad ius repraeſentationis tandem redit. Hanc vero vicariam ſucceſſionem, quam repraeſentationem dicunt, licet nonnulli pro fictione iuris civilis habeant, quae adeo in regum controverſiis, ex iure naturae & gentium decidendis, locum non inueniat: ego tamen aequitati naturali eam maxime conuenientem eſſe arbitror, quemadmodum & a plurimis gentibus fuit recepta ac introducta, vt re-

(l) *de ſtatutis, pactis, & conſuetudinibus familiar. illuſtr. p.* 757.

cte obſeruauit Hugo Grotius. (m) Nihiloſecius tamen & illud addendum, quod iſta repraeſentatio non vbique locum inueniat. Quod vt rectius intelligatur, obſeruandum, repraeſentationis, hoc eſt, vicariae ſucceſſionis non poſſe eſſe aliam indolem, quam ipſius ſucceſſionis. Haec itaque, vt in regnis patrimonialibus vnice a voluntate & conſenſu regis, ita & in legitimis a conſenſu populi pendet. Adeoque & legibus atque pactis contrariis ius hoc tolli poteſt, vt rectiſſime monet idem Hugo Grotius: (n) *Haec vero*, inquit, *quae diximus, quanquam naturali coniecturae maxime ſunt conſentanea, non ſunt tamen iure naturae neceſſaria: ac proinde ex diuerſis cauſis voluntatem humanam mouentibus variari ſolent pactis, legibus, moribus: qui ſubitionem in locum* (hoc eſt, repraeſentationem) *in nonnullis gradibus admittunt, in aliis non admittunt: alibi diſtinguunt, vnde bona veniant, alibi id inſuper habent.* Vberius hoc illuſtrat in notis ad hunc locum, docetque, veteres Germanorum mores ſubitionem iſtam ſiue repraeſentationem ignoraſſe etiam inter liberos, introduxiſſe autem id ius primum in Franciam Childebertum edicto, in Transrhenanas partes Ottonem Henrici filium: Scoticum quoque ius vetus ſolum ſpectaſſe gradus

(m) *l. II. cap. VII. §. VI.* (n) *l. c. §. XI.*

dus proximitatem. Quibus & multa alia adiici possent exempla. Sed res ista dubio caret. Quando ergo nunc quaeritur, an in isto, quem auctor sibi fingit casu, Delphinus proprio, vt loquitur, iure atque ex propria persona venisset? respondemus: nullo modo. Ast, inquis, vicem matris suae subiisset? non subiisset, sed an subire debuisset, aut potuisset, hoc pendebat a voluntate populi Hispanici, procerumque, qui populum repraesentant. Etenim cum renunciatio consentientibus proceribus Hispanicis facta sit, eo quidem modo, vt omnes posteri Mariae Theresiae excluderentur, manifestum est, eos quoque hoc ipso ius repraesentationis posteris eius denegasse. Hoc autem si corruit, nullum ius proprium habuit Delphinus: adeoque ex iure proprio atque persona propria venire non potuit. Si quis vero dubitet, an ita ius repraesentationis tolli potuerit, is cogitet, quod supra capite praecedenti demonstrauimus, in legitimis regnis rationem succedendi dependere a populo eiusque voluntate, quam mutare potest, quoties alterius ius quaesitum non laeditur. Maria Theresia enim sponte iuri suo renunciauit: posteri eius nondum extiterunt, adeoque nullo potuerunt gaudere iure.

§. XVII. Non me fugiunt ea, quae de iure

iure nondum natorum disputari solent. Sed nulla subest hic difficultas, modo animum praeiudicatarum opinionum vacuum afferamus. Ius nimirum aliquis non alia ratione, quam per consensum alterius, acquirere potest. Hoc autem ius, vt perfectum atque consummatum fiat, necesse est, vt consensus seu acceptatio eius, cui ius acquirendum est, accedat. Quamdiu haec acceptatio non accessit, in alterius positum adhuc est arbitrio, an & quousque ius nobis conferre velit. Eodem itaque modo se res in regnis habet. Familia imperans habet ius ad regnum, sed ex consensu populi: ius hoc, qui acceptarunt ex familia imperante, iis iterum, saltem inuitis, eripi hoc nequit. Ast infantes nondum nati, hoc ipso dum non extiterunt, non potuerunt ius acceptare; ergo non aliud habent ius, quam quod voluntate libera populi nititur. Quemadmodum autem in omnibus pactis se res habet, vt ante acceptationem nemini ius aliquod acquisitum censeatur: ita & hoc modo se res habet. Liberum ergo est populo, ratione eorum, qui nondum consenserunt, voluntatem suam mutare. Ast, inquis, consensit familia imperans. Recte, qui consenserunt, ius habent, & eodem iterum se abdicare possunt. De nondum natis hoc dici nequit. Instas:

Pa-

Parentes nondum natorum vicem ſuſtinent. Aſt hoc rurſus pro me facit. Si enim parentum conſenſus validus eſt in acquirendo, ergo & in renunciando. Excipis: Renunciatio illorum ius tollere nequit. Immo nullum ius habent, ergo hoc illis tolli nequit. Recte quidem; aut ſi quod habent, a parentibus habent, & ita omnino hoc illis tolli poteſt. Conſentit in rei ſumma nobiscum Hugo Grotius, qui omnium inſtar eſſe poteſt. *Sciendum eſt*, inquit, (o) *eius, qui nondum natus, nullum eſſe ius* (perfectum ſcilicet & proprie dictum) *ſicut nec vlla ſunt accidentia rei non exiſtentis.* Interim hoc ſenſu nondum natis ius aliquod tribui poteſt, quod ſemel ex conſenſu populi imperium illis deſtinatum ſit. Quod tamen ius ſaltem eſt hypotheticum, niſi ſcilicet populo viſum, aliud quid conſtituere. Atque hoc eo rectius procedit, quando nemini adhuc per acceptationem ius quaeſitum eſt: aut, ſi illi, qui ius habuerunt, eodem iterum ſe abdicarunt. Hinc recte pergit Grotius: *quare ſi populus, a cuius voluntate ius regnandi proficiſcitur, voluntatem mutet, iis, qui nondum nati ſunt, vt quibus ius quaeſitum nondum eſt, nullam facit iniuriam. Sicut autem populus expreſſe mutare voluntatem poteſt, ita & tacite credi mutaſſe.* Egregie omnino. Sic & in renunciatione Ma-

(o) *l. II. de I. B. & P. cap. IV. §. X.*

Mariae Thereſiae tacitus adfuit populi conſenſus, immo quodammodo expreſſus, dum proceres Hispanici conſenſerunt, ergo poſteri eius omni iure ſuo in Hispaniam prorſus exciderunt.

§. XVIII. Ita, poſtquam praecipuum auctoris argumentum proſtrauimus, reliqua, quae ſubiicit, nemini negotium aliquod facеſſere poſſunt. Nihil aliud enim agit, quam vt dicta vel centies repetat, in renunciationibus non ad verba, ſed voluntatem eſſe reſpiciendum, non praeſumendum, quod in renunciationibus, praeterita propria ſobole, peregrinis aditum ad regnum aliquis munire velit, & reliqua eiusdem commatis, abunde iam refutata. Eiusdem generis & illud eſt, quod addit: renunciationem iſtis, qui nec iure ſanguinis aut proximitatis, nec ſecundum regni conſuetudinem aditum ad ſucceſſionem habeant, neutiquam fauere, laudato hoc Surdi effato: *Renunciatio maioratus, primogenii aut fideicommiſſi ad eos non vagatur, quos nec natura, nec lex regni, nec conſuetudo ſucceſſionis vocat. conſ. 517. n. 14. ſeqq.* Quo ipſo tamen nihil euincit. Namque ſi mentem & voluntatem Mariae Thereſiae ſpectemus, haec omnino talis fuit, vt deinceps oſtenderetur, vt, gente Borbonica prorſus excluſa, ſucceſſio genti Auſtriacae confirmaretur.

Gen-

Genti autem Auſtriacae ſucceſſionem in regnum Hispaniae, & iure naturae, & gentium, & iuxta conſuetudinem regni Hiſpanici deberi, antea demonſtrauimus.

§. XIX. Tandem hoc veluti dilemmate inſurgit: Aut Maria Thereſia patrem ſuum in ſucceſsione excepiſſet, (quod futurum fuiſſe putat, ſi Carolus mortuus fuiſſet ante Philippum patrem) aut non excepiſſet. Si excepiſſet, Delphinus quoque ſucceſsiſſet ceu heres matris ſuae: ſi non excepiſſet, nihilo ſecius ſucceſsiſſet ex proprio iure, tanquam heres auunculi ſui. Inepte ſane. Maria enim Thereſia excipere patrem non potuit, quia iuri ſuo renunciauit, eo conſilio, vt genti Auſtriacae locum ad ſuccedendum faceret. Cum ergo mater ius non habeat, non poteſt hoc transferre in filium. Sed nec ex iure proprio Delphinus ſuccedere poteſt, qui itidem iure proprio deſtituitur, vti antea demonſtrauimus. Neque ab hisce, quae hactenus diſſeruimus, magnopere abhorrent ciuilis iuris interpretum decreta. Cum enim apud eos quaeritur, an renunciatio filiae deſcendentibus eius noceat, ita vt hi ideo excludantur ab aui aliorumque hereditate, cui a filia fuit renunciatum? diſtinguere ſolent, num poſt patrem aut ante illum filia deceſſerit? Priori caſu indubitatum eſt, auctore illuſtri viro

viro Samuele Strykio, (p) renunciationem filiae eius descendentibus in consequentiam necessariam nocere, eosque excludi: id quod plurimis celeberrimorum iure-consultorum testimoniis comprobat. Quod si vero filia viuo adhuc patre decesserit, renunciationem eius descendentibus non nocere, & si heredes matris facti fuerint, receptissima est iuris doctorum sententia, licet & contrarium nonnulli defendant, quibus eousque accedit is, quem laudauimus, illustris vir, vt asserat, si statuto iubeantur hae renunciationes, vel etiam consuetudine adiuuentur, omnino descendentes in hoc etiam casu excludi. Et haec cum in priuatis bonis, aut iis, quae ab vltimi possessoris arbitrio ac dispositione plane pendent, ita se habeant, multo magis tamen in regnis atque imperiis admittenda sunt, cum ibi ratio postulet, vt populi ipsiusque reipublicae saluti potius consulatur, quam commodis filiae cuiusdam, eiusque posterorum. Hinc recte etiam idem ille celeberrimus iuris antistes, cum dicta latius edisseruit, subiungit, (q) in familiis summorum principum rem magis expeditam esse, quippe in quibus renunciationem matris, liberis, ex ea descendentibus, indistincte nocere, re-

(p) *De succeſſ. ab inteſt. diſſert. VIII. cap. X. §. LXXII. p. 491.* (q) *l.c. §. LXXX.*

rectius afferatur, tam ſi poſt patrem, quam ſi ante eum deceſſerit. Rationem enim iſtam, qua negantium opinio vnice fere nitatur, filiae nempe patris hereditatem delatam non fuiſſe, nec ſic conditionem renunciationis ante mortem illius extitiſſe, ex mero ſaltem iure ciuili dependere, & proinde in ſummorum imperantium actibus non inuenire locum. Interim illud adhuc monendum, ſiue heres matris ſuae ſit filius, qui eius irritam reddit renunciationem, ſiue non ſit, vtroque modo peccat. Etenim ſi heres ſit, manifeſtum eſt, quod qui iura & commoda in ſe recipit, obligationes & incommoda quoque detrectare non debeat. Si non ſit heres, pietatis tamen & reuerentiae, quam liberi parentibus debent, ratio iubet, ne actum & diſpoſitionem parentum impugnent: impietatisque notam omnino ſubeunt, qui cum Perſeo dicunt, (r) pactum patris ad ſe non pertinere. Scio ſane, quousque haec obligatio ad pietatem, & reuerentiam erga parentes, ſuos proferat limites: eamque non poſſe impedire filium, quo minus ius ſuum proſequatur, praeſertim in regnis: ſed ſi filius nullum ius habeat, adeoque inique agat, & iniuſtitiae addat impietatem erga parentes,

(r) *vid. Liuius lib. XLII. cap. XXV.*

tes, eo grauius eum peccare, apud omnes in confesso esse existimo.

§. XX. Vnicum tamen adhuc, priusquam hinc discedamus, a nobis monendum est. Cum nondum constaret, Carolum II. Hispaniae regem, ducem Andegauensem heredem scripturum, Gallicarumque partium scriptores suspicarentur, Carolum Archiducem Austriae ab eo institutum iri, iam in antecessum probare conati sunt, testamentum regis, quo legitimus successor excluditur, irritum esse atque vanum. Recte sane. Ita enim nobis arma suppeditant, quibus testamentum, in fauorem ducis Andegauensis conditum, impugnare, illudque plane euertere possumus. Quis enim legitimus successor sit, duxne Andegauensis, an Carolus Archi-dux Austriae, ex dictis nemini obscurum esse potest. Idem auctor libelli: *Reponse d' un Ecrivain Hollandois &c.* eandem proponit quaestionem: an legitimus heres & successor per testamentum regis excludi a successione possit? Respondetque negando, & primo prouocat ad Kellenbenzium, (s) qui sane diserte pronunciat, *filiam in testamento paterno praeteritam, vel inique exheredatam, inuito patre contra ipsius dispositionem admitti.* Addit ingentem iure-

(s) *de renunc. succession. ex. XXXIX. n. 2. pag. 497.*

iureconsultorum turbam, quorum eadem fuerit sententia. Porro hereditatem patris infantibus iure naturae & gentium deberi, addit, idque allatis ex iure ciuili legibus comprobat. Recte: modo iure suo liberi non exciderint, tum enim ad proximos agnatos successio spectat, iisque per testamentum eripi nequit. Quare quod Melchior de Valentia (t) asserit, peccare grauiter patrem, qui hunc naturae ordinem migrat, nos quoque approbamus: sed addimus, grauius peccare principem, qui ordinem successionis, quem salus & conseruatio reipublicae requirit, migrat, eiusque adeo testamentum subsistere non posse. Quare & recte fecit Carolus V. imperator, dum pro irrito & nullo declarauit testamentum Guilielmi Palaeologi, Marchionis Montisferatensis, quo is, praeterita filia, Carolum ducem Sabaudiae heredem instituit. Non magis autem consistere potest testamentum Caroli II. Hispaniae regis, quo is, praeterito Leopoldo imperatore, tanquam proximo & legitimo herede, ducem Andegauensem heredem instituit, cui tamen nullum ius in regnum Hispaniae competit. Non male quoque ratiocinantur, qui vinculum istud, quo rex cum populo suo colligatus est, per matrimonium aliquod

(t) *lib. III. tract. III. cap. I. n. 1. 2.*

politicum explicant. Natura itaque huius coniunctionis requirit, vt isti succedant, qui ex familia regnante sunt progeniti. Id enim maxime voluit populus, dum, familiae alicui imperium deferendo, velut matrimonium hocce politicum contraxit. Iam si quaeras, Austriacaene familiae, an Borbonicae delatum olim fuerit imperium Hispanicum? pro illa sane omnia militabunt. Si dicas, aft dux Andegauensis, matris intuitu, itidem ex familia Austriaca prognatus est, nihil aliud supereft, quam vt in populi & regis, matrimonium hocce politicum contrahentium, voluntatem paulo accuratius inquiratur, id quod iam factum est. Ergo & Cadero (*) auctori laudatus & Christophorus de Paz, (**) & reliqui iure-consulti ab eo in medium prolati, pro domo Austriaca controuersiam decidunt. Plane pro nobis facit eflatum illud iure-consulti Hispanici: *Rex, etiamsi prole & ascendentibus careat, non potest libere testari de regno, nec illud proximiori consanguineo aufferre.* Nihil aptius dici poterat. Quis vero est consanguineus proximior Caroli II. Hispaniae regis? dux Andegauiensis? Aft is iure suo excidit, is in censum non venit. Ergo remanet Leopoldus imperator. *Non ergo potuit*, vt ipsis Hispanici iure-consulti ver-

(*) *decis. Lusit. part. II. decis. LXXVI. n. vlt.*
(**) *de tenuta tract. II. cap. XV. n. 104. seqq.*

verbis vtar, *non*, inquam, *potuit libere Carolus II. teſtari de regno, nec illud proximiori conſanguineo aufferre.* Id quod erat demonſtrandum.

§. XXI. Repellendi nobis quoque nunc ſunt inſultus alterius iſtius aduerſarii, auctoris ſcilicet ſchediasmatis: *Lettre ecrite d' Anvers par Mr. N. ſur le Teſtament de Charles II. &c.* quibus cauſae Auſtriacae iuſtitiam labefactare annititur. Primo is iterum ſupponit, Delphinum eſſe proximum heredem Caroli, ſecundum ſucceſſionem linealem cognaticam. Huic ſuae ſententiae cum Mariae Thereſiae renunciationem obſtare videat, eam hunc in modum infringere annititur. Renunciationem validam eſſe, & tamdiu ſubſiſtere concedit, quamdiu cauſa, quae Mariam patremque eius ad eam ſuſcipiendam impulit, durat. Cauſam autem, quae eos mouit, non aliam fuiſſe putat, quam metum, ne aliquando duo iſta regna potentiſſima, Galliae atque Hiſpaniae, inter ſe coniungerentur. Aſt iſtam cauſam nunc plane ceſſare, cum non filius primogenitus Delphini, aut ipſe Delphinus, ad ſucceſſionem vocatus ſit, ſed filius Delphini ſecundo genitus, dux Andegauenſis, & quidem ea lege, vt, ſi forte aliquando ſucceſſio in regnum Galliae ad eum perueniret, in Hiſpaniam ſuccederet frater eius, dux Bituricen-

censis, & sic porro, vt adeo horum regnorum coniunctio neutiquam sit metuenda. Hinc cum de causa renunciationis, ea quae diximus, auctor praemisisset, in haec erumpit verba: *Or, je demande, ou est aujour d'hui l'existence de ce cas? Est ce donc le Dauphin ou le duc de Bourgogne, que le feu Roi vien d' appeller a la succession? ni l'un ni l' autre, c' est le duc d'Anjou &c.* Immo iustitiam testamenti hoc modo tam in aprico positam putat, vt asserere non dubitet, si ad priuatae sortis hominem ista controuersia spectaret, isque non hoc sed alio modo testamentum condidisset, istud, ex omnium iudiciorum ac tribunalium sententia, pro nullo ac irrito non posse non declarari.

§. XXII. Sed triumphum canit ante victoriam. Videtur equidem ab ipsis fabulae totius architectis hoc commentum, ad vim renunciationis infringendam, aut eludendam, callide excogitatum: hinc & in ipso testamento regis *artic. XIII.* fundamenti loco ponitur: sed quam id lubricum sit, omnique efficacia destituatur, ex sequentibus patebit. Primo namque cum vnius rei plures possint esse causae, concedimus, inter reliquas hanc quoque esse potuisse, quae ad renunciationem Mariam Theresiam eiusque patrem impulerit, sed ex eo nondum sequitur, quod vna haecce atque sola

ſola fuerit cauſa, quae eam impulerit. Ceſſante itaque cauſa, ceſſant equidem & leges & pacta, ſed ceſſante cauſa vnica, ſi vnica ſaltem adſit, aut omnibus, ſi plures adſint, ſaltem praecipuis. Ita enim hanc iureconſultorum regulam intelligendam eſſe, vel tironibus notum eſt. Deinde, quod probe notandum, non tantum ex verbis renunciationum, ſed & ex teſtamentis Philippi III. & IV. quae iis innituntur, patet, non modo filios eorumque deſcendentes, ſed & filias a ſucceſſione in ſempiternum excludi. Quam ob cauſam filiae? ne forte per eas regnum Galliae cum regno Hiſpaniae coniungeretur? Atqui ridiculum hoc, cum conſtet, filias in regno Galliae ad ſucceſſionem non admitti. Ergo aliam adfuiſſe cauſam oportet renunciationis, quam metum coniunctionis horum regnorum. Neque multo labore aut tempore opus eſt, vt hanc aliquis coniectura aſſequatur. Ipſam enim familiam regnantem ſi ſpectes, cum per legem Salicam in Gallia omnes feminae a ſucceſſione excludantur, principibusque Auſtriacis aeque ac reliquis, qui forte ex Gallia coniugem petierint, aditus tamen ad regnum iſtud intercluſus ſit, nemo illi vitio verteret, ſi velut iure quodam talionis, per iſtas renunciationes Galliae quoque principibus aditum ad

regnum Hiſpaniae, intercludere voluerit. Idque verba inſtrumenti renunciationis innuere quoque videntur, vt pluribus & accurate demonſtrat auctor libri: *Reflexions ſur une lettre ecrite d' Anvers.* (u) Eo minus autem Hiſpaniae reges in eo reprehendendi videntur, quo ſaepius Borbonicae gentis acerrimum odium, pernicioſiſſimaque, & ad Auſtriacae domus interitum tendentia conſilia, experti ſunt. Accedebat vero, & praecipuum velut momentum afferebat, ipſa reipublicae regnique Hiſpanici cauſa, quae tum reges, tum proceres Hiſpanicos cumprimis mouit. Siculorum ſcilicet exemplo didicerant, quam non ferenda ſint peregrinis gentibus Gallicana imperia. Similibus itaque fatis ne ſe & regnum ſuum exponerent, ſaluti ſuae non alia ratione, quam hisce renunciationibus, conſulere potuerunt. Hae vero cauſae tantum abeſt, vt hodie ceſſent, vt potius tamdiu duraturae ſint, quamdiu vnicuique genti ſua manet indoles, ſuus genius.

§. XXIII. Operae forte pretium eſſet, paulo accuratius inquirere, cur ergo haec regna noluerint coniungi renunciationum auctores, ſi tantisper ponamus, praecipue hoc illis fuiſſe conſtitutum. Palam fieret, ni fallor, & ita quoque Gallorum cupiditatibus

(u) *pag.* 21.

Digitized by Google

tibus obuiam ire voluiſſe iſtos, conſulere contra domui Auſtriacae. Certe virium coniunctio, in ſe ſpectata, ipſis regnis nullum adferre detrimentum poteſt, nullamque cauſam video, cur Hiſpani eam adeo reformidare debeant. Exteris incutere metum poteſt! aſt illis potius quam ſibi, aut regnis ſuis, conſulere voluiſſe Hiſpaniae reges, non temere quisquam ſibi perſuaderi patietur. Sed Auſtriacis cumprimis incutere formidinem poterat. Non diffiteor. Sed ita ſequeretur, ſi coniunctionem regnorum Hiſpaniae ac Galliae impedire voluerunt, ideo ſaltem voluerunt, ne damnum aliquod inde caperet gens Auſtriaca. Ergo praecipua cauſa renunciationum fuit gentis Auſtriacae conſeruatio. Si dicas, ideo illis coniunctionem displicuiſſe, quia viderunt, e re gentis Hispanicae non eſſe, parere Gallis, rurſus non refragabor. Sed tum rurſus corruet cauſa Gallicana, cum & haec ratio hodienum ſubſiſtat, validaque adeo ſit, iuxta ipſorum Gallorum ratiocinationem, renunciatio.

§. XXIV. Quicquid huius ſit, ſi vel maxime ponamus, voluiſſe reges Hiſpaniae per renunciationem filiarum vtriusque regni coniunctionem impedire, remanet tamen & illud dubium, an per ducis Andegauenſis in heredem conſtitutionem ea ſa-

tis impedita sit? Istum sane suum sibi in Galliae re, num ius seruasse constat. Quodsi nunc contingat, Delphinum, Burgundiaeque ducem, sine mascula prole mori, vocarique ad successionem ducem Andegauensem, existimasne, eum Hispaniae regnum fratri cessurum? credat Iudaeus apella. Aut si contingeret, Andegauensem ducem, fratremque eius Bituricensem praematuro fato rebus mortalium eripi, credisne, ad Austriacam gentem successionem tum peruenturam, aut ea se abdicaturum Delphinum, ducemque Burgundiae, licet vel maxime Gallia cum Hispania coniungenda sit? Titulus tum quoque Hispaniam inuadendi illis non deerit. (x) Testamentum non magis curabunt quam renunciationem. Et ipsi quidem, dum iuri suo in Hispaniam nondum renunciarunt, id omnino sibi reseruasse merito creduntur. Sed pone, renunciare eos iuri suo, quid tum? Ex iure Gallicano renunciationes tum demum validae sunt, cum Gallico regi commodum aliquod afferunt. Interim ad fucum orbi faciendum haec ita fingenda, & ipsi testamento inserenda erant, ne ratio deesset, vim renunciationis vtcunque eludendi. (y)

§. XXV.

(x) *vid. Remarques sur la succession du duc d' Anjou p. 17. seqq.* (y) *Reflexions sur une lettre ecrite d' Anvers p. 28. 29.*

§. XXV. Hactenus ex eo demonstrauimus, irritum esse Caroli regis testamentum, quod per illud sereniſſimae genti Austriacae ius optimo titulo quaesitum eripiatur. Quo quidem argumento licet res plane conficiatur, multae aliae tamen addi possent rationes, quibus idem euinceretur, si in re manifesta pluribus opus esset. Speciatim & illud adhuc addi posset, hoc etiam nomine omni effectu destitui hoc testamentum, quod illud anteceſſorum eius, praesertim Philippi IV. Hiſpaniae regis testamentis, e diametro aduersetur. In hoc namque diserte constitutum fuit, (z) vt primum in succeſſione locum teneat Carolus Philippi filius, qui & eum excepit, alterum Margaretha Leopoldi imperatoris coniux, tertium imperator ipse, quartum denique Sabaudus, excluſa prorsus gente Borbonica. Ex qua quidem dispositione nouum ius genti Austriacae accedit, simul vero patet, Caroli II. quod in fauorem ducis Andegauensis conditum est, testamentum, nullum esse atque irritum. Probauimus enim capite praecedenti, non minus testamentis, quam pactis anteceſſorum suorum teneri reges, irritaque esse tum pacta, tum testamenta, quae cum illorum pactis aut

(z) *vid. diar. Europ. cont. XII. fol. 201. 202.*

aut teſtamentis pugnant. Quae omnia hic quoque locum inueniunt.

§. XXVI. Immo non tantum Philippi IV. diſpoſitioni, ſed legibus quoque Hiſpanicis, hocce Caroli II. teſtamentum e diametro repugnat. Extat peculiaris ſanctio apud Hiſpanos, in libro, quem nouam collectionem vocant, A. MDCXI. Madriti impreſſo, in qua a iure ſucceſſionis Hiſpanicae omnes Galli, nemine excepto, diſerte & citra ambages excluduntur. Iſtam itaque legem dum receperunt Hiſpani, omnino conſenſum ſuum in eo declararunt, quod Galli a ſucceſſione excludendi ſint. Atqui in regno legitimo, vti prolixe demonſtrauimus, hoc ſufficit. Si ergo vel maxime nulla adeſſet renunciatio, ſi vel maxime teſtamento Philippi IV. in fauorem gentis Auſtriacae nihil eſſet conſtitutum, ſola tamen iſta lege a ſucceſſione Galli excluderentur. Nunc vero cum omnia iſta conſpirent, quis Caroli teſtamentum, diuinis pariter ac humanis legibus repugnans, pro valido reputare audeat? Atque ipſum ſane Philippi teſtamentum, ipſa renunciatio Mariae Thereſiae, nouum hinc quoque robur capiunt. Demonſtrauimus enim ſupra, omnes actus ſummorum imperantium, ad translationem imperii ſpectantes, in regnis praeſertim legitimis, tum demum robur & efficaciam ſuam accipere, cum

cum populi conſenſus accedit. Ex hac itaque lege cum clariſſime pateat, (licet aliunde id quoque conſtet) populum Hiſpanicum in excluſionem Gallorum expreſſe conſenſiſſe, nihil eſt, quod amplius in omnibus hisce actibus deſiderari poſſit. Georgius equidem d'Abuſſon, Archi-epiſcopus Ebrodunenſis, in *aſſertione iuris Mariae Thereſiae, reginae Galliae, ad ſucceſſionem in regno Hiſpaniae* Paril. A. M DC LXXIV. edita, (a) in eo totus eſt, vt ſanctionis quoque iſtius antea memoratae vim infringat, quo ipſo tamen ſimul fatetur, eam Borbonicae familiae ſucceſſioni obſtare. Mox itaque eam vtilitati publicae repugnare clamitat, mox legislatoris auctoritatem, ſolennemque promulgationem defuiſſe, contendit. Scilicet haec ideo credenda ſunt, quia Gallus dicit: ideo vtilitati publicae repugnat, quia Galli eam rebus ſuis expedire non putant. Sed cautior iam orbis eſt, quam vt talia ſine rationibus ſibi perſuaderi patiatur.

§. XXVII. Ceterum conſtat, imperium Hiſpanicum ex illorum genere eſſe, quae prudentiae ciuilis magiſtri ſyſtemata rerumpublicarum vocant: eſſeque in iſto plu-

(a) *La defenſe du droit de Marie Thereſie d' Autriche, Reine de France, a la ſucceſſion de couronnes d' Eſpagne.*

plurium prouinciarum, ex quibus componitur, complexu, nonnullas, quas clientelari saltem iure Hispaniae reges hactenus possederunt. Quod si ergo ponamus, in reliquis testamentum regis vi & efficacia non destitui, quod tamen per hactenus dicta concedi nullo modo potest, in illis, quae feudi titulo possederunt, hoc tamen admitti non posset. Non alio autem quam clientelari iure & ducatum Mediolanensem, & regnum Neapolitanum, & ipsum quoque Belgium Hispanicum, vt vocari solet, ad imperium Hispanicum pertinere, manifestum est. De hisce ergo seorsim quaedam monere, non abs re fuerit.

§. XXVIII. Ducatum Mediolanensem semper fuisse feudum imperii Germanici, apud omnes in confesso est. Constat hoc ex recessu imperii Norico anno MDCXLIV. condito, §. *und wie nun*. Immo ex ipsis Gallis hoc fatentur Ioannes Bodinus, (b) atque Philippus Cominaeus. (c) Propterea quoque Mediolanum cum subiecto agro per imperii Vicarios gubernatum fuit, qui vulgo vice-comites vocabantur. Ioannes vero Galeacius vice-comes primus Mediolani dux ab imperatore Wenceslao creatus & inuestitus est, reseruato imperio iure directo.

(b) *de republ. lib. I. cap. IX. p. 192.* (c) *lib. XVIII. cap. IX. p. m. 566.*

recto. Qua de re praeter alios legi merentur Fl. Blondus, (d) atque Antonius Coccius Sabellicus. (e) Reliquit hic Ioannes Galeacius, praeter duos filios, Ioannem atque Philippum Mariam, filiam vnicam Valentinam, Ludouico duci Aurelianenſi, Caroli V. Galliae regis filio, in matrimonium collocatam, cuius nepos Ludouicus XII. rex Galliae, mortuis absque maſcula prole Valentinae fratribus, Mediolanenſem ducatum ad ſe pertinere contendit, vi dotalis inſtrumenti, quod paſſim apud hiſtoricos & iureconſultos extat. Mediolanenſes contra ciues repugnabant, prouocantes ad tabulas fiduciarias ſeu inueſtituram Wenceslai imperatoris, ſecundum quam ſolis masculis deferebatur ſucceſſio, cui nec pacta dotalia derogare poſſent. (f) Ludouicus autem XII. in armis firmius praeſidium collocans, quam in cauſae iuſtitia, Mediolanenſem ducatum vi ſibi ſubiecit, aſt a Maximiliano I. imperatore ſibi metuens, conſultum duxit, pactis cum eo initis ius ſuum firmare. Et conuenit tandem inter eos, ea lege, vt

(d) *dec. II. lib. X. pag. 886. ſeqq.* (e) *ennead. IX. lib. IX. pag. 432.* (f) *vid. Verantwortung des Römiſchen Reichs auf die Klage des Königs in Franckreich, antreffend die Belehnung des Herzogthums Maylands, apud Goldaſtum in politiſchen Reichshändelen.*

vt Claudia Ludouici primogenita Carolo adhuc puero, Maximiliani ex Philippo nepoti, poſtea imperatori, in matrimonium locaretur, Maximilianus autem Caeſar inveſtituram ducatus Mediolanenſis, omnibus aliis inueſtituris reſciſis, regi Ludouico pro ſe ſuisque filiis maſculis traderet. Quod ſi mascula proles regis nulla foret, Mediolanum Carolo cederet. Carolo autem, ante nuptias defuncto, inueſtitura Claudiae, Caroli fratri nupturae, integra maneret. Aſt non ſtetit hocce pacto Ludouicus, data Claudia filia in matrimonium Franciſco Angelomenſi, poſtea regi Galliae, vnde nec Maximilianus imperator eodem obſtringi potuit. Nihiloſecius Franciſcus, rerum ſummae admotus, ad ducatum Mediolanenſem Galliae regno iungendum, animum adiecit, Maximilianumque Sfortiam Ludouici filium ducatu exturbauit, immo captum in Galliam miſit, vbi & is vitam finiit. Namque ad Sfortiarum gentem, conniuente & conſentiente Caeſare, annitentibus Mediolanenſibus, ducatus iſte interim peruenerat. Maximiliano autem Sfortia a Franciſco capto, Galli ducatus Mediolanenſis poſſeſſionem adepti ſunt, donec ad Franciſcum Sfortiam, Maximiliani Sfortiae fratrem, reſtituendum, arma capeſſeret Carolus V. imperator. Quae tum porro

porro Franciscum inter atque Carolum ob ducatum Mediolanensem gesta sunt, notiora esse puto, quam vt prolixius a nobis exponi debeant: nec fugere haec quenquam possunt, qui Guicciardium, Iouium, Sleidanum, vel leuiter inspexerit. Certe & per Madritensem, & per Cameracensem, & per Crepiniensem pacificationem, Gallos iure suo in ducatum Mediolanensem excidisse, constat. Ne quid nunc dicamus de pacificatione Cambresiensi, inter Philippum II. Hispaniae, & Henricum II. Galliae regem inita, in qua hic omnibus suis iuribus in Italicas ditiones apertissime renunciauit. Dicta prolixius edisserunt Ioannes Strauchius, (g) atque Georgius Brautlacht. (h)

§. XXIX. Mortuo autem A. MD XXXV. Francisco Sfortia, vltimo duce Mediolanensi ex gente Sfortiarum, Valesicaque gente ob dictas renunciationes a successione in ducatum Mediolanensem excluſa, Carolus non potuit non huncce ducatum pro feudo vacante imperii reputare: eumque adeo concessit filio suo Philippo. Ex quo etiam tempore, nihil contradicere ausis Gallis, Hispaniae reges istum ducatum, ast iure

(g) *in dissertat. I. P. exoter. dissert. I. §. X. seqq*
(h) *in historia pacification. cap. IV.*

Digitized by Google

clitentelari, possederunt. Quae cum manifesta sint, & extra dubitationem posita, videndum nunc, quid Gallicanae causae patroni hic excipiant. Prouocant scilicet ad edictum seu constitutionem Caroli V. imperatoris, Bruxellis A. MD XLIX. editam, cui titulus, gallicana quidem lingua, hic est: *Bulle d' or ou edit de l' Empereur Charles V. pour regler l' ordre de la succession au Duché de Milan:* quippe in qua constitutum sit, in ducatu Mediolanensi, ceu feudo hereditario, feminis non minus quam masculis successionem concedendam esse. Feminae autem, si non excludantur a successione, proximum heredem esse Delphinum eiusque posteros, quibus adeo aditus ad hunc ducatum denegari nequeat.

§. XXX. Nos equidem fatemur, licet, secundum communem receptamque feudorum indolem, feminae, harumque posteri, a successione in feuda excludantur, interdum tamen ab hoc more discedi, aditumque feminis etiam ad successionem in feuda patere, siue feudum per se & sua natura ita comparatum sit, vt feminas a successione arcere nequeat, siue consuetudo hoc permittat, siue denique conuentione & pacto inuestiturae adiecto expresse hoc actum sit, vt feudum ad feminas etiam transmittatur.

Digitized by Google

tatur. Quae omnia in dissertatione de successione in feudo masculis & feminis concesso, vberius explicat illustris vir Samuel Strykius. (i) Fatemur quoque, in Bulla ista aurea Caroli V. ita constitutum esse, vt saltem, quamdiu ducatus Mediolanensis penes familiam Austriacam sit, feminis pariter ac maſculis, secundum ordinem successionis linealis, aditus ad successionem concedatur. Sed simul tamen obseruamus, ducatum Mediolanensem non sua natura inter ea feuda referendum esse, quae feminas admittunt, sed ex pacto primae inuestiturae, genti Austriacae collatae, adiecto, hoc demum prouenire. Praeterea nec illud praetermittendum, ex ista constitutione Caroli liquido patere, voluisse illum securitati gentis suae hac sanctione consulere, ne possessione istius ducatus vnquam excideret. Ergo si in eiusmodi constitutionibus atque sanctionibus, non ad verba, sed ad mentem sancientis respiciendum est, quod ad nauseam vsque inculcant Galli, dum contra renunciationem Mariae Theresiae disputant, cur non in huius constitutionis expositione eidem regulae locum concedunt? Quis vero existimaret, conueniens esse menti Caroli, vt gens Austriaca possessione huius ducatus excidat, eandem

(i) *cap. I. §. XIX. seqq.*

contra adipiſcatur Borbonica? Certe ſi iſtam, quae hodie agitatur, cotrouerſiam praeuidere potuiſſet, absque dubio alium introduxiſſet ſuccedendi ordinem. Manifeſtum quoque eſt, dominum feudi nulla lege prohiberi, quo minus mutare ea poſſit, quae in prima inueſtiturae collatione conceſſa equidem fuere, ſed, mutata rerum facie, contra mentem contraque voluntatem primi feudum conferentis eſſe, deprehenduntur. Id quod, ni fallor, ipſe innuit Carolus, dum in Bulla iſta aurea hanc reſtrictionem diſerte addit: *Sans preiudice neantmoins de notre ſouverainité & de la ſoumiſſion feudale, tant envers nous, que le St. Empire.* Sed quid opus eſt ambagibus? Si vel maxime omnia concedantur, quae ex hoc diplomate euincere Galli cupiunt, nihil tamen obtinebunt. Proximus, inquiunt, agnatus in ducatu Mediolanenſi ſuccedere debet. Largimur: aſt quis eſt proximus agnatus Caroli ratione ſucceſſionis? non Delphinus, aut dux Andegauenſis, qui omni iure ſuo exciderunt, ſed imperator noſter Leopoldus: hic ergo in Mediolanenſi quoque ducatu ſuccedere debet.

§. XXX. Quod de Mediolanenſi ducatu dictum, illud eodem modo de prouinciis Belgicis, quae regno Hiſpanico hac-

hactenus iunctae fuerunt, est intelligendum. Certe vniuersum Belgium ab antiquissimis temporibus, saltem donec ad Burgundicos principes peruenit, in obsequio fuisse imperii, positum est extra controuersiam, tamque luculenter hoc demonstrauit Hermannus Conringius, in praeclaro de finibus imperii Germanici opere, (k) vt nihil addi possit. Burgundici autem principes licet, potentia sua freti, imperii auctoritatem insuper habere viderentur, Caesar tamen ordinesque a iuribus suis nihil remiserunt, immo vocare ad comitia Burgundicos principes, & Carolum audacem, imperii res turbantem, proscribere non dubitarunt. Et Philippus quidem comitiis quibusdam interfuit, ad alia autem legatos suos misit. Ipse autem Carolus Audax a Caesare petiit, se regem Belgii declarari, *haud facturus*, inquit Conringius, (l) *si existimasset, Caesari & imperio regiones illas obnoxias non esse, quo erat elato animo.* Ex quo autem ad Austriacos principes Belgium peruenit, imperii iura confirmata iterum, & egregie stabilita sunt. Certe Maximilianus I. imperator voluit, omnes illas prouincias circuli Burgundici titulo in corpus imperii cooptari, constituta certa summa oneris in

(k) *cap. XXVIII. pag. 735. seqq.* (l) *l. c. pag. 794.*

publicum conferendi. (m) Carolus autem quintus, nepos Maximiliani atque ſucceſſor, licet variis priuilegiis tum reliquis ditionibus ſuis, tum maxime etiam Belgicis prouinciis conſuleret, neutiquam tamen ab imperio eas ſeparauit, ſed ſanctione potius ſolenni cum Statibus imperii inita, & A. MDXLVIII. promulgata, conſtituit, vt hae prouinciae *in poſterum & ſemper* (ita verba huius ſanctionis ſe habent) *ſub protectione, cuſtodia, conſeruatione & auxilio imperatorum S. R. I. eſſent.* Ipſas pacti tabulas, quae rem plane conficiunt, nec vllam dubitandi cauſam alicui relinquunt, exhibet idem Hermannus Conringius. (n) Et in eo quidem ſtatu ad noſtram vsque aetatem Belgicae prouinciae permanſerunt; niſi quod ſeptem illarum in libertatem ita ſe aſſeruerunt, vt ſimul etiam omne exuerint imperii obſequium: aſt reliquae Hiſpanis hactenus parent, vt tamen idem vinculum, quo cum imperio noſtro colligatae ſunt, integrum ſemper atque ſaluum permanſerit. Gallis autem quidnam vel προφασιν iuris in has prouincias praebere poſſit, egò quidem non video. Siue enim ex communi feudorum indole, ſiue ex natura feudorum hereditariorum, & in quibus feminis etiam ius ſucceden-

(m) *conf. Receſſus imp. de an. 1512. n. 11. ſeqq.* (n) *l. c. pag. 780. ſeqq.*

cedendi conceditur, has prouincias aeſtimes, vtroque modo cauſa cadent. Priori modo ſi ſpectentur, feminae, & illarum poſteri, a ſucceſſione excluduntur. Aſt poſteriori modo ſi eas conſideres, per renunciationem Delphinus iure ſuo excidit, neceſſarioque ad gentem Auſtriacam ſucceſſio redit.

§. XXXII. De regno Neapolitano paucis etiam aliquid addendum eſt. In eo conſentiunt partes litigantes, illud eſſe feudum Romani pontificis, ab eoque adeo inveſtituram eſſe impetrandam. Conſtat praeterea, Iulium II. pontificem. A. MDX. Ferdinando catholico, ſimulque eius ex filia nepoti Carolo, poſtea vero Leonem X. ipſi imperatori Carolo V. pro ipſo ipſiusque in regno Arragoniae heredibus & ſucceſſoribus, tam maſculis quam feminis, ita vt maſculi feminis, & natu maiores minoribus, in eodem regno praeferri debeant, inueſtituram huius regni contuliſſe. Et iſta quidem inueſtitura ab omnibus ſequentibus pontificibus, heredibus atque ſucceſſoribus Ferdinandi catholici, repetita fuit. Iam ergo cum poſteritas Ferdinandi per duos eius nepotes, Carolum & Ferdinandum, in duos ramos abierit, Hiſpanicum & Auſtriacum, & vero ille per mortem Ca-

roli II. quoad heredes maſculos extinctus ſit, quid aliud ſupereſt, quam vt, ſecundum receptum morem ſucceſſionis feudalis, alter ramus ad ſucceſſionem vocetur. Si teſtamentum Caroli opponas, reſpondemus, illud irritum eſſe, cum ne in ipſa Hiſpania quidem, multo minus in feudis, eiusmodi quid disponere potuerit, quo ius alterius laeditur. Sin ad ſucceſſionem linealem recurras, ſi vel maxime probatum fuerit, eam in regnis etiam, quae feudi titulo Hiſpaniae reges hactenus poſſederunt, attendendam eſſe, ea nihil pro Gallis obtinet, cum in iſta, ob renunciationem, imperator quoque pro proximo herede habendus ſit. Sed cauſa iſta *in litteris imperatoris ad pontificem* egregie iam perorata eſt.

§. XXXIII. Reſtat nunc, vt, promiſſorum memores, de vtilitate quoque huius teſtamenti aliquid adiiciamus. Equidem ſapientum ſcitum eſt, illud demum vtile eſſe, quod honeſtum ſit, quicquid vero turpe eſt aut iniuſtum, quantacunque etiam vtilitatis ſpecie ſeſe commendet, reuera tamen eſſe noxium. Sed hoc, an apud omnes politicos locum inuenturum ſit, neſcio. Dandum itaque aliquid eſt horum moribus, vtilitatisque quaeſtio ſeparatim tractanda. In eo autem omnes conuenire mihi perſuadeo,

Digitized by Google

deo, illud demum recte vtile hic dici, quod tum vniuerſae Europae, tum maxime ipſius regni Hiſpanici, omniumque eius ciuium conſeruationi & incolumitati eſt conueniens. Aliam enim qui ſibi vtilitatem fingit, aut qui id demum vtile putat, quod vni prodeſt, pluribus nocet, quid dicat, quidue differat, parum mea opinione penſi habet.

§. XXXIV. Ad ipſos itaque ciues Hiſpanici regni quod attinet, prima fronte iſta rerum mutatio ſub vtilitatis ſpecie magnopere illis forte abblandietur. Aſt ſi qui inter eos prudentiores ſunt, nec praeſentia tantum, ſed futura quoque animo voluere, riteque inter ſe componere didicerunt, illorum quin diuerſa admodum diſſentiensque ab iſtis futura ſit opinio, nullus plane dubito. Pro commodo forte reputabunt Hiſpani, quod non amplius Gallicana illis formidanda ſint arma, cum, quem antea vt hoſtem timuerunt, nunc vt defenſorem protectoremque venerentur. Nimirum eadem horum hominum eſt felicitas ac obſeſſae vrbis, quae egregie ſibi conſuluiſſe videtur, ſi recepto intra moenia hoſte, eius non amplius ſuſtinere debet inſultus. Hanc credo, felicitatem non multi illis inuidebunt. Porro, placebit forte illis Galliae regis

auctoritas, partaque multis bellis militaris gloria, credentque, tanto auo genitum ad priſtinum decus Hiſpanicam quoque reducturum gentem, Scilicet, ranae, vt in fabula eſt, ciconiae admiratae magnitudinem, eam ſibi expetiuerunt in regem, hoc demum euentu, vt rex deglutiret, quos defendere debebat. Principum comparatio res equidem inuidiae plena eſt, ego tamen, ſi dicendum, quod res eſt, nihil video, quod expectare a Borbonica gente Hiſpani poſſint, quod non etiam a gente Auſtriaca ſibi potuiſſent polliceri. Ad metum Gallicanorum inſultuum quod attinet, ſi modo Hiſpania ſuis rite vteretur viribus, non ſane vllam a Gallis ſibi metuendi haberet cauſam. Praeterea felicitas externa reipublicae in eo conſiſtere videtur, vt ſubditi tranquille atque quiete viuant, opibus ad vitam ſuſtentandam neceſſariis affluant, & labore ſuo parta ſecure poſſideant. Haec omnia facile obtineri poſſunt, ſi rex illis imperet, qui nimiis exactionibus populum non exhauriat, quique, vt artes, commercia atque opificia floreant, omnem nauet operam. Magnopere autem falluntur, qui regni aut reipublicae felicitatem ex bellis feliciter a rege geſtis aeſtimant. Fieri enim ſecus non poteſt, quam vt ſubditi, ſub bellicoſis regibus degentes omnium ſint miſer-

Digitized by Google

ſerrimi. Bella enim vt ingentes requirunt ſumptus, ita bonis ſuis omnibus non poſſunt non ſpoliari, & ad extremam egeſtatem redigi, ſubditi. Non eſt, vt clarius dicam, quid velim: illis, qui vel Gallicanorum ſubditorum ſortem exploratam habent, haec obſcura eſſe nequeunt. Denique mitiſſimo moderatiſſimoque gentis Auſtriacae regimini iam aſſueti ſunt Hiſpani. Gallicana an ferre imperia poſſint, nondum exploratum eſt. Aui exemplum, Andegavenſis ducis animo nunquam non obuerſabitur. Ad huius ſe componere mores pulchrum ducet. Sperant forte Hiſpani, quod ad illorum genium indolemque Philippus ſe attemperaturus ſit: quid vero ſi de Hiſpanis idem ſperet Philippus? quid ſi vtrosque ſpes fallat? Imprudentes ſane atque incautos fallit ſaepius. Quare malis atque incommodis, quae ſane non poſſunt non inde prouenire, obuiam eundum eſt in tempore. Namque ex ingenii diuerſitate diſſenſiones, ex diſſenſionibus diſcordiae, ex discordiis tandem bella inteſtina oriuntur, per quae & florentiſſimis regnis vltima affertur pernicies.

§. XXXV. Non minus autem reliquorum Europae principum, rerumque publicarum, quam ipſorum Hiſpanorum intereſt, qualis ſit rex Hiſpaniae. Vitio illis itaque

que verti nec poteſt, nec debet, ſi & iſti in hac rerum Hiſpanicarum commutatione ſollicite dispiciant, quid rebus ſuis expediat, quoue pacto, quantum iuſtitiae ratio permittit, ſuae conſulere queant ſecuritati. Id ratio omnes docet, aequalitatem & concordiae & omnis boni eſſe matrem: fontem contra omnium bellorum eſſe inaequalitatem. Ea enim eſt humani ingenii indoles, vt, niſi metu coerceatur, cupiditatibus ſuis vix limites ponat. Gaudeat ergo princeps tanta potentia, cui reſiſtere nemo poſſit, num aliud quid quam ſeruitutem vicinis reſtare putas? Pacta forte & foedera eum cohibebunt. Scilicet! experientia iam docuit, quam iſta vim habeant. Iam ergo, ſi Galliae vires per iſtud Caroli teſtamentum coniungantur cum Hiſpania, quemadmodum coniungi neceſſe eſt, nihil aliud ſupereſt, quam vt ad Gallorum iugum ſubeundum florentiſſima Europae regna ſeſe comparent. Sola virium aequalitas ſtatum tranquillitatemque Europae conſeruare poteſt. Inaequalitas autem, quae manifeſto per Galliae & Hiſpaniae coniunctionem inducitur, eam non poteſt non penitus euertere.

§. XXXVI. Et Italia quidem, ſi non Gallorum Hiſpanorumque imperium in ſe recipiat, ab illorum tamen nutu in poſterum

ſterum vnice pendebit. De Romano pontifice, cui primus inter Italiae principes locus debetur, iam pridem iudicauit dux Rohanius: (o) *ditiones eccleſiae Hiſpanorum regi adeo ſunt commode ſitae, vt, ſi ſemel praetextum ſpecioſum defenſionis ſanctae ſedis ſe ponat, facile dominium hoc inſigne ſibi ſubiugaverit.* Quodnam itaque aduerſus Hiſpanorum vim Romano pontifici parabitur praeſidium? ad Gallos confugiendum. Ita rectiſſime etiam de reliquis Italiae principibus iudicat idem dux Rohanius: (p) *In genere autem*, inquit, *omnium Italicorum principum vera ratio ſtatus ſemper in eo conſiſtit, vt ad minimum vnam portam ſe aduerſus tam formidabilem potentiam* (Hiſpanorum) *conſervandi apertam ſeruent. Et quamuis hac de cauſa cum aliis principibus optime ipſis conveniendum ſit, cum rege tamen Galliae hoc principaliter vt faciant, tres potiſſimum ob cauſas praeſtat.* Quid ergo, ſi Hiſpani cum Gallis ad perdendam Italiam conſpirent? vti per arctiſſimam iſtam vnionem facile conſpirare poſſunt. Actum eſt de Italia: ne ipſa quidem ſalus eam ſeruare poteſt.

§. XXXVII. Belgica respublica, vt nunc de Heluetiis nihil dicam, iisdem ſe expoſitam eſſe periculis, facile ſentiet. Et dubio ſa-

(o) *in trutina Statuum Europae diſc. IV. pag. m. 34.* (p) *diſc. III. p. 29.*

ſane res iſta caret, modo fata huius reipublicae, a prima origine, ad noſtra vsque tempora, memoria repetamus. Videmus namque, aut per Gallos contra Hiſpanos, aut per Hiſpanos contra Gallos, eam defenſam eſſe, manifeſto documento, alter-vtro rege illi ſemper contra alterum opus eſſe. Habebat olim iuſtas, ob Hiſpanorum potentiam ſibi metuendi, cauſas: ſed hodie longe maiores iuſtioresque habet ſibi metuendi a Gallis. Praeterquam enim, quod nunc Hispanorum praeſidio nudati ſint Belgae, ipſa quoque vicinitas hoſtis merito illis formidinem incutit. Ne quid nunc de commerciorum decremento omnino illis metuendo, aliisque cauſis dicam. (q) Procul haec omnia equidem amoliri nititur auctor ſchediaſmatis ſaepius a nobis memorati, *Lettre ecrite d' Anvers &c.* qui nihil niſi magnifica Galliae regis promiſſa crepat. Nihil illis metuendum dicit, cum rex chriſtianiſſimus paratus ſit, vna cum rege catholico, illorum ſecuritati quouis modo conſulere: *puisque par un effet ſingulier de ſon affection envers vous & de ſa propenſion à la tranquillité de l' Europe, il vous à fait faire des ouvertures les plus avantageuſes du monde touchant la barriere du Pais Bas, vous offrant de con-*

(q) *vid. Reflexions ſur une lettre ecrite d' Anvers p. 98. 99. ſeqq.*

concourir ce point avec ſa Majeſté catholique, pour vous procurer une raiſonnable ſeureté. Fiſtula dulce canit. Interim ſi varia documenta, quibus modernus Galliae rex ſingularem amorem ſuum erga rempublicam Belgii foederati demonſtrauit, quemque auctor tantopere iactat, Belgici proceres ſecum reputent, forte non praeſtantius illis occurret, quam illud, quod A. M DC LXXII. Galliae rex illis exhibuit. Certe niſi imperator noſter, atque Hiſpanus, dum aduolaſſent, iam pridem ſub Gallorum iugo gemeret, priſtinam fruſtra requirens libertatem, Belgium. Ego ſane non video, quo pacto reipublicae huius conſuli ſecuritati poſſit, niſi Belgium Hiſpanicum principi cedat, qui nec addictus ſit Hiſpanorum Gallorumue commodis, & iis inſuper viribus praeditus, vt contra vtriusque gentis inſultus defendere hasce prouincias poſſit. Aſt, qui ſibi perſuaſerit, in id vnquam Hiſpaniae Galliaeque reges conſenſuros, is ſe ipſum decipiet turpiter.

§. XXXVIII. Sed pergit auctor, vtque Belgas a ſalubrioribus conſiliis auertat, ita ratiocinatur: Grauiſſimum, quod ex iſta ducis Andegauenſis ſucceſſione in Belgium foederatum redundare incommodum poteſt, bellum eſt, quod aliquando Hiſpaniae Galliaeque reges coniunctis ei inferre viribus

Digitized by Google

ribus poſſent. Aſt hoc vti incertum dubivmque eſt, ambigui inſuper euentus, ita dubitat, an prudenter acturi ſint proceres Belgici, ſi ad ſucceſſionem iſtam impediendam bellum praeſens, incommodumque adeo certum, futuro & incerto praetulerint. *Ainſi*, inquit, *voila toutes vos craintes & vos frayeurs reduites à un advenir incertain & à de ſoupſons, & des ſpeculations anticipées de ce, qui pourroit arriver un jour. Avoüez, moi, Monſieur, qu' il faut aimer bien peut ſon repos pour ſe tourmenter reellement & de fait, ſur des idées d' une posſibilité future, dont dieu ſeul par ſa toute ſcience peu penetrer l' evenement. Mais ſi en cela il y a peu de raiſon, il y en auroit encore moins a ſe porter ſans cauſe à une guerre effective ſur des apprehenſions vaines, puisque ce ſeroit choiſir dês à preſent pour remede le mal le plus grand quel l' on pourroit craindre à l' avenir.* Ita ſimplicioribus offundenda eſt caligo. Enimvero imprudenter agere, qui periculum certum ſubeat, ad declinandum incertum, lubens fateor. Aſt longe aliter pronunciandum, ſi praeſens & futurum periculum non tantum aeque certum ſit, ſed & ſi ſuppetant rationes, quae ſuadeant, ſi praeſenti periculo nos committamus, facile nos euitare poſſe periculum futurum: hoc contra declinandi nullam ſupereſſe viam, ſi praeſens ſubire nolimus. Nondum in no-

vo

vo iſto imperio confirmati ſunt Hiſpanorum animi, plurium quoque ſimul cauſa agitur, qui adeo coniunctis viribus, & totius Europae, & vicinarum ſpeciatim rerumpublicarum, promouere ſalutem tranquillitatemque poſſunt: quam occaſionem ſi ſemel dimiſerint e manibus Belgae, fruſtra eandem forte in poſterum expectauerint.

§. XXXIX. De Germania noſtra quicquam addere, fere ſuperuacaneum fuerit. Optandum potius, vt proceres imperii poſitis diſſenſionibus domeſticis, ſublatisque diſcordiarum ſeminibus, coniunctis conſiliis viribusque id agerent, vt Gallos, tantum non in viſcera imperii penetrantes, procul inde remouerent. Aſt hactenus intra vota res iſta ſubſtitit. Interim ſola tamen concordia Statuum eſt, quae ſeruare Germaniam poſſit. Quod ſi quis autem ſibi perſuadeat, nullum ex iſta potentiſſimorum regnorum coniunctione Germaniae imminere periculum, aut de Auſtriacae gentis incrementis ac decrementis reliquos ordines parum eſſe debere ſollicitos, ille hoc magno conatu mihi agere videtur, vt ſuam rerum ciuilium imperitiam omnibus prodat. Hactenus per noſtra quidem vitia, vix ſolis Gallis, Hiſpanis plerumque pro nobis adhuc militantibus, pares eſſe potuimus. Num ergo, ſi Hiſpanicarum virium acceſſione illorum inſuper auctae fuerint, nos iis

pares futuros credimus? Etenim, vt ad tam perfectam concordiam reuocetur Germania, vt suis recte contra Gallos vti viribus possit, ne quidem sperandum est. Aut putamus, forte cupiditati suae limites positurum regem, cumque sub iugum mittere Germaniae principes possit, aequiorem tamen eum fore, quam vt simile quid ab eo metuendum sit? Aut quid tandem est, quo imminentem nobis tempestatem nos euasuros speramus? Forte praetextus & causae, quas obtentui sumat, deerunt? Immo si non a Carolo Magno eas repetere licet, a Noacho atque Adamo easdem accerset. Videbunt ergo, immo dolentes gementesque videbunt Germaniae principes, in eam se praeter spem praeterque opinionem redactos sortem, in quam Galliae duces principesque iam pridem detrusi sunt, quibus, praeter nomen titulumque, reliquum est nihil. Et sane, nisi me omnia fallunt, non illas tantum prouincias, quae finibus Gallicanis adiacent, hocce periculum tangit, sed vniuersam Germaniam. Nisi forte dicere velis, si in vna parte vrbis incendium excitatum sit, quod breui tempore per totam vrbem se diffundere possit, non omnes tamen incolas, de rerum suarum iactura forte facienda, debere esse sollicitos. Sed nolo in re manifesta plura addere; reliquo-

Digitized by Google

quorum enim regnorum aut rerumpublicarum, quibus forte cum Gallis vllum commercium intercedere poteſt, ſpeciatim Angliae Portugalliaeque, eadem plane eſt ratio. (r)

§. XL. In hisce omnibus tamen Gallicanae cauſae defenſor clamitat, perperam ſupponi vtriusque regni coniunctionem. Habere enim Hiſpanos ſuum regem, habere itidem Gallos, regnaque manere ſeparata. Hiſpaniae reges, qui hactenus imperarunt, cum domo Auſtriaca eandem agnoſcere originem, nihiloſecius tamen Hiſpanicas Auſtriacasque vires adeo non fuiſſe ſemper coniunctas, vt non raro in pacificationibus vna gens alteram neglexerit. Patere hoc ex pacificatione Monaſterienſi, Neomagienſi, Ryſwicenſi. Eodem modo, quin ſe res habitura ſit ſub duce Andegauenſi, eiusque ſucceſſoribus, non dubitat. Neque enim iſtum vnquam quicquam in gratiam Galliae regis facturum, quod rebus Hiſpaniae noxium futurum ſit: Regem quoque Galliae religioni ſibi ducturum, ea qua eſt pietate, a nepote ſuo quicquam poſtulare, quod ſalua iuſtitia hic concedere nequeat. Aſt iſta quidem & ſimilia, quae pasſim iactantur, apud prudentes rerum exiſtimatores parum efficient. Certe

(r) *Reflexion ſur une lettre ecrite d' Anvers p. 97. ſeqq.*

quod Auſtriaci pariter ac Hispani plerumque coniunctis viribus gentis ſuae commoda promouerint, nemo niſi omnium rerum rudis, negare poteſt, & vltima bella cum Gallis geſta, in quibus Hiſpani a partibus Auſtriacis, aut hi ab illorum partibus ſteterunt, ſatis ſuperque euincunt. Neque hoc illis vitio verti potuit, cum in rebus iuſtis, & aequis, iſta virium coniunctione vſi ſint. Interim lubentisſime fateor, licet arctisſimo vinculo gentes in diverſis regnis imperium tenentes inter ſe colligentur, ſaepius tamen occurrere caſus poſſe, in quibus hoc vinculum aliquantisper laxandum ſit, gensque quaelibet ſeorſim ſibi conſulere debeat. Hoc tamen non obſtante, in ſumma rei, inque his, quae ad potentiam totius gentis ſuae augendam faciunt, inter ſe conſentiunt, & non conſentire nequeunt. Hac autem in re, ſi Galliae Hiſpaniaeque reges conſpirent, quid non vicinis regnis atque rebus publicis metuendum eſt? Aſt, inquit, dux Andegauenſis nihil faciet, quod non expediat rebus Hiſpaniae: nihil eiusmodi ab eo exiget rex Galliae. Vtinam hoc credere poſſem. Homines ſunt reges, qui facile ſe induci patiuntur, vt familiae ſuae commodum praeferant commodo populi. Porro contingere poteſt, vt dux Andegauenſis ſibi perſuadeat, hoc Hiſpaniae expedire, ſeque

ſe.

Digitized by Google

ſecundum principia iuris Gallicani nihil inique agere, ſi cum auo ſuo aut patre arma ad alios, licet innocentes, opprimendos coniungat. Meliora de eo ſperamus: ſed cum ſpes incerta ſit, multique mortalium ea decipiantur, vitio profecto reliquis regibus rebusque publicis verti nequit, ſi firmius aliquod ſecuritatis ſuae praeſidium quaerant. Nos vero Deum humillimis precibus imploramus, vt ipſe rerum dominis rationes ſine bello Europae tranquillitatem, omniumque regnorum ac rerumpublicarum ſalutem ac ſecuritatem in tuto collocandi, ſuppeditet.

S. D. G.

VLTERIOR DISQVISITIO
DE
IVRE GENTIS AVSTRIACAE IN REGNVM HISPANIAE.

In qua respondetur ad ea, quae in commentariis historiae litterariae inseruientibus, qui in Gallia, iussu & auspiis serenissimi ducis Cenomanensis, publicae luci exponuntur, dissertationi, de Testamentis summorum imperantium, speciatim Caroli II. Hispaniae regis, obiiciuntur, & excerpta quoque historico-iuridica, de natura successionis in monarchiam Hispaniae accuratius sub examen reuocantur.

Digitized by Google

Σύνοψις.

Scripti huius occaſio, ratioque inſtituti, §. I. Cenſura gallica diſſertationis de teſtamentis principum, &c. exhibetur, §. II. Primae excerptorum hiſtorico-iuridicorum parti, iam in ipſa diſſertatione abunde fuiſſe ſatisfactum, §. III. Sed & caput cauſae in ipſa diſſertatione confectum fuiſſe ſummatim oſtenditur, §. IV. Pars ſecunda excerptorum hiſtorico-iuridicorum ſub examen reuocatur: ſpeciatim ſententia illorum, qui ius primogenituae in regno Hiſpaniae renunciatione amitti poſſe, aſſerunt, refertur. §. V. Quae huius ſententiae Molina opponit, diſcutiuntur, §. VI. VII. Quantum Molinae hic tribuendum ſit, ediſſeritur, §. VIII. An ex eo, quod maioratus Hiſpaniae iure ſanguinis deferuntur, item quod primogenitus, dum naſcitur, ſtatim habet ius ad ſuccedendum, aliquid contra noſtram ſententiam elici queat? §. IX. Quid cuilibet maioratus Hiſpanici poſſeſſori, in mutandis primae inſtitutionis conditionibus liceat? ex mente Molinae, §. X. An & quousque hoc locum in ſucceſſione in regnum inueniat? §. XI. Quod ex ſententia Molinae atque auctoris excerptorum, ſingulare ad cauſam Auſtriacam praeſidium accedat, demonſtratur, §. XII. Princeps quaeſtio: an & quatenus ordo ſuccedendi in monarchiam Hiſpani-

ſpaniae per leges fundamentales ſtabilitus, alia lege vel teſtamento principis mutari queat? proponitur, §. XIII. Exemplum, quo negativam ſententiam probare voluit auctor excerptorum, ex Mariana refertur, §. XIV. Monita auctoris excerptorum circa hoc exemplum discutiuntur, §. XV. XVI. Quae porro in continuatione tertia idem auctor circa hoc exemplum monuit, reuocantur ſub examen, & an ordo & ius ſuccedendi in regnum lege fundamentali ſtabilitum, mutari poſſit, & num facultas mutandi regi aut populo competat? disquiritur, §. XVII. XVIII. Exemplorum in hac controuerſia vſus, & quod iis noſtra quoque ſententia comprobari poſſit, §. XIX. Disquiſitionis huius concluſio, §. XX.

§. I.

DE iure ſereniſſimae gentis Auſtriacae in Hiſpanicas ditiones diſputare amplius velle, inutile plane atque ſuperuacuum alicui videri poſſet. Tam enim illud planum eſt atque euidens, tot luculentis etiam virorum doctorum commentationibus aſſertum, vt lucem ſoli affundere velle cenſeri queat, qui addere aliquid, quod operae pretium futurum ſit, in animum induxerit. Ad me quod attinet, cum in diſſertatione de *teſtamentis ſummorum*

Digitized by Google

rum imperantium, ſpeciatim Carolii II. Hiſpaniae regis, menſe Maio anni proxime elapſi edita, praecipua cauſae huius momenta ſimplici oratione & ſine fuco expoſuiſſem, iſtud mihi porro attingendum eſſe argumentum, haud perſuaſiſſem: non quod meis tantum tribuam ingenii viribus, ſed quod eam rei huius eſſe euidentiam arbitrabar, vt nulla temere ſophiſticarum cauillationum caligine obſcurari poſſet. Nunc tamen denuo neceſſitatem, de certiſſimo hocce Auſtriacae gentis in Hiſpaniae regnum iure, aliquid commentandi, impoſitam mihi video. Placuit namque doctiſſimis commentariorum, componendae hiſtoriae litterariae inſeruientium, qui iuſſu & auſpiciis ſereniſſimi ducis Cenomanenſis, prodeunt, auctoribus, cenſuram quandam iſtius diſſertationis meae ſuis commentariis inſerere, & quidem eiusmodi, vt, ſi vera eſſent, quae mihi obiiciuntur, prodidiſſe potius, quam aſſeruiſſe cauſam, quam defendendam ſuſceperam, videri multis poſſem. Illis equidem, quod pro rege ſuo militant, vitio haud verto. Licet enim, ſi ingenii vim, & doctrinae, qua abundant, copiam conſiderem, vix induci poſſim, vt credam, iis ius illud longe euidentiſſimum, quod gens Auſtriaca ſibi vindicat, non ſatis perſpectum eſſe: ſcio tamen,

men, quae amoris atque affectus erga principes, quibus paremus, vis ſit & efficacia. Praeiudicatis is doctiſſimorum virorum animos replet opinionibus, & perſpicacisſimis ingeniis caliginem offundit, vt clara eſſe putent, quae obſcura ſunt; certa, quae dubia; vera, quae falſa: iuſta denique & laude digna, quae alii forte inter flagitia maximaque retulerint ſcelera. Eandem vero aequitatem erga me & ab illis expecto: exiſtimaturis ſcilicet, me optima fide hic agere, nec aliam ob cauſam Auſtriacae gentis iura tueri, quam quia longe mihi eſt perſuaſiſſimum, ab Hiſpanici regni poſſeſſione, non niſi per ſummum nefas, eam excludi.

§. II. Cum autem iſti, quos dixi, commentarii in paucorum heic verſentur manibus, iuuat ipſa verba, quibus mea de teſtamento Caroli II. diſſertatio perſtringitur, exhibere: (a) *Voici tout ce que dit le ſieur Buddeus pour repondre aux excerpta hiſtorica de Mr. Obrecht ſur le teſtament de Charles II. vous avez parlé de cette diſſertation de Buddeus, dans les memoires Iuillet & d' Aouſt. pag. 227. Il pretend chap. II. §. VIII. qu'il eſt clair & demonſtratif par la nature meme de la ſucceſſion,*

(a) *Memoires pour l' hiſtoire des ſciences & des beaux arts. menſ. Sept. & Octobr. art. XLIII. pag. 369.*

Digitized by Google

ſion, que ſi les heretiers legitimes manquent dans la poſterité de Charles V. (ce ſont ſes termes: ſi legitimi heredes in poſteritate Caroli V. deficiant) on ne peut ſe diſpenſer de transferer la ſucceſſion à la poſterité de Ferdinad. I. C' eſt aſſurement, de quoy on ne disconviendra point à la cour de France: mais la queſtion eſt deſçavoir ſi Philippe V. n' eſt pas heretier legitime de Charles II. & c' eſt iuſtement, de quoy Mr. Buddeus ne parle point. Mais il prouve fort au long' que les Eſpagnols n' ont pas toujours gardé les mêmes regles dans la ſucceſſion de leurs Rois, & que quand il faudroit regler la ſucceſſion par les degrez de parenté, comme le pretend Mr. Obrecht, & comme Mr. Buddeus ne le nie pas, la Maiſon d' Autriche ne perdroit pas pour cela ſes droits. Sententia huc redit: me in dicta diſſertatione pro certo exploratoque poſuiſſe, ſi legitimi heredes in poſteritate Caroli V. deficiant, ſucceſſionem citra controuerſiam pertinere ad poſteros Ferdinandi I. Hoc ipſum vero eſſe, quod Gallicanae cauſae patroni quam lubentiſime concedant: aſt ſupereſſe adhuc, vt demonſtretur, Philippum V. non eſſe legitimum heredem, atque hoc magno a me praetermiſſum ſilentio. Prolixum me in eo fuiſſe, vt euincerem, in regno Hiſpaniae non eandem ſemper obſeruatam fuiſſe ſuccedendi rationem: quod tamen Philippo non obſit, cum

ea

ea ſuccedendi ratio, quam & ego & Obrechtus admittamus, genti Auſtriacae non ita faueat, vt praetereundus ideo fuerit Philippus,

§. III. Hic equidem profiteor, non mihi conſtitutum fuiſſe, illuſtrem virum Obrechtum, quem excerptorum iſtorum hiſtorico-iuridicorum auctorem eſſe fama fert, nec auctores commentariorum abnuunt, ex inſtituto refellere: ſed in transſitu, & velut aliud agendo, oſtendebam, quae in hoc ſchediasmate continentur, cauſae Auſtriacae non obſtare. Praeterca cum iſta ſcribebam, primam ſaltem iſtorum excerptorum partem videram, cui tamen deinceps tres continuationes, vt vocantur, acceſſere. In prima autem iſta excerptorum parte, auctor, quisquis ſit, hoc ſaltem agit, vt oſtendat, & teſtimoniis iure-conſultorum Hiſpanicorum comprobet, in regno Hiſpaniae obtinere ſucceſſionem linealem cognaticam. Ego itaque docui, hac ſua obſeruatione auctorem parum proficere, nec cauſae Auſtriacae vlla ratione nocere. Et id quidem ideo, quia etiam ſecundum hunc ſuccedendi modum, Auſtciacae genti ſucceſſio & ius in regnum Hiſpanicum competat. Deinceps tamen addidi, non tam accurate obſeruatum fuiſſe hunc ſuccedendi modum in regno Hiſpaniae, vt non exempla in contrarium afferri poſſint. Per

eum

eum namque ſucceſſio in regnum Portugalliae poſt mortem Henrici cardinalis & regis Portugalliae, ad Eduardum potius eiusque poſteros, quam ad Philippum II. Hiſpaniae regem pertinuiſſet. Et nihilo ſecius, doctiſſimos Hiſpanorum iure-conſultos eo tempore pro Philippo rege pronunciaſſe, conſtat. Mirifice autem mea inde confirmatur ſententia, quod ipſe auctor excerptorum (b) ex Ludouico de Molina (c) moneat, ad ſucceſſionem linealem cognaticam requiri, vt ratio habeatur (1) lineae, (2) gradus, (3) ſexus, (4) aetatis. Atque hoc ad primam iſtam excerptorum partem refellendam ſufficit. Sed hac de re, vti & de reliquis excerptorum partibus, deinceps videbimus.

§. IV. Quod autem porro dicitur, me prolixe equidem de variis ſuccedendi modis in regno Hiſpaniae diſſeruiſſe, ſed non probaſſe, Philippum V. non eſſe legitimum heredem regni Hiſpanici, in eo auctorem cenſurae, quisquis etiam ſit, maximopere falli, manifeſtum eſt. Ipſa eum redarguit, atque conticeſcere iubet, diſſertatio noſtra. Etenim ſereniſſimum Galliae Delphinum, eiusque filium Philippum, Andegauenſem ducem,

(b) *part. I. pag. 7.* (c) *de Hiſpanorum primigeniorum origine ac natura, lib. III. cap. IV. n. 13. & 14.*

ducem, iure ſuo in regnum Hiſpaniae per ſolennem matris Delphini renunciationem excidiſſe, & eiusmodi renunciationes iure validas eſſe, demonſtraui *cap. II.* §. *X.* Immo & iure ciuili §. *XI.* Ita denique eam renunciationem comparatam fuiſſe, vt ex nullo capite irrita aut inualida reddi potuerit, oſtendi luculenter §. *XII. ſeqq.* Iam cum auctor cenſurae concedat, pariter ac auctor excerptorum hiſtoricorum, ſucceſſionem in regnum Hiſpanicum pertinere ad gentem Auſtriacam, niſi Delphinus eiusque liberi obſtent: a me autem demonſtratum ſit, hos non obſtare, cum iure ſuo exciderint: nihil aliud ſupereſt, quam vt concludamus, vel ipſorum confeſſione, ſtabile, firmumque eſſe ſereniſſimae gentis Auſtriacae ius in ditiones Hiſpanicas. Nec eſt, quod teſtamentum forte Caroli aliquis obiiciat. Hoc enim ius quaeſitum domui Auſtriacae eripere non potuiſſe, demonſtratum §. VII. Qua fronte itaque auctor cenſurae aſſerere potuit, a me ne verbo quidem probatum eſſe, Philippum V. non eſſe legitimum heredem?

§. V. Sufficere haec poterant ad meam diſſertationem vindicandam. Sed quoniam vidi, in excerptorum continuationibus nonnulla afferri, quae imperitioribus fucum facere queant, operae fuerit pretium, hasce nebu-

nebulas dispellere: idque eo lubentius facio, quod videam, ab auctoribus commentariorum Trivoltienſium haec excerpta hiſtorica magnificis laudibus in caelum tolli. De prima parte nihil amplius monendum. Sufficit, quod in eo conſentiamus, hodie in regno Hispaniae obtinere ſucceſſionem linealem cognaticam, & a me probatum ſit, ſecundum hanc ſucceſſionem pertinere ad gentem Auſtriacam. Quae in parte ſecunda disputat de teſtimonio Lucae Tudenſis, quod non in omnibus Chronici eius exemplis reperiatur, critica ſunt, & ad rem ipſam nihil faciunt. Reliqua eiusdem partis teſtimonia, in re euidenti & non dubia, ſuperuacua ſunt. Illud potius paulo accuratius expendendum, quod in *continuatione II.* in quaeſtionem venit, an in regno Hispaniae ius primogenitурae (adeoque & ius ſucceſſionis) renunciatione amitti queat? Molina auctori vtramque paginam facit, hic inſtar oraculi eſt, aut ſacrae cuiusdam anchorae, cui, ſed proh! lubricum fundamentum! Gallicana innititur ſalus. Sed audiamus tamen iſtum Molinam: *Decimo ſeptimo alia communis regula occurrit interpretanda; quod ſcilicet ius primogenitурae renuntiari, cedi atque etiam vendi valeat: prout habetur Geneſ. cap. 25. & ad Hebraeos cap. 12. text. in c. quam periculoſum. vbi gloſſ. id annotauit q. 1. idque Hoſti. Io. And. Praepo*

Anchara. & Panormi. in c. licet deuoto, verum esse profitentur. Iason. in l. pactum, quod dotali. n. 4. C. de colla. Guilielm. Bened. in rep. c. Rainutius de testam. verb. duas habens filias. num. 24. Rodericus Xuar. in rep. I. quoniam in prioribus C. de inoffic. testam. limit. 5. num. 4. Tiraquell. de primogen. qu. 29. n. 1. 18. Lecerier de primogen. lib. III. qu. 8. Matthae. de Afflictis in cap. 1. de natura succes. feud. n. 38. cum seq. Burg. de Pace in prooem. II. Taurinar. n. 94. quod praesertim procedit, si renunciatio, cessio, seu venditio fiat sequenti in gradu: prout ex pluribus probant Iacob de Bellouis. Bal. Mart. Lauden. Aluaro. & Praepo. in cap. 1. §. praeterea quib. mod. feud. amitta. Iason in l. quae dotis. n. 64. ff. solu. matri. Tiraquell. de primogen. qu. 26. n. 1. cum seq. Burg. de Pace in d. prooem. II. Taurinarum n. 95. quae renunciatio valida est, etiamsi vivo praecedente maioratus possessore fiat. Iason in l. pactum quod dotali n. 4. C. de colla. Deci. consil. 445. n. 29. Xuar. in d. rep. l. quoniam. 5. limita. n. 4. Tiraquell. qui plura refert de primogeni. qu. 29. n. 2. Burgus in d. prooem. n. 98. Ergo si auctoritatibus res conficienda esset, insigne praesidium nostrae causae ipse Molina afferret. Hosce omnes enim, quos longo agmine recensuit, in eo consentire autumat, succedendi ordinem per renunciationem tolli posse. Apud me quidem auctoritatum & testimoniorum, saltem

saltem in hoc disceptandi genere nulla vis est: apud auctorem tamen excerptorum plurimum valeant necesse est, qui iis omnia tribuit.

§. VI. Sed videamus nunc, quid Molina regerat, vt ostendat, in regno Hispaniae haec locum non inuenire. *Hoc autem*, inquit, *in Hispanorum primogeniis non procedit*. Hoc ne frustra dixisse videatur, rationem affert asserti, mirum ingenii acumen demonstraturus: *Cum enim eorum natura perpetua sit, & ad omnes ex familia institutoris procedentes eorundem successio deferri debeat; consequens est, vt nullus eorum in praeiudicium sequentium successorum maioratus successioni renunciare, nec illam alteri cedere seu vendere possit: Immo sequens successor statim poterit illam reuocare; prout infra isto libro c.16. n.32. dicemus.* Causam diuersitatis scilicet affert, quia natura primigeniorum in regno Hispaniae perpetua sit, & ad omnes ex familia institutoris procedentes eorundem successio deferri debeat. Esto. Ast num ita perpetua est, vt nulla ratione, nec vtriusque patris consensu, hoc ius tolli queat? Hoc non probauit Molina, & hoc quidem supponens, quod tamen non demonstrauit, bona fide, immo pene dixissem, magna impudentia, inde colligit, renunciationem, succeſſionemque in primogenitis regni Hi-

ſpaniae non habere locum. Pudet me pigetque hisce nugis immorari: ſed vt omnes intelligant, fruſtra ab auctore excerptorum hiſtoricorum vbique iactari Molinam, fontem cauſamque erroris tribus verbis oſtendam. Ius omne, quod reges habent ad ſuccedendum, vt vel tironibus prudentiae ciuilis notum eſt, oritur a conſenſu populi, ſeu pacto inter populum & familiam imperantium inito. Hoc autem pactum cum inter populum & totam familiam, adeoque & liberos ex ea naſcituros, initum ſit, hactenus quidem recte dicitur, quod ius illud ſit perpetuum. Sed quo pacto perpetuum ſit, hoc ex natura omnium pactorum & conuentionum intelligendum, & recte interpretandum eſt: vt ſcilicet tamdiu duret, quamdiu per mutuum conſenſum ab illo pacto non fuit diceſſum. In renunciationibus autem diſceditur. Ergo tum ius illud omnino tollitur. Et ſane ridiculae fuiſſent omnes feminarum Hispanicarum renunciationes, ſi ius ſuum nullo pacto amittere potuiſſent. Quis ſibi perſuadeat, magnos principes regesque Hispaniae tam aperte omnium ludibrio ſe exponere voluiſſe, filias ea lege in matrimonium collocando Galliae regibus, vt iuribus ſuis renunciarent, cum tamen, omni prorſus effectu renunciationem carere, probe ſcirent.

Mi-

Minus enim iis poteſtatis ſuae limites terminosque cognitos fuiſſe, quam Molinae cuidam, vt mihi perſuadeam, induci non poſſum. Ad poſteros autem illorum, qui renunciant iuribus ſuis, quod attinet, iam in ipſa diſſertatione (d) abunde a nobis demonſtratum eſt, eos non alio gaudere iure, quam quod ex conſenſu populi oritur: hoc autem ius eſſe hypotheticum, niſi ſcilicet populo viſum, aliud quid conſtituere. Quo ipſo tamen illis nulla fit iniuria. Actu enim nullum ius vnquam habuerunt, adeoque etiam non amittere poſſunt. Sed haec dicto loco iam confecta ſunt. De ciuilibus legibus hic non ſumus ſolliciti, quarum tamen in ſubſidium vocat auctoritatem Molina, forte quia vidit, rationes, quibus militare decreuerat, tam eſſe elumbes, vt iis parum proficiat. Principes enim rerumque domini vt ſuperiorem, niſi Deum, non agnoſcunt, ita ex diuinis tantum legibus, &, quae his innituntur, pactis ſeu legibus, vt vocari ſolent, fundamentalibus, de eorum iuribus pronunciandum.

§. VII. Sed lepidum prorſus eſt, quod idem Molina porro ſubiungit: *Quibus non obſtat illud, quod de Eſau in ſacra ſcriptura ſcriptum eſt; nec etiam illud, quod ſcribentes communiter dicere ſolent, quod iuri primogenitu-*

(d) *cap. II. §. XVII.*

turae libere renunciari valeat atque illud etiam libere cedi, atque vendi possit. Ea namque procedunt in primogenitis Hebraeorum & iure praecipui, quod in Gallia & aliis prouinciis primogenito defertur. Cum enim illud in vno actu successionis consumatur, libereque eisdem deferatur, consequens est, vt liberi etiam renunciari, cedi atque vendi possit. Quod in Hispanorum primogeniis, quorum successio perpetua est, non procedit. Esaui exemplum vtique huc non pertinet. Aliter enim se habet succeſſio in bona priuata, aliter successio in regna. Adeoque, quod venditio primogenitiurae reprehendatur in scriptura sacra, id nec nobis obstat. Leuitas animi, & alia, quae accesserunt, vitia effecerunt, vt ideo reprehensionem incurreret ipsa primogenitiurae venditio, si praegnantibus de causis, in aliorum salutem, hoc fiat, nusquam vituperatur, immo si recte se habeat, laudanda insuper est, & magnopere commendanda. Nihilosecius tamen, licet discrimen sit inter successionem in bona priuata, & successionem in regnum, hoc tamen in eo saltem consistit, quod illa ex voluntate vltimi possessoris, haec autem ex voluntate populi & pacto inter eum & familiam imperantem inito, pendeat. Vnde rursus magnopere fallitur Molina, quando ex hoc discrimine concludit, ius primogenitiurae in regno Hispaniae renunciatione, aut cessio-

Digitized by Google

ſione tolli non poſſe. Perinde enim eſt, ſiue ius illud primogenituræ vno ſucceſſionis actu conſumatur, ſiue perpetuum ſit. Perpetuum enim eſſe fatemur in regnis, in quibus ſucceſſio linealis obtinet, aſt non hoc modo, vt nullo vnquam caſu tolli queat, vt hactenus luculenter demonſtrauimus. Illa itaque ſententia iure-conſultorum, quod iuri primogenituræ libere renunciari valeat, atque illud etiam libere cedi atque vendi poſſit, non minus in ſucceſſionibus in bona priuata, quam in regnum, locum habet, & ſine omni ratione ad illa tantum reſtringitur.

§. VIII. Equidem ſi aut Molina, aut auctor excerptorum demonſtraſſet, legibus fundamentalibus regni Hispaniae cautum eſſe, vt nunquam ab iſto ſuccedendi ordine discedatur, & vt omnes iſti actus, quibus hic ſuccedendi ordo immutatur, aut euertitur, nulli ſint & irriti, dixiſſent ſane aliquid, quod haberet momentum, ſuaeque cauſae pondus aliquod adieciſſent. Aſt nihil nunc eiusmodi attulerunt. Nec aliud quid agit Molina, quam vt ea, quae rectae rationi conuenientia ſunt, & gentium etiam, immo ipſorum Hispanorum moribus comprobata, ratiunculis quibusdam infeliciter excogitatis impugnet. Quibus eruditum iſtum & ſapientem virum, modo is auctor horum excerptorum, cui ea fama tribuit,

adeo capi potuiſſe, vt exiſtimaret, iis tanti ponderis controuerſiam definiri poſſe, valde profecto miror. Et, niſi me omnia fallunt, caliginem ſaltem imperitioribus offundere voluit, Hispani iure-conſulti oſtentando auctoritatem, quaſi ea ſufficeret, vt orbi perſuadeat, in Hiſpania nefas eſſe, ordinem ſuccedendi ſemel receptum per renunciationem interrumpere. Quamuis ne hoc quidem dicat aut probet Molina, ſed ſophiſtica tantum quadam ratione, certiſſima & euidentiſſima iure-conſultorum effata, eludere annitatur. Ego demonſtraui, ſemper iura primogenitorum tolli, & ordinem ſuccedendi interrumpi poſſe per renunciationem, ſi populi conſenſus accedat. Hoc ſi quis contendat, in regno Hiſpaniae non procedere, proferat leges fundamentales, quibus demonſtret, renunciationibus & ceſſionibus non eſſe locum. Aſt hae proferri nequeunt. Immo nullas vnquam fuiſſe, ex ipſis renunciationum exemplis quam euidentiſſime patet.

§. IX. Eodem recidunt, quae porro ex Molina ſuo auctor excerptorum affert. Pulchrum Hiſpano illi iure-conſulto videtur, eadem ſemper oberrare chorda. Non morabitur nos, quod dixit: *Maioratus Hiſpaniae deferri iure ſanguinis: non iure hereditario.* Hoc cum ad ipſum regnum Hispaniae applicatur, ex ſupra dictis recte interpretandum,

Digitized by Google

dum, ad ἄτοπα quam plurima, ceteroquin inde ſecutura, euitanda. Defertur regnum Hiſpaniae iure ſanguinis, quia populus Hiſpaniae toti familiae imperanti regnum contulit. Sed qua conditione contulit? num ea, vt nunquam, accedente vtriusque partis conſenſu, ordo ſuccedendi immutari poſſit? Hoc probandum erat. Eodem tendunt, quae ex Molina porro exhibet. (e) *Quod ex primogenii inſtitutione facta, ex donatione modali vel conditionali, ſiue ex inſtitutione, legato vel praelegata vnicuique primogenitorum per tempus vitae ſuae facis, ſeu ex ſubſtitutione fideicommiſſaria, quamuis improprie reſultent tot donationes vel ſubſtitutiones, legata, aut praelegata in quemlibet primogenitum ex vocatis ad eiusdem primogenii ſucceſſionem, quot ſunt perſonae vocatae, ac ſi vnicuique eorum nominatim atque ſpecifice facta fuiſſet, vnaquaeque donatio, ſubſtitutio, legatum, ſeu praelegatum: ideoque, absque aliqua reſtitutione, quilibet vocatus conſequatur dominium eodem inſtanti ac momento, quo purificatur conditio, vel venit dies vocationis ex propria perſona, ſublato de medio praecedenti ſucceſſore: non autem ex iure ab eodem ſibi transmiſſo. Quodque id non ſolum in his, qui tempore inſtitutionis primogenii nati ſunt; ſed etiam in naſcituris verum*

(e) *ex lib. I. cap. I. num. 17.*

ſit. Vnde porro concludit, inquit auctor excerptorum, (ſcilicet Molina) (f) *Quod eo ipſo, quod primogenitus naſcitur, ſtatim eidem cum iure primogenituraе ſpes quaedam certa atque incommutabilis, ac ius ſuccedendi in habitu ad maioratus ſucceſſionem ſuo loco & tempore acquiratur: quod quamuis in vita parentis ſuſpenſum eſſe dicatur, illi tamen aufferri non poſſit: ſed ad eius primogenitum transmittatur: etſi in perſona parentis vocatio eo moriente defecerit.* Cuncta eo redevnt, in maioratibus Hispaniae, quam primum primogenitus naſcitur, iam ipſo actu eum habere ius ad ſuccedendum, quod illi aufferri non poſſit: & ita quoque in regno eiusque ſucceſſione ſe rem habere. Prius, quod ipſo actu ius ad ſucceſſionem habeat, qui eo ordine natus eſt, vt ſucceſſio aliquando ad eum pertinere debeat, lubentes concedimus. Fundamentum ſucceſſionis, conſenſus populi, hoc ſuadet. Aſt poſterius, quod aſſerit equidem Molina, ſed more ſuo non probat, videlicet quod hoc ius non tolli queat, plane non admittimus. Id equidem fatemur, inuito ius eiusmodi quaeſitum aufferri non poſſe; ſed id nunc non verſatur in quaeſtione. Volente autem eo, qui ius habet, & conſentiente, cur tolli nequeat, nullam ſane video rationem.

(f) *lib. III. cap. VI. num. 37.*

nem. Et ita ſplendida Molinae philoſophia in fumum abit.

§. X. Auctor autem excerptorum hiſtoricorum, Molinae ſubtilitatibus & fallaciis captus, hactenus egregie cauſam ſuam ſe egiſſe exiſtimans, priusquam ad conſiderandum, vtrum & quatenus ordo ſuccedendi in monarchiam Hispaniae per leges fundamentales ſtabilitus, alia lege vel teſtamento regis mutari poſſit? progrediatur, operae pretium ducit, disquirere: quid cuilibet maioratus Hiſpanici poſſeſſori in mutandis primae inſtitutionis conditionibus liceat? Hic oraculum ſuum, Ludouicum Molinam, iterum conſulit, quod etiam ſine reſponſo illum non dimittit. Ita autem Molina (g) iſte: *Vlterius infertur, non poſſe vltimum maioratus poſſeſſorem, eiusdem maioratus antiquas conditiones, ſeu vocationes mutare, nec alias nouas apponere. Cum enim iure ſanguinis eiusdem maioratus ſucceſſio reſpectu vltimi poſſeſſoris, acquiratur, nec ab vltimo poſſeſſore aliquid capiatur; non poterit is ſequentem poſſeſſorem qui ab eo nullum emolumentum percepit, nouis conditionibus onerare. Nec etiam poterit maioratus poſſeſſor antiquam primi inſtitutoris diſpoſitionem mutare.* Addit tamen: huic concluſioni plures limitationes aſſignari ſolere: v. gr. quod poſſit maio-

(g) *lib. I. cap. VIII. n. 12.*

maioratus poſſeſſor eam conditionem maioratui apponere, ex qua nihil nouum inducatur ſed ſolum tacita antiqui maioratus diſpoſitio expreſſe declaretur: item, quando maioratus ſucceſſio in vltimum ex familia deuenit, nec alius ex ea ſupereſt, qui poſſit eius ſucceſſionem praetendere: & quae alia ſunt eiusdem commatis.

§. XI. Quorſum haec tendant, quilibet facile perſpicit. Etenim ſi euictum fuerit, in regno Hispaniae pariter ac in maioratibus a poſſeſſore nihil prorſus mutari poſſe, ſua ſponte inde conſequitur, renunciationes, & ceſſiones, quibus forte ordo ſucceſſionis interrumpitur, omni prorſus carere effectu. Hic auctoris excerptorum hactenus laudo acumen ingenii, quod recte iudicet, totius controuerſiae, quae inter Auſtriacam Borbonicamque gentem agitatur, cardinem in eo verti, an renunciatio a matre Delphini facta ſit valida? hinc enim altera quaeſtio, de teſtamento Caroli II. num validum ſit? facile diiudicari poterit. Sed fruſtra ſane cum Molina ſuo omnem mouet lapidem, vt renunciationes eiusmodi valore ſuo atque effectu ſpoliet. Etenim quod ad maioratus Hispaniae attinet, illi cum regno Hiſpaniae, quoad ſucceſſionem, non in omnibus pari paſſu ambulant. Hactenus conveni-

Digitized by Google

veniunt, quod lubens concedo, vtrobique succeſſionem non dependere a voluntate vltimi poſſeſſoris, ſed in maioratibus quidem a voluntate eius, qui maioratum inſtituit, in regnis autem legitimis, (quale eſt Hiſpanicum) a voluntate ſeu conſenſu populi. Rurſus tamen in quibusdam differunt. Etenim v. gr. quod ipſe Molina aſſerit, quando maioratus ſucceſſio in vltimum ex familia deuenit, nec alius ex ea ſupereſt, qui poſſit eius ſucceſſionem praetendere, tum poſſeſſorem circa modum ſuccedendi in maioratum aliquid mutare poſſe, id de ſucceſſione in regnis legitimis neutiquam aſſeuerauerim. Etenim cum in iis ordo & modus ſuccedendi a voluntate populi & pacto inter eum & familiam imperantem inito pendeat, nulli imperantium, adeoque nec vltimo poſſeſſori, licet, ab iſto ordine ſine populi conſenſu & voluntate discedere. Aſt huius conſenſus, ſiue tacitus ſiue expreſſus, ſi adſit, nihil obſtat, quo minus ordo ſucceſſionis immutari poſſit, praeſertim ſi immutatio ad populi ſalutem, regnique conſeruationem ſit comparata. Et ita rurſus corruunt, quae Molina disputat, & cauſae Auſtriacae nihil nocent. Renunciationes enim feminarum Hiſpanicarum, quae Galliae regibus nupſe-

pſerunt, conſenſu procerum, populum repraeſentantium, factae ſunt.

§. XII. Sed non praetermittendum, quod haec disputans Ludouicus Molina, & auctor excerptorum talia approbans, neſcii velut & imprudentes, praeſtantiſſimum nobis ſubminiſtrent telum, ad illorum ſententiam confodiendam, qui omne cauſae Gallicanae praeſidium in teſtamento Caroli II. collocant. Contingit ſcilicet his, quod iniuſtae cauſae patronis & defenſoribus euenire ſolet, vt, cum ſuae imbecillitatis probe conſcii ſint, mox hoc, mox illud ſollicitent, & in omnem ſeſe vertant partem, certi nihil, in quo pedem figant, inuenientes. Sic alii ex teſtamento Caroli, alii ex immutabili ſucceſſionis lege, ius Philippi in Hiſpaniae regnum repetunt, alii aliud quid dicunt, ne nihil dixiſſe videantur. Sed dum ita ſibi ipſi contradicunt, & ſecum pugnant, quid aliud agunt, quam vt cauſae iniquitatem manifeſtiorem reddant? Enimuero ſi haec Molinae philoſophia, quam ſequitur & auctor excerptorum, locum habet, teſtamentum Caroli omni prorſus vi & efficacia deſtituitur. Id quod ita demonſtro. Ordinem ſuccedendi in maioratibus pariter ac regno Hispaniae poſſeſſor ſua auctoritate, nec teſtamento, nec alia ratione immutare

tare poteſt. Hoc fatetur Molina. Iam autem ordo ſuccedendi, per renunciationes conſenſu populi approbatas, requirebat, vt, excluſa gente Borbonica, ad ſucceſſionem vocaretur gens Auſtriaca. Hunc ergo Carolus ſuo teſtamento immutare non potuit. Id quod erat demonſtrandum.

§. XIII. Tandem ad caput cauſae accedit auctor excerptorum, disceptaturus: vtrum & quatenus ordo ſuccedendi in monarchiam Hiſpaniae per leges fundamentales ſtabilitus, alia lege vel teſtamento regis mutari poſſit? Expectabam hic rationes ſolidas & euidentes, quibus demonſtraret, nulla lege, nulla renunciatione, aut alio actu vtriusque partis conſenſum indicante, ordinem ſuccedendi in regno Hiſpaniae ſtabilitum, immutari poſſe. Sed pro rationibus exemplum affert ex Mariana, & quidem eiusmodi, quod ipſius aſſerto e diametro repugnat: vnde per multos anfractus id agit, vt euincat, exemplis parum in eiusmodi controuerſiis proficí: & tamen nec leges nec rationes ipſe attulerat. Ita in magnos etiam viros cadit illud poëtae:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Sed non tamen abs re fuerit, paucis oſtendere, illud ipſum, quod tantopere torquet, exemplum neutiquam auctori fauere, adeo-

adeoque oleum, quod aiunt, operamque eum perdidiſſe, dum tam prolixe de eo commentatur.

§. XIV. Ita autem rem omnem exponit Io. Mariana: (h) „Iuſta funeris Henrico re„gi ſplendide facta: ſimul de ſucceſſore re„nunciando ſuſcepta a proceribus delibera„tio eſt. Non vna omnium mens erat, nec „eadem cunctis oratio; graue reputantibus „expectare, dum infans, menſes duos & vi„ginti natus, ad iuſtam aetatem perueniret. „Malorum imagines, quae paſſa prouincia „regum priorum aetate minori, ante ocu„los verſabantur. Defuncti regis teſta„mentum prolatum, in quo reipublicae „procuratores, regina vidua, Ferdinandus„que princeps ſcripti erant: Dieghus Stu„nica, Ioannes Velascus infantis tutores „deſignati: Paulus Carthaginenſis Epiſco„pus magiſter inſtitutus, adoleſcentia litte„ris & regiis moribus informanda: ea ta„men lege, ne aliquam reipublicae partem „attingerent, contenti ea cura, quae ipſis „concredita erat. Verum ea decreta re„ſcindenda omnia, nonnulli disputabant; „Regem confectum morbo parum mente „valuiſſe. Nam pridie obitus teſtamen„tum confectum erat: & ſi cetera eſſent „integra, nouarum tempeſtatum fluctibus „rem-

(h) *de rebus Hiſpan. lib. XIX. cap. XV.*

Digitized by Google

„rempublicam obiicere recuſabant. Haec „clam inter ſe, haec palam atque in circu„lis conquerebantur: conſilia mali vitandi „non ſatis explicabant. Quodque in re „tali difficillimum eſt, primus auctor, pri„maque vox expectabatur, dum animis ſpes, „timor, ratio, caſus ancipites obuerſaban„tur, loquebantur omnes, adiicere conſilio „periculum ſuum ſinguli detrectabant. „Vnus erat Ferdinandus princeps, qui re„gno ſuſcepto rebus opem ferre poterat, (ſic „illi exiſtimabant) ſed natura cunctator, „manſuetus, modeſtia ſingulari: quae vul„gus, virtutibus affinia vitiorum nomina af„fingendo, metum, ignauiam, anguſtiam, hu„militatemque animi interpretabatur. „Nouorum conſiliorum opportunitatem „reginae tum ſexus, tum abſentia, ſuppedi„tabat. Segobiae cum filiis, quorſum res e„vaderet, expectantis, ſqualore luctuque „oppreſſae, ob mariti obitum, neque magis „praeſenti calamitate afflictae, quam metu „imminenti, ne ipſa filiusque ludibrio ha„berentur. Re inter ſe communicata, pro„ceres Ferdinandi conſtantiam tentare de„cernunt. Daualus magiſter equitum poſt „multos ſecretosque ſermones, cunctan„tem, dubitantemque hac oratione erige„re, & confirmare nititur. Nos te, Fer„dinande, ad patrium auitumque regnum

„vocamus, ſalutare reipublicae, tibi magni-
„ficum, nobis omnibus fauſtum: in tua
„id manu ſitum eſt: nemo erit, qui noſtro
„conſilio repugnare audeat. Neque ſpe-
„ciem adulantium fraudemque ſubeſſe co-
„gita. Ad regni faſtigium ambitu & ma-
„lis artibus niti turpe eſt: vltro delatam,
„& quaſi ad tuum praeſidium confugien-
„tem rempublicam deſerere in periculo,
„ne ſopor & ignauia videatur, prouiden-
„dum eſt. Poſſe gentis conſenſu regna
„mutari, nouosque reges inſtitui, ipſa re-
„giae poteſtatis natura documento eſt:
„quae populi voluntate exorta, rebus exi-
„gentibus transferri poteſt ad alios. Va-
„gi initio homines incertis ſedibus erra-
„bant: in quaque familia tantum ei a ce-
„teris honos deferebatur, quem aetate
„prudentiaque ceteris praeſtare conſtabat,
„verum cum vita omnis iniuriis eſſet ob-
„noxia, ac nec conſanguinei inter ſe ſatis
„conuenirent animis, qui a potentioribus
„premebantur, ſocietates cum aliis inire,
„& ad vnum aliquem, opibus fideque prae-
„ſtantem, reſpicere coeperunt. Hinc vrba-
„ni coetus primum, regiaque maieſtas or-
„ta eſt, non fraude atque ambitu, ſed mo-
„deratione, innocentia, virtute obtineba-
„tur: neque hereditario iure, ſed pro mul-
„titudinis voluntate, in defuncti regis lo-
„cum

„cum alius ſubſtituebatur. Imperaturus „omnibus eligebatur ex omnibus. Nimia „regum potentia effectum, vt parentibus „filii, prauis ſaepe moribus, imbecilla „aetate, ſuccedant: qua peruerſitate, quid „exitialius excogitari poteſt? exercitus, „prouincias, copias, ex vxoris ſinu dari acci„pique temere, nullo delectu? Et quod vir„tutibus erat datum, nullis iam meritis, „contra malis artibus obtineri: rempubli„camque vnius reſpectu grauiſſimis procel„lis exagitari? Licet antiqua exempla „proferre: Henrico, eo nomine primo, de„functo, Berengaria ſoror minor eſt praela„ta, Maria Galliae regina praetermiſſa. „Quod conſilium ſuperis eſſe probatum, „Ferdinandi, regis Berengariae filii, ſancti„tas & perpetua felicitas declarauit. Alfonſi „regis, cognomento ſapientis, minor filius, „quia indoles erat, nepotibus ex maiori „filio praelatus eſt. Licet recentia: Hen„ricus auus tuus fratrem regem imperio e„vertit, eiusque filios paterna hereditate „ſpoliauit. Quod niſi iure factum eſt, priores„ „reges iniuria regnaſſe fatearis oportet. Pri„oribus annis Ioannes Auiſii magiſter, Luſi„tania occupata, iure an iniuria non diſ„putamus, ſed certe eximia populi volun„tate ſtetit, quamuis Caſtellae armis ſaepe „laceſſitus: Et nuper duae Ioannis Arra„goniae regis filiae a paterno regno de-

„pulsae: Martinus Ioannis frater ex Sicilia „ad imperii sceptra vocatus est. Nimirum, „quod publicae salutis causa & communi „consensu institutum est, eadem multitu„dinis voluntate, rebus exigentibus, immu„tari, quid obstet? Quodsi externus ho„mo inuitaretur, nulla nobilitate, nulla „rerum gestarum gloria, consilium repre„hendi posset: nunc principem nobilis„simum, patre atque atauis regibus natum, „ad imperium vocamus, & fratre superstite „rerum moderatorem. Vide, ne pro„pius contumeliae quam laudi sit, hanc „eximiam nostrum omnium & populi vo„luntatem repudiasse: patriaeque supplici & „quasi manus tendenti, periculum si quod „esset, certe laborem curamque denegasse. „Nam illud admonere non attinet, vt ob„lata dignitate quam modestissime vtare. „Post hanc orationem ceteri proceres cir„cumsistere, hortari, coelitum voces & a„strorum motus referre. Negat ille tanti „esse regnum, vt ambitiosi propterea no„tam velit incurrere atque inhumanitatis, „innocenti puero spoliato, regina vidua „contemta, quorum patrocinium susci„pere aequius foret atque nouorum bello„rum materiam praescindere, quae regni „mutatione futura necessario prouidebant „animis. Se quidem pro eo studio im-

mor-

Digitized by Google

„mortales gratias agere: ſed maius benefi-
„cium dare non poſſe, quam fratris filio,
„vti ratio & aequitas poſtularet, rege renun-
„ciato. Ipſum rempublicam curaturum,
„vti frater moriens mandarat: neque vllum
„laborem aut vitae periculum patriae de-
„negaturum: vt ſuo nomine imperaret, ad-
„duci non poſſe. Conuentus procerum in
„templi maxime eo ſacello habitus eſt, quod
„Tenorii archiepiſcopi impenſa extructum
„erat. Daualus equitum praefectus, rurſus
„ad Ferdinandum conuerſus, ſi ſubeunte
„poenitentia mutaſſet, ecquem regem re-
„nunciari vellet, rogauit. Ille indignantis
„habitu contentaque voce, quem, inquit, ni-
„ſi fratris mei filium? Continuo ergo Ioan-
„nes in conuentu primum, deinde per vr-
„bis plateas explicatis vexillis, rex eſt Ca-
„ſtellae praeconis voce proclamatus. Fer-
„dinandus omnium confeſſione, eorum
„etiam, qui maxime inſtiterant, ab eximia
„moderatione, ſideque laudem tulit, cum
„vltro delatam regiam dignitatem repu-
„diauit; quam alii per ignes & ferrum pe-
„tunt: dignus, cui ad ampliſſima regna
„viam numina aperirent, gloriamque eo
„maiorem, quod variis antea criminibus
„apud fratrem fuerat appetitus ab iis, qui
„principum offenſas aliis euertendis acri-
„ter rimantur: & per ſe inuidioſi ſuſpecti-

„que principibus ſunt, qui proximi ad im-
„perium deſtinantur. Sed ſub vitae tamen
„finem eius probitate perſpecta, odium
„beneuolentia mutarat. Maria etiam filia
„Alphonſo Ferdinandi filio maiori cum
„ſpe regni deſponſa: quod vtriusque ratio-
„nibus commodum, rei publicae adeoque
„vniuerſae ſalutare erat futurum.

§. XV. Prolixiora haec fere ſunt, quam vt hic inſeri debuerint, ſed tamen, quia apud auctorem excerptorum haec conſultatio vtramque facit paginam, eius autem cauſae, ſi recte expendatur, plane aduerſetur, hoc prorſus neceſſarium iudicaui. Iam ergo videamus, quid auctor excerptorum in hac Marianae relatione laudet, quidue vituperet, & quo id faciat iure. Initio itaque frivolum illi videtur, quod decreta teſtamenti regii reſcindenda iactauerint proceres Hiſpanici, ideo quod rex, confectus morbo, parum mente valuiſſet, quia pridie obitus teſtamentum confectum erat. Namque & in priuatorum teſtamentis, ex aegritudine corporis, etiam in vltimo vitae ſpiritu, alienationem mentis non praeſumi, ſed ad hoc, vt teſtamentorum decreta annihilentur, probandam eſſe. Hoc porro auctoritate imperatorum Diocletiani & Maximiani, vt & Ferdinandi Vasquii euincere annititur.

Quid

Digitized by Google

Quid autem haec ſibi velint, nemini teſtamentum Caroli II. cogitanti, & ſcopum conſiliumque auctoris expendenti, obſcurum eſſe poteſt. Noſtrae equidem, quam tuemur, hoc parum nocet cauſae. Non tamen ſine grano ſalis exiſtimauerim, quod ab auctore aſſeritur, capiendum eſſe. Fateor equidem, ex morbo aut corporis ſumma etiam imbellicitate non ſtatim colligendam eſſe mentis alienationem: Fateor etiam, proceres Hiſpanicos ſine ratione ex hoc capite in dubium vocaſſe auctoritatem teſtamenti ab Henrico rege conditi, eo quod alienatae mentis nulla prorſus aderant indicia. Sed tamen cum interdum, immo ſaepe, contingat, vt, qui in vltimo vitae articulo conſtituti ſunt, non ita mente valeant, vt, quid dicant, quidue faciant, penſi habeant, merito ſane eiusmodi teſtamenta ſuſpecta ſunt: omnem autem prorſus auctoritatem amittunt, ſi alia etiam alienatae mentis indicia, quantumuis leuia, accedant. Ridiculum itaque, & ineptum, & vero iure-conſulto plane indignum eſt illud Ferdinandi Vasquii aſſertum: *Teſtamentum valet, licet fiat a ſemidemente, hoc eſt, ab eo, qui eſt fere in vltimo vitae ſpiritu.* Vbi id quidem nimis puto inconſiderate dictum, quod in vltimo vitae ſpiritu conſtitutus ſemper ſit ſemidemens. Aſt teſtamentum a tali ſemi-

demente conditum validum esse, prorsus absonum est, licet & omnes Iasones, & tota interpretum & glossatorum hoc assereret turba. Nihil enim aeque ad testamentum requiritur, vt res ipsa docet, & praestantissimi iure-consultorum fatentur, quam consensus. Consensus autem, quo pacto rite se habere potest in semidemente? (i) Quod vero antea dixi, testamentum, quod suspectum est, si a moribundo sit conditum, auctoritatem prorsus amittere, si indicia alia labefactatae mentis in testatore accedant, id dubio caret. De Henrico tale quid non facile quis suspicari poterat, cum naturae & rationi hoc conueniens sit, vt parentes successionem transferri ad filios velint. Ast, si quis in testamento a moribundo condito heres scriptus inueniatur, qui, primo, propter certa obstacula succedere nequit, & quem, secundo, heredem instituere nunquam antea testatori in mentem venit, immo quem inuisum maxime testatori fuisse constat, iis quidem praetermissis aut post positis, quos testator maximo semper prosecutus fuit amore, & quibus iam pridem successionem destinauit, hunc certe aut mentis non satis fuisse compotem, aut alterius fraude pro iusto herede ali-

(i) *conf. quae hac de re diximus in ipsa dissertat. de testam. princ. cap. I. §. XXXIV.*

Digitized by Google

alium fuiſſe ſubſtitutum, ſi quis dubitauerit, illum rerum omnium humanarum rudem, & prorſus imperitum dixerim. Sapienti haec ſufficiunt.

§. XVI. Rationes, quibus Daualus equitum magiſter, in ſua ad Ferdinandum oratione, vſus eſt, ita comparatas eſſe auctor excerptorum pronunciat, vt locum forte aliquem habere potuiſſent, ſi, re integra, conſultandum fuiſſet, electio an ſucceſſio regno Hispaniae vtilior foret? Conſtituto autem per leges regni fundamentales certo ſuccedendi ordine, ad interuertendum ius regiae ſtirpi quaeſitum, nihil quicquam eas valere. Qua in re haud difficulter me ſibi ſuffragantem habet, modo iterum recte hoc capiatur. Videlicet inuito principi per voluntatem populi ius in regnum quaeſitum nullo modo eripi poteſt. Pacta enim, vt mutuo vtriusque partis conſenſu contrahuntur, ita vnius partis diſſenſu abrumpi & violari, non autem rite ſolui poſſunt. Aſt, ſi vtriusque partis conſenſus accedat, vt in renunciationibus, in quibus, praeter populi, renunciantis quoque conſenſus adeſt, cur ius in regnum amitti nequeat, non video. Praeterea in nondum natis haec itidem non procedunt, quae auctor excerptorum aſſeruit. Illi enim

ius quaesitum actu non habent, aut, si quod habent, hoc tantum in consensu & voluntate populi consistit, quae si mutetur, nulla illis fit iniuria. Fallitur ergo iterum maximopere auctor excerptorum, dum ex hoc capite inferre voluit, renunciationes causae Gallicanae non obstare. Quod licet aperte non dicat, totam tamen huc collineare disputationem, manifestum est.

§. XVII. Sed accuratius adhuc Dauali orationem sub examen reuocat in *contin. III.* Vnicam in ea tantum esse rationem iuridicam, pronunciat, ceteras pro suasoriis saltem habendas. Asseruit nimirum Daualus, posse gentis consensu regna mutari, nouosque reges institui, idque manifestum esse putat ex ipsa regiae potestaris natura, quae populi voluntate exorta, rebus exigentibus, transferri possit ad alios. Quaeritur itaque, an ordo & ius succedendi in regnum, lege fundamentali stabilitum, mutari possit, & num facultas mutandi regi aut populo competat? Ludouicus Molina Iesuita, (k) auctori laudatus, respondet, posse ordinem successionis a tota a republica mutari, priusquam alicui ius fuerit quaesitum: ast, postquam iam in familiam quandam ius regnandi collatum sit, certo ordine & mo-

(k) *de I. & I. T. III. part. I. tract. II.*

Digitized by Google

modo ſuccedendi definito, nec a principe, nec a populo hoc iterum mutari poſſe. Sed quid, ſi vtraque pars, & populus & princeps, cui ius quaeſitum eſt, conſentiat? Num ab vtroque nihil mutari poteſt? Quicquid dicat Molina, res nimis manifeſta eſt, & qui hoc abnuere ſuſtinuerit, eum maximam rationi ſuae vim inferre, palam aſſero. Quae inter familiam regnantem & populum ſeu rempublicam de modo & ordine ſuccedendi conſtituuntur, habent indolem rationemque pacti, ipſae etiam leges fundamentales nihil aliud ſunt, quam pacta. Pacta autem vtriusque partis conſenſu iterum diſſolui poſſe, aut mutari aliquid in pacto vtriusque partis conſenſu poſſe, quis vnquam dubitauit?

§. XVIII. Atque hic defectus legislatoriae poteſtatis, ita pergit, colligitur etiam ex defectu iurisdictionis, ſi de ſucceſſione regni controuerſia ſit. Id quod teſtimonio Hugonis Grotii (l) comprobat. Quod tamen nihil ad rem facit. Populum nec legislatoriam poteſtatem, nec iurisdictionem habere, adeoque in controuerſiis, quae inter illum & familiam regnantem intercedunt, iudicis non poſſe fungi munere, dubio caret, & lubens quoque concedo. In hoc nam-

(l) *de I. B. & P. lib. II. cap. VII. n. 27.*

namque actu, vbi populus sui adhuc iuris cum familia regnante paciscitur, vtraque pars in statu naturali constituta est, vt adeo neutri in alterum imperii quid aut iurisdictionis competat. Actus etiam vtriusque partis, non aliis quam naturalibus & diuinis positiuis vniuersalibus legibus, reguntur. Quando ergo pacta inter se faciunt, haec, cum ex mutuo consensu oriantur, seruanda sunt, nec, nisi vtriusque partis consensu, in iis quicquam mutari potest. Quid autem, si de pacto isto eiusque interpretatione dubium oriatur aut controuersia? Ibi sane nec populus, nec princeps eam decidere potest, sed, si amica compositio locum non inueniat, res ad arbitros tandem deferenda; & hoc est, quod sibi vult Hugo Grotius, qui tamen nec in eo satis accurate philosophatur, quod absolute populo interpretationem huius pacti vindicat, quod tamen interdum in fraudem atque damnum familiae regnantis cedere potest. Quicquid huius sit, auctori discrimen inter mutationem & interpretationem legis fundamentalis successoriae parum prodest. Vti enim nec interpretatio simpliciter populi est, ita mutari omnino, a principe & populo simul, legem fundamentalem successoriam posse, luculenter hactenus demonstraui-

Digitized by Google

ſtrauimus. Quanquam per renunciationem lex iſta fundamentalis de ordine ſuccedendi ne mutetur quidem, cum libertas renunciandi iuri ſuo in eo comprehenſa cenſeatur, quamdiu contrarium non oſtenditur, cum beneficium nemini obtrudatur, & voluntas etiam populi, adeoque & leges fundamentales, interpretandae ſint ex commodo & vtilitate totius reipublicae. Hinc cetera, quae auctor diſputat, facile diiudicari poſſunt.

§. XIX. De exemplis non eſt, vt ſimus ſolliciti. Licet enim haec, quae ipſe auctor ex Mariana ſuggerit, ita comparata ſint, vt hoc ſaltem ex iis conſtet, grauibus quandoque de cauſis a recepto ſuccedendi ordine in regno Hispaniae fuiſſe diceſſum, exiſtimo tamen, in eiusmodi controuerſiis ſemper diſcipiendum eſſe, non quid factum ſit, ſed quid fieri debuerit. Adeoque, ſi vel maxime nullum exemplum mutati in ſuccedendo ordinis extaret, ſufficit, quod vtriusque partis conſenſu ordo iſte mutari poſſit, & quod nec leges naturales, nec fundamentales regni Hispanici obſtent. Hinc etiam ſine neceſſitate crucem ſibi ipſi figit auctor, & operoſus valde eſt, vt oſtendat, exempla iſta cauſae ſuae non obeſſe, quibus tamen Auſtriaci in iure ſuo aſſerendo nullo

nullo modo indigent. Facile ceteroquin eſſet, demonſtrare, omnino haec ipſa exempla euincere, non infrequens fuiſſe in Hiſpania ſalutis publicae cauſa a recepto ſuccedendi ordine & modo discedere. Berengariam, Alphonſi Legionenſis regis coniugem, praelatam fuiſſe ſorori natu maiori Blancae, quae Ludouico Philippi Galliae regis filio nupſerat, diſerte teſtatur Mariana. Quid ad hoc auctor? Iuxta vetuſtiores rerum Hiſpanicarum ſcriptores Berengariam primogenitam fuiſſe, ſcribit. Sed hoc partium ſtudio factum, ipſe Mariana dicit. Se ergo cum in ſummas anguſtias redactum videat auctor, ita tandem euadere annitetur, vt negare non audeat, Blancam fuiſſe primogenitam, ſed tum exemplum hoc, iam pridem iniuſtitiae damnatum, aſſerat. Ita ſcilicet cauſae deſperatae conſulendum erat. A quo autem eſt iniuſtitiae damnatum? ab auctore excerptorum credo, & cauſae Gallicanae patronis. Et ſane non poteſt hoc exemplum iniuſtitiae damnari, niſi perſpectis prius atque ponderatis accurate omnibus circumſtantiis. Etenim ſi, obſeruato ſuccedendi ordine, in manifeſtum periculum regnum coniiciatur, ab eo ſine vlla iniuſtitiae nota discedi poſſe, palam aſſero atque contendo. Obligatus eſt populus ad hunc ordinem obſeruandum

ex

Digitized by Google

ex pacto. Cauſa & ratio pacti, ſalus reipublicae. Ideo enim talis ordo introductus eſt, quia conſeruationi & ſaluti reipublicae eum maxime accommodatum fuiſſe illi, qui introduxerunt, crediderunt. Hinc ſalus reipublicae huic pacto, vt omnibus legibus fundamentalibus, per modum conditionis ineſt: qua aperte & euidenter ceſſante, ceſſat etiam obligatio, atque ſine cuiusquam iniuria discedi a pacto iſto poteſt. Scio, hanc philoſophiam non omnibus ad palatum eſſe: ſed hoc non curo, ſufficit, quod veritati ſit conueniens. De reliquis exemplis ſimilia monere poſſem: ſed ſuperuacaneum hoc foret, & tempus etiam, fruſtra & cum taedio in hisce conſumendum, rectius collocare didici.

§. XX. Haec ad excerpta iſta hiſtorico-iuridica regerere viſum fuit, non vt famae & exiſtimationi doctiſſimi viri, qui illorum auctor perhibetur, detraherem, ſed vt cauſae iuſtiſſimae Auſtriacorum pro viribus conſulerem, ſimulque vt Gallicarum partium patroni intelligerent, ad fucum cordatioribus faciendum haec excerpta nondum ſufficere. Triumphabit ſemper veritas, iuſtitiaque, nec vnquam aduerſariorum ſuorum machinationibus, quantocunque ingenio, quantacunque eruditione

Digitized by Google

ne inſtructis, ſuccumbet. Nec coloribus indiget, aut magno apparatu, cum nuda etiam & ſimplex ingenuis quibusuis ſe commendet, ceteris ſiue placeat, ſiue displiceat, perinde ducat. Hoc omnes equidem, qui in animum forte induxerint, in hancce quaeſtionem paulo accuratius inquirere, quam diligentiſſime vt ſecum expenderent, optarem, ſi haberent, quo caderent vota mortalium: ſed cum primis tamen auctores commentariorum hiſtoriae litterariae inſertientium, qui hoc ipſo, dum hiſtoricorum munere funguntur, ſuarum profitentur eſſe partium, animum amoris aeque ac odii vacuum in omnibus ſcriptis, quae illis ſe offerunt, diiudicandis afferre. Saltem ſi forte amor erga regem, veritatem quo minus perſpiciant, aut reuerentia, quo minus proloquantur, impediat, aequos erga eos, qui contrariam ſententiam defendunt, hactenus ſe praebeant, decet, vt non diſſimulent, quae recte dicta ſunt, aut ſilentio praetereant, quae ab iis, qui litterariae rei hiſtoriam ſcribunt, vel maxime commemoranda erant. Certe ſi hoc, quod de mea diſſertatione in iſtis commentariis extat iudicium, ab ipſis profectum eſſet, facile me induci paterer, vt crederem, reos iure illos agi criminis, quod a viris quibusdam doctis in Belgio iam pridem illis obiectum

Digitized by Google

iectum fuit, commemorari ſaltem ab iis & magnificis verbis extolli, quae pro Galliae rege ſcripta ſunt, cetera aut negligi, aut non adeo integra fide recenſeri. Sed malim credere, hoc eius potius eſſe vitium, qui hocce iudicium ad illos perſcripſit, quam ipſorum auctorum, qui tamen non male ſibi conſuluiſſent, ſi paulo accuratius totius diſſertationis ſummam ſibi referri curaſſent, poſtquam dignam eam iudicarunt, cuius iniicerent mentionem. Quod ſupereſt, Deum ſupplex veneror, vt & rerum dominis, & litterarum cultoribus veritatis iuſtitiaeque amorem pariter ac concordiae & pacis inſpiret ſtudium, vt, ſociatis viribus conſiliisque, omnes ea tandem agant, quae & diuini Numinis gloriam, & hominum omnium ſalutem promouere apta ſunt.

S. D. G.

EXERCITATIO

IVRIS NATVRALIS,

DE

COMPARATIONE OBLIGATIONVM,

QVAE EX DIVERSIS HOMINVM STATIBVS ORIVNTVR.

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XVIII. NOV. ANNO M D CCIII.

RESPONDENTE

IO. WILHELMO COELER.
RAGHVNO-ANHALTINO.

Digitized by Google

Σύνοψις.

In officiorum & obligationum comparatione maxima eſt difficultas, §. I. Quae tamen ab huius argumenti tractatione nos deterrere non debet, §. II. Obligatio quid? & vnde? §. III. An admittat comparationem? §. IV. Eminentior comparationis modus, indeque reſultans iuris perfecti & imperfecti discrimen, §. V. An ius imperfectum & virtus vnum idemque ſint? §. VI. Comparationis in reliquis obligationum modis ratio, §. VII. Quinam doctrinam de comparatione attigerint? Cicero, Ambroſius, Verulamius, §. VIII. Verulamii conſilium de hac doctrinae moralis parte viterius proponitur, & Vincentii Placcii in illud cenſura diſcutitur, §. IX. Eidem Placcio porro occurritur, §. X. Scharrockii, Pufendorfii, Michaelis Förtſchii hac in re conatus, §. XI. Noſtrae tractationis limites ad officia hominum erga alios, & quidem ex certo ſtatu fluentia, ſe ſaltem porrigunt, §. XII. Non neglectis tamen in applicatione reliquis comparationum fontibus, §. XIII. Quot modis officiorum erga alios ex certo ſtatu fluentium comparatio inſtitui queat? §. XIV. Veterum ea de re ſententia, ſpeciatim Hieroclis, Ciceronis, Simplii, §. XV. Ad ſpecialia deſcenditur: compa-

Digitized by Google

ratio parentum inter se: praerogatiua matris prae patre, ex sententia Hobbesii, §. XVI. Eadem refellitur, §. XVII. Comparatio parentum & liberorum, §. XVIII. Praerogatiua liberorum prae parentibus certis limitibus circumscribitur, §. XIX. Fundamentum ordinis in successionibus ab intestato, §. XX. Parentum & coniugum comparatio, §. XXI. Coniugis in successione ab intestato praerogatiua, an & quousque per leges ciuiles circumscribi queat? §. XXII. Parentum & praeceptorum comparatio, ex sententia illorum, qui hos illis praeferunt, §. XXIII. An omnino praeceptoribus simus obligati? §. XXIV. Quid iis debeamus, qui hoc nomine indigni sunt? §. XXV. Discrimen illorum, qui munere suo rite funguntur, §. XXVI. Quousque iuris huius, quod praeceptoribus competit, limites pateant? §. XXVII. Sub praeceptoribus, an etiam ministri verbi diuini comprehendantur? §. XXVIII. Parentum prae praeceptoribus praerogatiua, §. XXIX. Comparatio liberorum inter se, §. XXX. Primogenitorum praerogatiua contra Scharrockium asseritur, §. XXXI. Cognatorum tum inter se, tum cum aliis comparatio, §. XXXII. Comparationis huius vsus in successionibus ab intestato declaratur, §. XXXIII. Exemplum singulare ex Herodoto accuratius expenditur, §. XXXIV. De amicis: natura amicitiae, §. XXXV. Comparatio amicorum tum cum aliis, tum maxime cum cognatis, §. XXXVI.

XXXVI. In ſucceſſionibus ab inteſtato amicorum nullam haberi rationem, §. XXXVII. Nec illorum, qui magna in nos contulerunt beneficia, §. XXXVIII. Dubium ex Matth. V. 46. mouetur, & ad illud reſpondetur, §. XXXIX. Comparatio dominorum & cognatorum, ratione ſeruorum, §. XL. Vicinorum cum reliquis ciuibus, §. XLI. Eorundem cum cognatis & amicis, §. XLII. Hoſpitum quae ſit ratio? §. XLIII. Comparatio eorum cum cognatis, §. XLIV. & cum clientibus ex mente veterum, §. XLV. Collegarum iura, eorundemque cum reliquis ciuibus comparatio; §. XLVI. Comparatio patriae & parentum, reliquorumque cognatorum, §. XLVII. Itemque principis & parentum cognatorumque, §. XLVIII. Diuerſitas hominum, quae ex religione oritur: fraternitas chriſtiana, §. XLIX. Ea ex antiquis eccleſiae doctoribus vlterius declaratur, §. L. Religionis & fidei ſocios reliquis eſſe praeferendos, §. LI. Non obſtante naturalis cognationis, quae inter omnes homines intercedit, vinculo, de quo ethnicorum philoſophorum refertur ſententia, §. LII. Eadem cognatio naturalis ex ſcriptura ſacra, & eccleſiae doctoribus, adſtruitur & vlterius illuſtratur, §. LIII. Spiritualis cognationis prae naturali praerogatiua ampliſſima demonſtratur, §. LIV. Illius natura & fundamentum viterius illuſtratur, §. LV. Parentum cognatorumque naturalium cum fidei conſortibus comparatio, §. LVI. Comparatio illorum,

lorum, qui ſpirituali cognationis vinculo coniuncti ſunt, inter ſe, §. LVII. An religionis praerogatiua ad integras gentes pertineat? §. LVIII. Pertinere, in quantum doctrinae communioni innititur, oſtenditur, §. LIX. Sociorum religionis prae aliis gentibus praerogatiua in bello, §. LX. In foederibus, §. LXI. Monitum, ne praerogatiua religionis in aliorum iniuriam ac detrimentum cedat, §. LXII.

§. I.

EA eſt rerum, quae ad formandos erudiendosque mores pertinent, indoles, vt ſeorſim ſpectatae, vix vllum admittant dubium, in comparationem adductae velut obſcuritate quadam involuantur, iudiciaque etiam ſapientiſſimorum virorum ſuſpenſa teneant. Etenim cum leges, quas Deum mortalibus praeſcripſiſſe ratio omnes condocet, planiſſimae ſint, &, niſi quis ſibi ipſi caliginem offundat, intellectu faciles; deprehendi ſtatim poteſt, quid faciendum cuique omittendumue ſit, ne crimine vllo ſe obſtringat, vitioue commaculet. Aſt ſi plura inter ſe conferantur, contendanturque officia, quodnam cuiusque actionis pretium, qui valor ſit, non aeque patet. Accedit, quod vbique equidem, maxime

xime tamen in iſta virtutum officiorumque comparatione, affectibus praepediri homines ſoleant, cum in tanta rerum, quae ibi ſimul iſtorum animis obiiciuntur, varietate, fieri aliter non poſſit, quin nonnullae ſint, quas prae ceteris aut amandi, aut auerſandi, vel cauſas vel propenſiones habeant ſingulares.

§. II. Nihiloſecius cum iſta officia, quae cum aliis neceſſario in comparationem veniunt, maximam vitae humanae partem abſoluant, ob difficultatem, quae in iſta diiudicatione conſpicitur, adeo illorum non eſt omittenda conſideratio, vt haec ipſa incitamento potius eſſe debeat, ad accuratius totum hocce argumentum discutiendum. Ad quod dum & nos, quod bene vertat, adgredimur, paucis, quid verba, quibus noſtram circumſcripſimus tractationem, ſibi velint, explicandum eſt, non quod recepto mori hic obſequi pulchrum ducam; cum ab eodem, quando ineptus eſt, diffidere honorificum ſit, ſed quod ipſa argumenti ratio eiusmodi quid exigat.

§. III. Obligationis itaque voce morale illud intelligo vinculum, quo morali velut neceſſitate ad aliquid aut agendum, aut omittendum, adſtringimur. Id vero ex voluntate eius, cui imperium com-

petit, originem ducit. Etenim cum hominum haec sit conditio, vt illorum naturae non repugnet, agnoscere superiorem, ab huius etiam voluntate illorum pendent actiones. Imperii namque nulla vis esset, nisi, qui hoc gaudet, praescribere regulas posset, ad quas se componere debeant, qui eidem sunt subiecti. Illorum itaque, quibus parendi gloria est relicta, munus est, hasce regulas obseruare, easque sequi, nisi indignationem eius, qui imperat, poenamque iustissimam in se prouocare velint. Et haec est moralis illa necessitas, cum actu contrauenire mandato imperantis possunt, sed si contrauenient, statim intelligant, violatae legis poenas iure meritoque se daturos.

§. IV. Ex voluntate itaque imperantis cum obligatio proueniat, haec vero, saltem ad Deum ceu suprenum imperantem quod attinet, constans sit & vnica, dubitari omnino possit, an vllam obligatio admittat comparationem? Comparationem vero tum admittere dicitur, cum vna actio necessaria est, altera autem magis necessaria, ea quidem ratione, vt, si vtraque concurrat, nec satisfieri vtrique possit, quod minus necessarium est, cedat ei, quod magis necessarium esse existimatur. Hanc vero diuersitatem nullam in voluntate imperantis ar-

arguere aut inconſtantiam, aut mutabilitatem, facile intelligitur. Deus namque, vt nunc ad ius diuinum ſpeciatim dicenda accommodemus, conſtanti & immutabili voluntate decreuit, vt omnibus hominibus bene eſſet, quod fit accurata legum diuinarum obſeruatione. Sed hominum haec eſt conditio, haec indoles, vt quaedam magis, quaedam minus neceſſaria ſint, ad illorum ſalutem & conſeruationem. Ex obiecti itaque conditione, vt in ſcholis loquuntur, tota iſta diuerſitas prouenit, quippe qua id efficitur, vt vna iſta, conſtantiſſima & immutabilis Numinis voluntas, diuerſimode ſeſe exerat.

§. V. Conſpicitur iſta diuerſitas maxime in eo, quod quaedam hominum erga alios homines praeſtationes, ad vitam ſocialem, hoc eſt tranquillam & felicem, adeo neceſſariae ſint, vt ſine iis nulla prorſus cogitari ſocialitas poſſit: cum aliae contra ſocialitatem & adiuuent & promoueant quidem, non ita tamen neceſſariae ſint, vt, ſi non praeſtentur, deſtrui ſtatim & tolli ſocietatem neceſſe ſit. Atque haec eſt origo iſtius diſcriminis, quod inter obligationem perfectam, & imperfectam, conſtituere ſolent. Etenim cum ea rerum omnium adminiſtratio, qua Deo pro ſumma ſua ſapientia vti placuit, non permittat, vt reluctan-

tes ipſe externa violentia cogat, humani autem generis conditio exigat, vt quaedam officia prompte & ſine mora praeſtentur, idque adeo & Deum ipſum velle, certe inde colligatur; non aliud ſupereſt, quam vt concludamus, Deum illis ipſis, quibus haec officia praeſtanda ſunt, facultatem, ea, etiam ſi opus fuerit, cum quadam violentia, ſtatui tamen aut ciuili, aut naturali, attemperanda, exigendi, conceſſiſſe. Atque hoc eſt, quod *ius perfectum* vocant, cui in eo, qui eiusmodi quid praeſtare tenetur, *obligatio perfecta* reſpondet.

§. VI. Ex quo ſimul illud intelligitur, obligationis pariter ac iuris, nam haec ſibi inuicem reſpondent, notiones hoc etiam ſenſu ad omnia ſeſe extendere hominum officia, quae homo homini praeſtare tenetur, licet non idem iuris & obligationis vbique exiſtat gradus. Qui vero iuris & obligationis notionem tantum ad ea, quae praeſtare alteri perfecte obligati ſumus, reſtringunt, in ceteris virtuti demum locum eſſe contendunt, immo omne iuris & virtutis in eo conſtituunt diſcrimen; arctiores, quam par eſt, iuris limites conſtituere, & in virtutis definitione a recepta ſententia, forte ſine cauſa ſatis praegnanti, mihi abire videntur. Etenim vult Deus, vt non tantum alterum non laedamus, pactaque & promis-

missa sexuemus, sed vt quaeuis etiam aliis exhibeamus humanitatis & beneuolentiae officia, eo quod ad societatis custodiam hoc admodum conducit, & ideo, quia hoc Deus vult, alter etiam ius inde nanciscitur, haec omnia a nobis exigendi. Virtus autem non modo est, vbi humanitatis officia exercemus, sed & ea praestamus, quae perfecto iure praestare tenemur, modo non coacte & metu poenae, sed ex Numinis sincero amore, ea praestemus. Ergone, inquis, nullum inter ius & virtutem intercedit discrimen? Immo maximum. Namque ad iuris ambitum externa praestatio pertinet, praeter quam ille, cui aliquid debemus, a nobis nihil exigere potest. Ast animi dispositio, vt eiusmodi adsit, qua actio Numini grata atque accepta reddi queat, hoc enimuero virtutis opus est.

§. VII. Si vero istam obligationum diversitatem, quoad eminentiores hosce effectus, tantisper seponamus, non minor tamen varietas in omnibus officiorum generibus, quoad obligationum gradus sese nobis offeret. Namque vtrobique, tum in iis officiis, quae perfecte praestare tenemur, tum in iis, ad quae imperfecte obstricti sumus, exempla quam plurima eiusmodi actionum occurrunt, quae in se spectatae omnes a Deo praeceptae, & hactenus aeque sunt ne-

neceſſariae, aſt in comparationem adductae diuerſi ſtatim ordinis deprehendantur, vt vna alteri etiam cedere debeat, ſi vtrisque ſatisfieri nequeat.

§. VIII. De eiusmodi officiorum comparatione, quae ex comparatione obligationum reſultat, cogitarunt quidem ſubinde philoſophi: nemo, quantum mihi conſtat, ita exhauſit hoc argumentum, vt omne tuliſſe punctum cenſeri debeat. M. Tullius Cicero, &, qui hunc imitatus eſt, Mediolanenſium epiſcopus Ambroſius, vterque in libro ſuo de officiis, ſubinde hoc argumentum attingunt, neuter certis principiis inſiſtit, aut, quod animo forte concepit, ita vt decet, pertractauit. Ex recentioribus Franciscus Baco de Verulamio, inter ea, quae in morali doctrina nobis perficienda reſtarent, retulit illud de officiis comparatis argumentum: (a) *Quo ſpectat*, inquit, *officia perpendere, inter hominem & hominem, inter caſum & caſum, inter priuata & publica, inter tempus praeſens & futurum.* Id quod deinceps ſubiectis exemplis vlterius illuſtrat.

§. IX. Nec ſpernendum Verulamii conſilium, modo recte intelligatur. Etenim ſi iſta comparatio in ſpecialibus inſtituatur, aut

(a) *de augment. ſcient. lib. VII. p. m. 367. & ex edit. Placcii cap. II. Text. VII. p. 307.*

Digitized by Google

aut ſpecialiſſimis, hoc prudentiae potius opus eſt, nec ad eam doctrinae partem, in qua certa & euidentia ad mores formandos principia traduntur, pertinet. Hoc etiam animaduertit Vincentius Placcius, in ſua ad Verulamii librum commentatione: *Aut enim*, inquit, *in ſingularibus* (verſatur iſta comparatio) *nec ad ſcientiam vllo modo, ſed ad prudentiam vnice pertinebit, cum illius ſit, ſola vniuerſalia demonſtrare, huius, ea pro circumſtantiis vel tollentibus cauſam, vel extendentibus, de ſingularium comprehenſione ſub vniuerſalibus demonſtratis vniuerſaliumque intenſione indicare*, Quod vero idem auctor addit de vniuerſalium comparatione, id vero cum grano ſalis capiendum. *Aut vero*, pergit, *vniuerſalium comparatio inſtituitur, aut limitatio aliqua vniuerſalis examinatur, quae vbi ſit opus eam indagari, ſcientiae partem illius, cuius eſt officium illa conſiderare, conſtituet, v. g. num panem furari ſapiens inuitem diuiti licite poſſit, quando quaerunt Cicero, Scioppius, Grotius, cum ſuis commentatoribus & fratre Guilielmo, patet, eam ad furti ex iure naturali demonſtrandam doctrinam pertinere &c.* Quibus ſi hoc ſibi velit Placcius, non opus eſſe, vt peculiaris practicae philoſophiae pars, quae de officiis comparatis agat, conſtituatur, quod contendere videtur Verulamius, eo quod iam principia, quae hic in

cen-

cenſum veniunt, in receptis hactenus practicae philoſophiae disciplinis, reperiuntur, facile omnibus ſuam probabit ſententiam: ſin hoc, quod accuratiori tractatione, & principiorum moralium ad hoc argumentum applicatione, opus non ſit, neutiquam ei ſuffragari poſſum. Vſu enim hanc officiorum comparationem non carere, ex dicendis patebit; nondum autem hoc argumentum, ita vt decet, a quoquam pertractatum eſſe, nemo inficiabitur.

§. X. Exiſtimat equidem Placcius, inutilem & ſuperuacuam fore hanc comparationem. *Saepiſſime vero*, inquit, *vt inſtituatur, vix opus erit, ni potius ad curioſitatem, quam vſum, velis ſcientiam comparare. Ita quid attinet multum diſputare, melior ne ſit fortitudine temperantia? cum vtrique ſit, quantis queas viribus, ſtudendum, ſi velis boni viri nomen tueri. Quid opus, an libido caede vel ebrioſitate ſit deterior? ſolicitus argumentatiunculis inueſtigare, cum ab omnibus ſit aeque abſtinendum?* Aſt poteſt iſta comparatio diuerſimode inſtitui. Talis comparatio, cuius exempla auctor adducit, qua vnius virtutis praeſtantia cum alterius confertur, fateor, vix vllum vſum habet. Doctrina autem omnis, maxime moralis, vitae, non ſcholae, aut vanis disceptationibus inſeruire debet. Poſſunt tamen officia hoc modo inter ſe comparari

atque

Digitized by Google

atque contendi, vt, quodnam laudabilius altero ſit, quodnam neceſſarium magis, disquiratur, ea quidem ratione, vt, ſi concurrant, nec vtrique ſatis queat fieri, inde intelligatur, quodnam praeferendum ſit alteri. Haec comparatio vſum ſuum latiſſime diffundit, cum in vita hominum frequentius nihil ſit, quam vt, ſi praeſtanda plura officia ſint, nec praeſtari omnia queant, haeſitent etiam ſapientiſſimi mortalium, dubitentque, quodnam eligere, quodnam intermittere debeant. Ex iis vero, quae hucusque attulimus, diiudicari etiam facile poſſunt, quae contra eundem Placcium diſputat Michael Foertſchius, Theologus Tubingenſis. (b)

§. XI. Poſt Verulamium ex recentioribus, quantum mihi conſtat, nemo hoc argumentum attigit, praeter Robertum Scharrockium, qui in ſuo de officiis ſecundum ius naturae libello, (c) ex inſtituto de comparatione quoque officiorum diſſerit. Sed fontes & principia comparationis non accurate deſignat, &, vbi ad rem ipſam venit, a recto ſubinde aberrat tramite. Voluntatem in illo laudaueris, cui non vsquequaque vires reſpondeant. Nec oblitus

(b) *diſſert. I. ad Ambroſii librum de officiis p. 307. ſeqq.* (c) *cap. XII. p. 470. ſeqq.*

comparationis huius prorſus eſt Samuel Pufendorfius, qui, de quantitate, vt vocat, rerum actionumque moralium praecipiens, (d) id videtur in animo habuiſſe, quod, qui comparationem officiorum explicant, ſibi volunt. Nec enim vlla rei moralis, aut actionis quantitas, pretiumue, intelligi ſine comparatione poteſt. Sed recentiſſime omnium hoc argumentum in ſcenam reuocauit is, quem ante laudaui, Michael Foertſchius, vir doctiſſimus, qui non tantum in ſua in Ambroſium commentatione ſubinde huius rei iniicit mentionem, & eius neceſſitatem intellexit, ſed diſſertationem quoque ſingularem de ea promiſit, quam tamen videre mihi non contigit.

§. XII. Nec nobis nunc licet hunc emetiri campum, aut dicere hac de re, quicquid dici poſſet. Certis nos circumſcribimus limitibus, ne diſſertationis modum transgrediamur. Cum ergo multiplici ratione & diuerſo reſpectu comparari inter ſe officia hominum poſſint, nobis tamen conſtitutum, de iis tantum officiis diſſerere, quae aliis exhibere tenemur, cum ceteroquin de comparatione officiorum erga alios, cum officiis hominis erga ſe ipſum, latiſſimus ſeſe nobis aperiret campus. In his vero ita

(d) *de I. N. & G. lib. I. cap. VIII.*

Digitized by Google

ita verſabimur, vt tantum eam diuerſitatem, quae ex ipſo hominum ſtatu oritur, conſideremus, & quo pacto ſecundum hanc inter ſe comparentur, oſtendamus. Natura autem cuiusque officii cum obligationis quoque modum atque gradum indicet, patet, recte a nobis hanc quoque obligationum comparationem vocari.

§. XIII. Nec vero, cum ſpecialis applicatio inſtituenda, reliqui comparationum fontes negligendi, ſed omnes ſimul in conſilium adhibendi ſunt. Contingere enim poteſt, vt certo reſpectu actio praeferenda alteri videatur, quae, ſi reliquae σχέσεις accedant, & cuncta aequa trutina ponderentur, omnino eidem poſtponenda eſt. Cognatum ſi cum peregrino contendas, in officiis, quae vtrique praeſtari nequeunt, hunc illi poſtponendum eſſe, nemo temere dubitauerit. Pone vero, hunc indigentiorem eſſe tui auxilii, quam illum: mutabitur ſcena, aliter erit pronunciandum. Rem non male explicat Io. Ioachimus Zentgrauius. (e) Cum enim recte aſſeruiſſet, plures, ſi cetera recte ſe habeant, praeferendos eſſe paucioribus, ita pergit: *Singulos vero inter ſe conferendo, quo cuique ſuum ex charitate debitum praeſtetur, vel et-*

 iam,

(e) *Summa iuris diuini pag. 661.*

iam, quae ex charitatis conceſſione exhiberi poſſunt, rite & decenter conferantur, primam rationem habendam eſſe dicimus propinquitatis, alteram neceſſitatis, tum ceterorum, quae alicui prae aliis, ad habendum aliquid ab alio, ius aliquod parere poſſunt. Hoc facto, bonorum inter ſe, quibus vnus prae altero indiget: malorum item, in quibus huic prae illo auxilium ferendum, collatio inſtituenda, illique charitatis opus praeſtandum, qui rationum momentis reliquos vincit. Diſtinguendi ergo ſunt comparationum fontes, & vniuerſales, qui ſemper & vbique obtinent, discernendi ab illis, qui tum demum locum inueniunt, cum illi non obſtant, quos ſpeciales dicere fas fuerit. Ad illos retulero: quod praecepta affirmatiua cedant negatiuis; quod, quae obligationem perfectam habent, praeferenda ſint iis, quae obligatione imperfecta gaudent; quae cauſas magis honeſtas ac vtiles habent, iis, quae cauſas minus honeſtas & vtiles habent, & ſi quae his ſunt ſimilia. Speciales autem voco, qui ex certo hominum ſtatu oriuntur, de quibus hic agimus.

§. XIV. Poſſunt autem & hi comparationum fontes ad tria reuocari capita. Namque aut vna ſocietas, ex qua certus ſtatus oritur, cum altera contenditur, aut ſinguli homines cum ipſis ſocietatibus, aut, qui in ſocietatibus certis viuunt, certoque in ſta-

tu

tu conſtituti ſunt, inter ſe contenduntur. Integrarum ſocietatum, & officiorum hinc reſultantium, comparatio, fere dubio caret: cum manifeſtum ſit, quod minor ſocietas, & ex qua minus emolumentum ad humanum genus redundat, maiori, & quam ſalvam eſſe humani generis intereſt, omnino ſit poſtponenda. Sic & ſingulos homines integris ſocietatibus quamtumuis minimis cedere, ſi cetera recte ſe habeant, dubio caret. Aſt ſi homines ſinguli, quibus tamen ſtatus, in quo vivunt, certam praerogatiuam conciliat, inter ſe contendantur, tum vero, quis praeferendus alteri ſit, quis poſtponendus, non aeque ſemper patet.

§. XV. Fuerunt ſane & inter veteres, qui hos obligationum deſignare gradus anniſi ſunt. Eos ſane Hierocles eleganti circulorum plurimorum circa idem centrum deſcriptorum, comparatione, diſtinxit apud Stobaeum, (f) quorum intimus corporis eſt, centro, hoc eſt menti, proximus, extimus totius generis humani eſt, reliquos omnes continens. Clarius hoc ediſſerit M. Tullivs Cicero, quanquam ab officiis, quae ſingulis hominibus debemus, non ſatis diſcernens, quae integris ſocietatibus exhibere tenemur. *Gradus autem*, inquit, (g) *plures*

(f) *ſerm. LXXXII.* (g) *lib. I. de offic. cap. XVIII.*

ſunt ſocietatis hominum, vt enim ab illa discedatur infinitate, propior eſt eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur. Interius etiam eſt eiusdem eſſe ciuitatis. Multa enim ciuibus ſunt inter ſe communia, forum, fana, porticus, viae, leges, iura, iudicia, ſuffragia, conſuetudines. praeterea & familiaritates multaeque cum multis res, rationesque contractae. Arctior vero colligatio eſt ſocietas propinquorum: ab iſta enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum anguſtumque concluditur. Nam cum ſit hoc natura commune omnium animantium, vt habeant libidinem procreandi, prima ſocietas eſt in ipſo coniugio: proxima in liberis: deinde vna domus, communia ommnia. Id autem eſt principium vrbis & quaſi ſeminarium reipublicae. Sequuntur fratrum coniunctiones, poſt conſobrinorum ſobrinorumque, qui, cum vna domo iam capi non poſſint, in alios domus tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui, quae propagatio & ſoboles eſt origo rerumpublicarum, &c. Similia & Simplicius habet in ſuo ad Epicteti enchiridion commentario. (h)

§. XVI. Sed iuuat paulo accuratius hoc ediſſerere. Et primo quidem parentes ſe nobis offerunt, qui ſi inter ſe contendantur, dubitari poſſet, patrine plus an matri debeatur? Thomas Hobbeſius matri potius quam

(h) *ad cap. XXXVII.*

quam patri fauere videtur. (i) Saltem naturaliter matri, non autem patri imperium in fobolem competere autumat: ex quo sequitur, quod arctiori vinculo matri, quam patri, liberi obligentur. Originem quippe imperii, quod parentes in liberos tenent, ex statu naturali sequenti ratione deriuat. In illo namque cum omnia in omnes liceant, prout vnusquisque ad sui conseruationem hoc facere iudicat, victorem fieri dominum victi supponit. Ex quo sequitur, dominivm, vel imperium potius, infantis ad illum primo pertinere, qui eundem primus in sua potestate habuerit. Manifestum autem esse, eum qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam cuiusuis alterius. Quae si eundem decreuerit educare, id, quod vtique facere tenetur, ea lege id facere intelligetur, vt ne adultus hostis fiat, id est, vt ipsi obediat. Et licet masculini sexus vulgo quaedam prae sequiori sit praerogativa, hanc tamen tantam non esse, vt per eam imperium matri acquisitum eripi queat: praesertim cum accedat, quod si non nobiliorem, saltem magis laboriosam & molestam operam ad prolis generationem femina prae mari conferat, quippe quae eandem intra corpus suum diu gestet, & ex sua substantia alat. A matre tamen in alios hoc

(i) *de ciue cap. IX.*

ius deriuari contendit, id quod quo pacto fiat, vberius ediſſerit.

§. XVII. Recte vero Oreſtes apud Euripidem (k) primas patri dat partes. Πατρὶ μὲν ἐφύτευσέ με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς, τὸ σπέρμα ἄρσεν παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα. Ἄνευ δὲ πατρὸς τέκνον ἂν εἴη ποτ' ἄν, Ἐλογισάμην ἔγωγε τῷ γένους ἀρχηγέτῃ μᾶλλον μ' ἀμύναι, τῆς ὑποσάσης τροφάς. *Pater quidem plantauit me, tua autem peperit filia, ſemen ceu terra ab alio ſuſcipiens. Abſque patre vero haud vnquam eſſe queat filius. Exiſtimaui igitur, me potius auctori generis opem ferre debuiſſe, quam ei, quae praebuit alimentum.* Sententiam probamus: rationem noſtram non facimus. Etenim ſi ex cauſis naturalibus definiendum eſſet, patrine plus, an matri homo debeat, dubia, ni fallor, atque anceps futura lis eſſet, & forte plurimi recentiorum phyſicorum & medicorum, matri potius quam patri favere, deprehenderentur. Nobis ergo hoc ſufficit, quod per leges diuinas poſitiuas vniverſales marito imperium in ipſam coniugem competat, quodue princeps & caput ſit totius familiae, cuius adeo imperio, modo non iniuſto, praecipue parendum, & cui etiam ob easdem rationes, ſi nullae aliae cauſae obſtent, liberi magis obſtricti ſunt, quam matri.

§. XIIX.

(k) *p. m. 132.*

§. XIIX. Quid vero, si parentes cum liberis contendantur? offerunt sane se hic in vtramque partem rationes non contemnendae. Ex insito mortalium affectu si rem aestimes, hic liberis magis, quam parentibus fauere videtur. Notum enim & fere tralatitium est illud: amorem descendere, non ascendere. Naturam ipsam omnibus animantibus indidisse stimulum ad alendam fouendamque prolem, magno consensu omnes docent, ast similem animi affectionem liberis erga parentes nemo tribuit. Diodorus Siculus: (l) ἀγαθὴ γὰρ ἡ Φύσις διδάσκαλος ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστὶ πρὸς διατήρησιν, ὐ μόνον ἑαυτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν γεννομένων, διὰ τῆς συγγενῦς Φιλοζωίας τὰς διαδοχὰς εἰς ἀΐδιον ἄγουσα διαμονῆς κύκλον. *Optima quippe magistra natura est, cunctis animantibus non tantum ad sui, sed & ad prolis suae conseruationem, vt cognata hac caritate continua successio ad aeternitatis circulum perueniat.* Disserte autem Lucianus pronunciat, (m) naturae conueniens esse, vt magis a parentibus diligantur liberi, quam a liberis parentes. Καὶ τοί γε ἡ Φύσις τοῖς πατράσι τὺς παῖδας μᾶλλον, ἢ τοῖς παισὶ τὺς πατέρας ἐπιάττει Φιλεῖν. *Magis natura iubet a parentibus liberos, quam aliberis parentes diligi.* Cui suffragatur Aristoteles: (n) μᾶλλον συνωκείωται τὸ

(l) *lib. I. cap. LXXX.* (m) *apud Hugonem Grotium lib. II. cap. VII. §. V.* (n) *Nic. lib. VIII. cap. VII.*

ἀφ ᾧ τῷ γεννηθέντι ἡ το γεννώμενον τῶ ποιήσαντι, τό γαρ ἐξ ἀυτοῦ οἰκεῖον τῷ ἀφ ᾧ *Magis afficitur cauſa gignens erga genitum, quam genitum erga gignentem. Nam quod ex aliquo ortum eſt, id ei quaſi proprium eſt.* His addunt nonnulli, quod liberi cum naſcuntur, nihil ſecum afferant, vnde viuant, & quod diutius quoque viuendum habeant, quam parentes. Vnde, ſicut honor & obſequium parentibus debeatur, non liberis, ita educationem liberis magis quam parentibus deberi.

§. XIX. Ex hisce vero id demum colligitur, eousque ſaltem liberos praeferendos eſſe parentibus, vt illis alimenta, & quae ad vitae conſeruationem pertinent, potius praebeantur quam parentibus, ſi quidem vtrisque praeberi nequeant, eo quod ponitur, liberos adhuc cura & educatione parentum indigere. Pone autem, filium adultum cum auo ſene concurrere, & vt vni auxilium feratur, hoc denegandum eſſe alteri? Parentibus obligati ſumus ex animi grati lege, quae obligatio licet per ſe imperfecta ſit, accedente tamen neceſſitate fit perfecta: cui licet merito haud minor erga liberos obligatio opponatur, dubium tamen, ſi ab inſtinctu naturali discedamus, erit, quem poſtponere alteri debeamus. Triſtis fateor electio, aliquando tamen neceſſaria.

Digitized by Google

faria. Ego tamen cenſeo, & hic filium praeferendum eſſe patri, niſi ſpeciales quaedam rationes obſtent: idque ideo, quod a filio iuſtae aetatis plerumque maiora adhuc commoda expectare respublica & humani generis ſocietas poſſit, quam a ſene, cui per naturae conditionem iam vitae finis imminet.

§. XX. Huic vero comparationi innititur ordo in ſucceſſionibus ab inteſtato, quo poſt liberos primi & vlterioris gradus, parentes demum in cenſum veniunt. Hic enim ordo non aliunde deſumi poteſt, nec debet, quam a diuerſo amoris gradu, quo propinquos & cognatos noſtros proſequimur. Iam cum non tantum ob naturalem propenſionem & inſtinctum, ſed & ob rationes iuſtas atque graues, vehementiori merito quisque amore liberos ſuos proſequatur quam parentes, ſequitur, recte hos illis in ſucceſſionibus ab inteſtato poſtponi. Bene Hugo Grotius (o) cum eas, quas & ipſi attulimus, rationes, quibus parentes liberis poſtponendos eſſe probatur, attigiſſet, addit: *Hinc fit, vt etiam citra auxilium legis ciuilis, prima bonorum ſucceſſio liberis deferatur: quia creduntur parentes illis, vt corporis ſui partibus, non tantum de neceſſariis, ſed & de his, quae ad vitam ſuauius honeſtiusque tranſigendam pertinent, quam vber-*

(o) *lib. II. de I.B.& P. cap. VII. §. V.*

Digitized by Google

vberrime voluiſſe proſpectum, ab eo maxime tempore, quo ipſi rebus ſuis frui non poſſunt.

§. XXI. Poſſunt & parentes cum coniugibus, comparari: ſed id fere dubio caret. Eſt enim coniugalis ſocietas inter omnes longe arctiſſima, cui reliquae ſocietates iure meritoque cedunt. Idque cum ex ratione patet, tum ex diuina coniugii inſtitutione. Nec praetermittendum illud Moſis effatum, quod & ipſe ſeruator repetit: *Propterea relinquet vir patrem & matrem, & adhaerebit vxori ſuae fietque ex duobus vnum corpus. Itaque non iam ſunt duo, ſed vnum corpus. Gen. II,24. Matth. XIX,5.* Arctiſſima enim hinc patet viri feminaeque coniunctio, & longe arctior, quam in vlla alia ſocietate eſſe poteſt. Simul vero diſerte innuitur, parentes quoque relicturum virum, vt vxori adhaereat, quod perinde eſt, ac ſi, in officiis vxori poſtponendos parentes, aperte conceſſiſſet Deus. (p)

§. XXII. Magna hinc ſine dubio vxoris in ſucceſſionibus ab inteſtato reſultat praerogatiua, cui, quae repugnant leges ciuiles, an cum aequitate naturali conueniant? dubitari poſſet. Cum enim, vt antea dictum, ſucceſſionis ab inteſtato ordo delumendus ſit a gradu amoris, non quidem qua-

(p) *add. Io. Ioachimus Zentgrauius in ſumma iuris diuini. p. 663.*

qualis ille in hominibus eſt, ſed qualis eſſe debet, vt praeſtantiſſimi iuris naturalis magiſtri magno conſenſu docent, manifeſtum eſt, in hoc ſuccedendi modo reliquis omnibus coniuges praeferendos eſſe, cum ſummus inter illos ſit amoris gradus, ſaltem eſſe debeat, adeo vt *vnum* etiam *corpus* fieri cenſeantur. conf. *I. Cor, VI. 16. Epheſ. V, 31.* Cumque perfectiſſima haec vnio ſine perfectiſſima communione eſſe nequeat, ecquis bonorum communionem inter coniuges intercedere negaret? Eſt tamen & hoc eiusmodi, vt praeſens humani generis conditio exceptionem quandam adiungere iubeat. Etenim cum apud plerosque coniuges externa ſaltem coniunctio, non vera animorum vnio, adeoque nullum verum matrimonium ſit, alii quoque homines hac de re certi eſſe non poſſint, ſimulque, ſi plena bonorum omnium communio matrimonium ſtatim ſequeretur, plurima inde in ipſos coniuges, aut alterutrum ſaltem, redundare incommoda poſſent; opus fuit, vt legibus ciuilibus, quantum vnicuique coniugum in alterius bona ius eſſe debeat, definiretur. Qua in re tamen iſtae leges quam aequiſſimae cenſentur, quae naturae huius ſocietatis, eiusque vnioni arctiſſimae, quam minimum detrahunt. Accedit vero, ſi coniuges cum liberis contendas, quod, licet

cet arctius ſit ſocietatis coniugalis vinculum, ſublimiorque amoris gradus, in liberis tamen & maior conſeruationis neceſſitas, ac naturalis ad ſe conſeruandum ſine ope parentum impotentia deprehendatur: vnde, vt coniugibus proſpiciatur, nec tamen negligantur liberi, immo, ſi cetera recte comparata ſint, horum vel maxime habeatur ratio, par eſt.

§. XXIII. Parentum vero nomine & praeceptores, quique ad ſapientiam mentem erudiunt, venire ſolent. Discipuli enim hos etiam parentes eſſe, non quidem corporum ſed mentium, ait Quintilianus. (q) Quare nihil ſolennius eſt, quam cum parentibus contendere praeceptores, ſuntque omnino qui dubitant, annon praeferendi ſint parentibus. Dionyſius ſophiſta (r) haud procul ab hac abeſſe ſententia videtur: *παιδευτὴς ἀμείνων εἶναι ἔοικεν πατρὸς. Praeceptores videntur adhuc meliores eſſe ipſo parente.* Huic & Simplicius ſuffragatur, (s) qui ſequenti ratione ſuam confirmat ſententiam: *ὅτι οἱ τροφεῖς ἄτοι καὶ ἐπιμεληταὶ τοῦ σώματος ἡμῶν, ἀλλ' ἡμῶν αὐτῶν καὶ διὰ κατ' ἀναγκὴν τὴν φυσικὴν, ὥσπερ οἱ γονεῖς, ἀλλὰ κατὰ προαίρεσιν ἀγαθὴν μιμουμένην τὴν θείαν ἀγαθότητα. Hi namque altores & curatores non corporis noſtri, ſed*

(q) *lib. II. inſtitut. orator. cap. X.* (r) *ep. XXIV.*
(s) *in Epictet. cap. XXXVII.*

Digitized by Google

ſed noſtri ipſorum ſunt, nec neceſſitate aliqua naturae, vt parentes, ſed bona voluntate, divinam bonitatem imitante. Plutarchus (t) dum Alexandrum magnum maiorem fructum ab Ariſtotele, quam a Philippo patre percepiſſe aſſerit, idem innuere videtur. Aquo enim plurima accepimus beneficia, eidem & magis videmur obſtricti: πλείονας παρὰ Ἀριστοτέλους τοῦ καθηγητοῦ ἢ παρὰ Φιλίππου τοῦ πατρὸς ἀφορμὰς ἔχων.

§. XXIV. Dubito equidem, an eo animo, qui ſimile quid aſſerunt, hoc proferant, vt ſerio credant, quae dixerunt, ſecundum ἀκρίβειαν philoſophicam poſſe defendi. Sed priusquam, quid de ipſa hac comparatione cenſendum ſit, exponam, generatim de officiis erga praeceptores aliquid monendum eſt. Cum enim, qui animum ad ſapientiam & pietatem erudiunt, bonisque artibus inſtruunt, magnum haud dubio nobis conferant beneficium, negari quoque nequit, ad gratum animum erga eos quouis modo declarandum, nos obſtrictos eſſe. Sed duo ſunt, quae hic in diſceptationem veniunt, & quae non recte intellecta grauiſſimos, ſaltem in applicatione, errores pariunt. Primo quinam demum iſti ſint, qui hoc officiorum genus ab aliis exigere queant;

(t) *orat. I. de virtutib. Alexandri.*

Digitized by Google

ant; deinde quousque illis, qui hic in censum veniunt, simus obligati.

§. XXV. Ad prius quod attinet, nihil solennius, quam vt, qui in arte quadam aliquem instruunt, statim supercilium sumant, &, licet suos discipulos aut auditores nihil aliud quam ineptire docuerint, aut animum vanis & otiosis commentis & quisquiliis repleuerint, praeceptoris tamen grauissimo nomine superbientes, obsequium, venerationem & quid non? exigant. Si non impetrent, proh! scelus! proh! piaculum! clamitant: praeceptores contemni, quos etiam ipsi sapientissimi viri Aristoteles & Cicero, & reliqui, parentibus aut comparandos, aut praeferendos, censuerunt. Hos ineptos declamatores, quis sine risu, aut indignatione audiat? Scilicet pro animi corruptione, pro temporis dispendio, animum gratum postulant. Perinde ac si medicus pro veneno, quod nobis propinasset, & fur, quod opes nostras abstulisset, laboris proemium exigere posset. Est autem & hic cautione quadam opus. Etenim si quis ex schola eiusmodi magistri prodiit, errore ductus, carbones, quos inde retulit, thesaurum esse; credat is, si ingratum animum prodat, cum tamen magno se mactatum beneficio existimet, peccabit, cum προαίρεσις ista mala perpetrandi, crimine non careat.

Digitized by Google

reat. Si quis vero, meliora edoctus, institutionis suae vitia intelligat, & ad veram sapientiam perducatur, is, si & praeceptorem suum in viam meliorem adducere, ea, qua decet, humanitate laboret, suum erga eum animum gratum satis superque declarauit.

§. XXVI. Ego vero ita censeo, ex institutionis ratione omnino iudicandum esse, qui praeceptoris nomine tituloque dignus sit. Hoc vero vt rite procedat, a vera & solida eruditione discernenda omnino venit falsa & superficiaria. Solidae autem doctrinae variae iterum partes sunt, cum partim ad voluntatem, partim ad intellectum perficiendum ea comparata sit. Ex his quo quaelibet pars nobilior, eo maius in nos beneficium contulisse censendus, qui eam nobiscum communicauit, habita tamen etiam fidei, diligentiaeque, qua in nobis erudiendis vsus est, ratione. Sic licet sua laude, suoque proemio defraudandi non sint, qui intellectum linguis, variisque artibus atque scientiis imbuunt, haud dubio tamen praeferendi illi, qui voluntatem erudiunt ad pietatem, sed veram & non fucatam. Voluntas enim cum praestantior facultas sit quam intellectus, nobilior etiam illorum opera censeri debet, qui in ea emendanda occupantur: cui accedit, quod omnes artes atque scientiae plus noceant quam prosint,

niſi, voluntate emendata, homo rectum verumque horum omnium vſum ſimul condoceatur.

§. XXVII. Gratos itaque erga praeceptores, ſed veros, vt nos exhibeamus, par eſt. Num vero ideo etiam obſequium debemus, aeque ac parentibus? Fuit ſane hactenus illud ſcholaſtici imperii arcanum, hoc inculcare omnibus, peccare eum grauiſſime & impietatis reum eſſe, qui non magiſtrorum dicta coeca obedientia amplecteretur, aut vel minimum de iis dubitaret. Hoc modo enim commenta quaelibet, quantumuis impia, quantumuis inſulſa, obtrudere facile erat. Ipſe iam Simplicius, vltra quam decet, auctoritatis, quam praeceptoribus aſſerit, limites extendit, quando ait: (u) πᾶσι ὑπὸ τούτων ἐπιταττομένοις ὡς θεῷ προσάττοντος ἀπροφασίστως ὑπηρετεῖν. *Omnibus vero praeceptis eorum, tanquam diuinis dictis, ſine mora eſt parendum.* Quod licet nimium profecto ſit, & ad tyrannidem ſcholaſticam ſtabiliendam pertineat, excuſari tamen quodammodo poteſt Simplicius, quod longe aliam boni praeceptoris imaginem animo ſuo finxit, quam hodie ſunt plerique. Etenim in loco ſupra iam allato dixit: *eos bona voluntate diuinam bonitatem imitari.* Quod ſane ad eos, qui aut lucri cupiditate, aut ambitio-

(u) *l. c.*

tione ducti, munus alios erudiendi in ſe ſuſcipiunt, non pertinet. Eſt tamen & hic aliqua opus cautione. Etenim nonnullis non tantum cura erudiendi diſcipulos, ſed totius vitae directio concredita eſt: qui cum parentum vicibus fungantur, hoc vero ſine quodam imperio commode fieri nequeat, manifeſtum eſt, quod horum diſcipuli ad obſequium etiam ſint obſtricti. Ad ceteros quod attinet, ab obſequio, quod praeceptoribus debemus, rurſus diſcernendum, quod ipſi veritati praeſtare tenemur. Enimuero non eſt poſitum in hominis arbitrio, velitne veritatem, praeſertim quae ad vitae rationes recte inſtituendas ſpectat, amplecti, an repudiare: ſed vt diuina lege obſtrictus eſt ad vitam recte inſtituendam, ita & ad media huc ducentia, veritatis cognitionem, & obſequium cognitae veritati praeſtandum, omnino eſt obligatus.

§. XXVIII. Palam autem eſt, ſub praeceptorum numero recte quoque eccleſiae miniſtros, quippe qui docendi munere funguntur, comprehendi. Et ſane horum cum eo pertineat cura, vt prauis moribus liberati ad virtutem veramque felicitatem traducantur auditores, haec inſtitutio, ſi ita comparata ſit, vt finem ſuum obtinere queat, iure meritoque facienda eſt plurimi. Cum enim vera fides, vitaque chriſtiano homine

mine digna, ex vera fide fluens, maximum, quod mortales optare poſſunt, bonum ſit; maximum etiam in nos conferre beneficium cenſendi ſunt, qui, vt huius boni participes reddamur, omnem nauant operam omnem adhibent induſtriam. Hinc ergo quin gratum animum declarare, eumque reipſa & verbis, & quauis venerationis ſignificatione demonſtrare obligati ſimus, nemo, puto, temere dubitauerit. Atque hoc verum & genuinum fundamentum eſt reuerentiae, quam verbi diuini miniſtris, praeſertim ſi ſuo rite funguntur officio, debemus· a quo qui diſcedunt, & alia conquirunt, haud raro vana & inepta congerunt. Sic nonnemo, vt demonſtraret, ſacri ordinis viris deberi venerationem, probauit hocinde, quia Philoni audiant: *Dei homines*, θεὸς δὲ ἄνθρωποι ἱερεῖς, adducto etiam hoc Liuii effato: (x) *Quorum ſcitis omnia publica priuataque ſacra ſubiecta, vt eſſet, quo conſultum plebs veniret, ne quid diuini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque addiſcendo, turbaretur.* Sed qui talia afferunt, parum, puto, penſi habent, quid dicant, quidue ſcribant.

§. XXIX. Iam ergo ſi praeceptores cum parentibus in comparationem veniant, non equidem negandum, maiora interdum eſſe beneficia, quae a praeceptoribus in nos proſici-

(x) *lib. I. cap. XX.*

ficiſcuntur, quam quae conferuntur a parentibus, adeoque ſi obligationes liberorum erga parentes tantum ex animi grati lege deriuentur, videtur eiusmodi aliquando rerum ſtatus oriri poſſe, vt parentes & praeceptores pari, quod aiunt, ambulare paſſu, aut hos omnino illis praeferendos, exiſtimari queat. Verum in liberis, praeter iſtam grati animi legem, accedit vtique ſanguinis communio & propinquitatis nexus, quem vehementior amoris ſtimulus comitari plerumque ſolet. Hunc vero cum non fruſtra Deus indiderit animis hominum; velle quoque eum, vt eos, quibuscum arctiori hoc naturae vinculo colligati ſumus, praeceteris, obſeruato tamen iuſto inter omnes ordine, & ſi aliae grauiores cauſae non obſtent, diligamus, iure meritoque colligimus.

§. XXX. Ceterum, vt nunc ad alia progrediamur, poſſunt etiam liberi inter ſe comparari. Attingit eam comparationem quoque Robertus Scharrockius, propoſita quaeſtione, an ex natura fiat, quod liberorum alii aliis praeferantur? Quocum in eo conſentio, quod natura omnes quidem liberi ſint aequales eiusdemque conditionis, ſed addo, poſſe tamen aliunde oriri certas cauſas, cur quidam ex liberis aliis praeferantur. Quare in iis, quae iure naturae

liberis debemus, omnium eadem eſt conditio, nec vni quicquam concedi poteſt, quod denegetur alteri. Aſt quod ad ea attinet, quae ex noſtra pendent voluntate, aliter omnino pronunciandum, cum nihil obſtet, quo minus vni plus faueamus, quam alteri, praeſertim ſi praegnantes, vt hoc faciamus, nos inducant rationes. Ex quo patet, hanc, quae inter liberos intercedit, aequalitatem non obſtare, quo minus in ſucceſſionibus primogeniti praeferantur reliquis, modo & his ea tribuantur, quae naturae iure exigere a parentibus poſſunt, alimenta ſcilicet & ſuſtentatio generis conditioni attemperata. Non abs re forte eſſet, nec ab hoc loco alienum, hanc primogenitorum praerogatiuam pluribus confirmare: ſed quia iam alibi (y) hoc a nobis actum eſt abunde, paucis tantum reſpondebimus ad ea, quae Robertus Scharrockius contra primogenitorum ſucceſſionem diſputat.

§. XXXI. *Nulla omnino*, inquit, *eſt, quantum iam ſcio, ratio, nulla argumenti vis, qua probari poſſit, maiores natu liberos ceteris praeferri debere.* Immo ſunt rationes maximae & grauiſſimae, vt deinceps patebit. *Eſto haec apud nos iam ex Normannica victoria conſuetudo, eſto communis lex: at neque naturalis affectus, neque ra-*

(y) *in diſſertatione de ſucceſſionibus primogenitorum.*

ratio id ſuadet. Affectus hic in cenſum non venit; ratio, ſi non cogit, ſaltem magnopere hoc ſuadet. Hinc vt de affectu hoc probaret, opus non erat: lubenter enim concedimus, parentes interdum propenſiori voluntate eſſe in ſecundogenitos aut natu minimos, quam in primogenitos. Ad rationem ergo progrediamur. *Ratio vnica, cur ſumma rerum in vno locaretur, eſt nominis aut familiae honeſtior conſeruatio.* Immo populi, & totius reipublicae ſalus, & conſeruatio, hanc ſuccedendi rationem requirit. Si enim regnum diuidatur, vires eius labefactantur, penitusque conuellitur: ſi vni deferendum, cui rectius, quam primogenito? *Non iam quam honorificum ſit, vt e liberis alii dominium gerant, alii mendicent, diſputo.* Idem futurum eſſet, ſi non primogenitus, ſed optimus ſuccederet, quod contendit Scharrockius. Poteſt autem vnus imperium obtinere, vt tamen & reliquis proſpiciatur, nec mendicare neceſſe habeant. *Aſſero, potius famam generis & familiae honeſtatem aeque defenſum fore, ſi iunior aut medius, aut quisquam a ſeniore alter ad hereditatem ex aſſe perueniret, multo autem facilius & certius, ſi maioris ſpei iuuenis eo dignitatis & rei familiaris prouehatur.* Quis vero iudicabit, quis ſit maioris ſpei iuuenis? Num parentes? aſt hos affectus haud raro fallit. Num populus? is corruptioni eſt obnoxius.

Quid si non consentiret? si iret in partes? nonne dissidiis aut bellis intestinis ita aperiretur fenestra? *Quid enim cum ratione sperari potest, si quando prodigum aut stultum contigerit, ob nativitatis praerogativam, sortiri, quod nimis crebro contigit, hereditatem?* Si haec vitia aperta sint, in plerisque regnis iure suo primogenitus excidit. Ex eo vero non sequitur, primogenitorum non debere in successione potiorem esse conditionem. Sin de hisce vitiis certo non constet, optima quaeque speranda. Namque & illi, qui optimam de se spem praebent, & ad imperandum deliguntur, degenerare possunt. Quis ignorat quinquennium Neronis? *Concidit etiam ex seniorum, qua tales, praelatione, meriti honor & respectus: nemo parentes demereri anxius contendet cum mercedem nequeat; non desperare.* Prauae indolis est, tantum ob spem mercedis parentes venerari. Adeoque has blanditias saluti gentis suae, & reipublicae, merito postponunt parentes *Nemo certe, nisi cui mentem exemit Iupiter, in naturam peccasse Romanos credet, quibus in usu erat, vt par fieret liberorum conditio. Admittebantur enim ex aequo in parentis intestati bona, vt patet legenti, quae hac de re in institutis, Nouellisque & Doctoribus loca luce sunt clariora.* Magnifice admodum, fateor, de Romanis sentit Scharfockius. Ego existimo, posse & sanae mentis hominem

nem dubitare, annon quandoque a recto aberrauerint tramite ſapientiſſimi iſti viri Romani. Quicquid huius ſit: in ſucceſſionibus priuatorum concedo, aequitati eſſe conueniens, vt, quantum fieri poteſt, omnium liberorum eadem ſit conditio: & de his loquuntur leges Romanae: de ſucceſſionibus in regnis nego, de quibus tamen praecipue hactenus diſputauimus.

§. XXXII. Nunc reliqui ſe nobis offerunt cognati. Scharrockius de hisce duo aſſerit: vnum, quod homini liberum ſit, deficiente linea deſcendente, quemlibet cognatorum cuilibet praeferre: alterum, quod propinquorum non deſcendentium alii, aliis ordinis, aut gradus ratione, praeferendi ſint. Enimuero poſſunt cognati generatim aut cum aliis, aut inter ſe, comparari. Prius ſi fiat, nullum ſupereſt dubium, quin cognati praeferendi ſint non cognatis. Poſterius autem ſi contingat, ordinis omnino habenda eſt ratio, vt, quo quisque propius cognationis iure nos contingit, eo maiori quoque in eum feramur affectu. Par enim eſt, vt naturae ordini amorem noſtrum attemperemus, ad quem ipſe quoque inſtinctus naturalis nos ducit: qui cum quandoque ob cauſas peculiares ceſſet, facile tamen in aliis deprehenditur. Sunt tamen haec omnia eiusmodi, vt mutationem ob cauſas

Digitized by Google

magis neceſſarias facile admittant, & eousque ſaltem locum inueniant, quousque haec officia, qui cognationis iure nos attingunt, a nobis exigere poſſunt. Manifeſtum hoc eſt in ſucceſſionibus ab inteſtato. In his enim, vt idem ordo obſeruetur, equidem par eſt, cum vt ſupra dictum, is amori eiusque gradibus diuerſis innitatur. Aſt cum aliquando cauſae intercedere queant, quae nos ab ipſo velut amoris officio liberent, & alios magis, quam qui proximo cognationis vinculo nobiscum colligati ſunt, amare permittant, tum iure ſuo, quod habent, omnino excidunt. Et hinc generatim intelligitur, quousque per teſtamenta derogari queat ſucceſſioni ab inteſtato. Sed & patet, cur non idem ſemper in ſucceſſionibus ab inteſtato obſeruari debeat ordo. Sic in regnis & rebuspublicis paſſim ſucceſſio linealis praefertur hereditariae, inſuper habito proximitatis gradu. Etenim populi & reipublicae ſalus hoc poſtulat, cui linealis potius, quam hereditaria, inſeruit ſuccedendi ratio. Amare enim proximos cognatos prae reliquis debemus, ſed magis amare populum: huic ergo ſi conſuli nequeat, niſi illorum commodis neglectis, neceſſitas illos amandi ſua ſponte ceſſat. Et hinc diiudicanda ſunt, quae Hugo Grotius, Samuel Pufendorfius, aliique, de ſucceſſionibus

bus ab inteſtato diſputant, cui argumento licet vberiorem affundere lucem pronum eſſet, inſtituti tamen hoc prohibet ratio.

§. XXXIII. Vt paucis tamen nonnullas quaeſtiones, quae agitari ſolent, ſaltem vt ſpeciminis inſtar ſint, indicemus, ſaepius diſputatum acriter meminimus, an nepos ex filio priori, filio poſteriori recte praeferatur? item, an minor frater ſuperſtes regis, antepo-nendus ſit maioris fratris filio? Praeterea, an fratris filius regis patruo recte praeferatur? anue nepos ex filio filiae regis? Vlterius, an minor nepos ex filio, nepoti maiori ex fi-lia? an neptis ex maiore filio, filio minori? & denique, an filius ſororis anteferendus fi-liae fratris? anque filia fratris maioris, fratri minori? Haec enim ſunt illuſtria illarum comparationum exempla, quae, cum in ſuc-ceſſionibus frequentiſſima ſint, dubiaque haud leuia vtrinque ſecum vehant, attin-genda ſibi cenſuit Hugo Grotius. (z) Sed ex vno diiudicari facile poteſt, quid de re-liquis ſit ſtatuendum. Sic nepos cum filii inſtar ſit, eaedemque rationes, quae ad a-mandos filios impellunt parentes, ad nepo-tes etiam amandos eos permouere & poſſint & ſoleant; omnino & hic locum habebit, quod ſupra (a) aſſeruimus, vt liberorum in-

ter

(z) *de I. B. & P. lib. II. cap. VII. §. XXX. ſeqq.*

(a) *§. XXX.*

ter se, ita & liberorum ac nepotum eandem prorsus esse conditionem. Cum vero, si a naturalibus discedamus & communibus, speciales esse queant rationes, cur vnum ex filiis parentes magis diligant, aut eum reliquis praeferant, in iis sane quae ex parentum voluntate pendent, res omnis ad illorum arbitrium redit, possuntque nepotem praeferre filio: si non dependeat a voluntate parentum, sed alterius, populi videlicet aut aliorum, tum sane cuicunque is praerogatiuam successionis concesserit, hic illam sine alterius iniuria obtinebit, meritoque tuebitur. Paucis; naturaliter nepos in locum filii succedit, cum ius illud, quod vocant repraesentationis, omnino naturali aequitati sit conveniens, & eousque eiusdem cum reliquis liberis est conditionis; praerogatiuam autem si pater habuerit, siue parentum consensui, siue legibus fundamentalibus, siue populi voluntati innixam, merito sibi quoque vindicat, asseritque. Ex quo colligas, in regnis, in quibus primogeniti successio recepta est, & subitio in locum excluſa non est, omnino nepotem ex filio priori, filio posteriori praeferendum esse, saltem naturam ipsam huic successionis ordini non aduersari. Quando itaque Hugo Grotius dicit: *in regnis vero hereditariis indiuiduis, vbi subitio in locum excluſa non est, neque semper nepos, neque*

que ſemper filius ſecundogenitus praeferuntur, ſed vti inter pares, quippe iuris effectu quoad gradus adaequatos, potior erit is, qui aetate praecedit, hoc eiusmodi eſt, vt non ſtatim aſſenſum promereri videatur. Etenim ſi in regnis iſtis hereditariis ſubitio in locum excluſa non eſt, nepos patris omnino gaudet praerogatiua. Per hanc autem, ſi primogenitus vel maior natu, quod tantisper ponere liceat, ſuccedere conſueuerit, dubium non eſt, quin & nepos praeferendus ſit filio ſecundogenito. Concedit enim Grotius, ſubitionem in locum naturali niti aequitate, ponit etiam in regno, de quo loquitur, eam non eſſe excluſam. Poſita autem iſta repraeſentatione ſeu ſubitione in locum, citra controuerſiam ſequitur, non habita aetatis etiam ratione, nepotem anteponendum eſſe filio ſecundogenito. Sed quod Grotium in hanc ſententiam induxit, hoc eſt, quod in regnis hereditariis in priuilegium aetatis non ſuccedatur. Ad quod tamen forte regeri poſſit, ſubitiones in locum hanc eſſe indolem, hanc naturam, vt, qui patris locum obtinet filius, omnino etiam hoc ipſo aetatis priuilegium conſequi cenſeatur. Quod autem porro in diſceptationem venit, an fratris maioris filius praeferendus ſit fratri minori ſuperſtiti, id quidem dubio caret. Haec enim comparatio ſi intuitu vltimi regis inſtituta-

tuatur, tum quidem is filium fratri facile praetulerit: reliqui autem ad ſalutem & quietem imperii, ſtatum reipublicae, aliasque rationes ciuiles, quae in cenſum veniunt, quoties de ſucceſſionibus in regnis ſermo eſt, reſpicient. Et ita in reliquis etiam ſe res habet, de quibus quidquam addere ſuperuacaneum duco.

§. XXXIV. Priusquam vero hinc digrediamur, memorabile admodum nobis occurrit exemplum, quod ſuo iure hic locum poſtulat, legiturque apud Herodotum. (b) Intapherne Perſa a Dario Hyſtaspis cum familia ad necem damnato, vxor tandem a rege obtinet, vt vnum ex propinquis, quem vellet, eligeret a morte liberandum. Haec, poſthabito marito ac liberis, fratrem elegit, cauſata, alium ſe maritum & liberos, ſed nullum fratrem obtinere poſſe, quippe parentibus ſuis dudum mortuis. Darius reſponſo mulieris delectatus, non tantum fratrem, ſed primogenitum filium vita donauit. Iuuat hac de re ipſum audire Herodotum. *Tunc vxor Intaphernis*, inquit, *ad regios fores accedens plorabat atque lamentabatur. Id aſſidue faciendo ad ſui miſericordiam Darium cum adduxiſſet, miſſo ad eam nuncio, rex inquit, mulier, offert tibi Darius vnius electionem ex vinctis domeſticis tuis, quem velis liberari. Illa poſtquam ſecum deliberauit ita reſpondit: ſi vnius omnino animam*

(b) *Lib. III. cap. CXVIII. CXIX.*

Digitized by Google

mam rex mihi gratificatur, eligo ex omnibus fratrem. Haec audiens rex, miratus huius orationem, missо nuncio, inquit, percunctatur te rex, qua de causa, viro filiisque praetermissis, fratrem elegisti vt supereſſet, qui remotiori abs te est gradu quam filii, & minus iucundus quam maritus. Cui illa reſpondet: ἐῦ, βασιλεῦ, ἀνὴρ μὲν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλλοιμι. Πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς ἔτι μὲν ζωόντων, ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος ὁδενὶ τρόπῳ γένοιτο. *Maritus, Rex, mihi alius, ſi daemon voluerit, atque alii liberi, ſi hos amiſero, eſſe poſſunt: alius frater, parentibus meis iam vita defunctis, nulla ratione poteſt eſſe.* Iniquiſſimam fuiſſe mulieris optionem, & ex prauo affectu profectam, ego nullus dubito. Electionis enim ratio non ex difficultate recuperandi, ſed potiori ac iuſtiori cauſa amandi, petenda erat. Nec fratrem ſolum non poterat recuperare, ſed nec Intaphernem, nec Intaphernis filium: igitur vtrinque eadem difficultas.

§. XXXV. Cognatos, atque propinquos excipiunt amici, immo, cum illis in comparationem adducti, dubiam adhuc reddunt palmam. Prope ab hac ſententia abeſſe videtur M. Tullius Cicero, (c) qui, poſt cognatos amicorum iniiciens mentionem: *ſed omnium*, inquit, *ſocietatum nulla praeſtantior eſt*, (c) *l. c.* *nulla*

nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Et paucis interiectis: *nihil autem est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eaedemque voluntates, in his fit, vt aeque quisque altero delectetur, ac se ipso: efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus.* De vera amicitia quin loquatur Cicero, nullum est dubium. Per hanc enim tam arcte demum animi colligantur, vt id, quod Pythagoras dixit, locum habere queat. Haec vero pro fructu verae felicitatis reputanda, nec nisi in emendatae voluntatis homines cadit. Qui enim adhuc se ipsum supra omnia amat, qui ad suam libidinem, auaritiam, ambitionem, cuncta refert, hunc tu credas, alium sincero affectu prosequi posse? Fallere te potest simulatione amoris, amicitiae specie: fallere & se ipsum potest, vt se amicum tibi esse putet: amare ita, vt decet amicum, non potest. Ipsi ethnici hoc quodammodo intellexerunt, magno consensu docentes, non nisi viros bonos & virtuti deditos colere inter se amicitiam posse. Elegantissima hac de re extant Simplicii verba, (d) quae non possum non hic recitare: τὸ δὲ μέγιστον καὶ μάλιστα θεῖον αὐτῆς χρῆμα ἀγνοεῖται, ὅτι ἡ καθαρὰ φιλία τὰς φίλας ψυχὰς εἰς ἕνωσιν συν-

(d) *ad Epicteti Cap. XXXVII. p. m. 207. 208.*

συναίγασα μελέτη καλλίση γίνεται τῆς πρὸς θεὸν ἑνώσεως, καὶ γὰρ ἀδύνατον τῆς πρὸς τὰς ὁμοφύλας ψυχὰς κρείττονος ἑνώσεως τυχεῖν. καὶ καλῶς οἱ πυθαγώρειοι περισσῶς τῶν ἄλλων ἀρετῶν τὴν φιλίαν ἐτίμων, καὶ σύνδεσμον αὐτὴν πασῶν τῶν ἀρετῶν ἔλεγον. καὶ μιᾶς γὰρ ἥς τινος ἂν τῶν ἀρετῶν ἀπολειπομένης, ἂν ἐθέλει παραγίνεσθαι φιλία. τίς γὰρ ἄδικος, ἀκόλαστος, ἢ δειλὸς, ἢ ἔτι μᾶλλον ἀνόητος, δύναται τὸ τῆς φιλίας ἀγαθὸν ὑποδέχεσθαι; χρὴ ἂν τὸν βουλόμενον εἶναι φίλον καθαίρειν ἑαυτὸν, ὡς ἡ δύναμις, ἀπὸ τῶν ἀλόγων τῆς ψυχῆς παθῶν, καὶ τότε τὸν ὅμοιον ζητεῖν, καὶ εὑρόντα περιπτύσσεσθαι, τὸ ἥμισυ τῷ ἑαυτῷ εὑρηκέναι νομίζοντα, κατὰ τὸν Ἀριστοφάνες μύθον. *Quod vero in ea maximum eſt, maximeque diuinum, ignoratur: quod ſincera amicitia mentes amicorum in vnum contrahens, meditatio pulcherrima eſt diuinae coniunctionis. Neque enim fieri poteſt, vt ad geniorum & Dei coniunctionem perueniatur, niſi ea, quae eſt inter cognatos animos, anteceſſerit. Recte igitur Pythagoraei prae aliis virtutibus amicitiam coluerunt, eamque vinculum eſſe omnium virtutum pronunciarunt. Nam ſi vna quaeuis abfuerit virtus, adeſſe recuſat amicitia. Quis enim iniuſtus, aut intemperans, aut timidus, ac magis etiam vecors, boni, quod eſt in amicitia, capax eſſe queat? Debet igitur, qui amicus eſſe vult, ſemet ipſum repurgare, quantum fieri poteſt, a brutis affectibus, ac tum ſui ſimile*

quaerere: idque inuentum amplecti, quaſi dimidio animae ſuae, alteraue corporis ſui parte reperta, ſecundum fabulam Ariſtophanis. Similia & alii ex veteribus de amicitia habent: (e) de qua altum apud recentiores doctrinae moralis magiſtros ſilentium, forte quod cum re ipſa, vera quoque amicitiae imago periit, & ex animis hominum ſit deleta.

§. XXXVI. Monendum vero illud omnino hic fuit, eo quod, ſi forte dubium aliquod in amicorum cum aliis hominibus comparatione oriatur, hoc tantum de vera amicitia intelligi queat. De externa enim amicitiae ſpecie ſi hoc capias, vix eſt, quod quis ambigat, aut ambigere poſſit, non magnum adeo hanc momentum trahere, nec venire admodum in cenſum, ſiue ex rei veritate hoc aeſtimes, ſiue ex illorum opinione, qui eiusmodi amicitiam colunt, Illi itaque, qui hoc nomine tituloue digni ſunt, aut cum quibusuis aliis, aut cum cognatis, atque propinquis, conferri poſſunt atque contendi. Si cum illis, qui nullo alio cognationis vinculo nobiscum iuncti ſunt, res dubio caret. Non enim video, quid obſtet, quo minus iis praeferri & poſſint & debeant. Cognatis autem ſintne praeferendi, an poſtponendi? diſputari forte in vtram-

(e) *conf. Valerius Maximus lib. IV. cap. VII.*

Digitized by Google

vtramque partem poſſet. Mea ſic fert opinio, diſpiciendum eſſe, an, praeter generale obligationis fundamentum, cauſa quaedam forte ſpecialis, vt neceſſitas in eo, cui aliquid praeſtandum, accedat. Si accedat, quin amici cedant cognatis, dubitari nequit. Ex quo patet, non temere eam rerum faciem oriri poſſe, vt parentibus & liberis, multo minus coniugibus, praeferre amicos par ſit, ſaltem in iis officiis, quae ex aequo omnibus exhibere tenemur, nec tamen omnibus ſimul a nobis praeſtari poſſunt. Ab hoc autem ſi diſcedas, cum aeque iuſta cauſa ſit amandi amicos, quam cognatos, poſſe quandoque, ſi cetera recte ſe habeant, praeferri amicos cognatis, vt illorum potius, quam horum, ſaluti commodisque conſulatur, nullus prorſus dubito.

§. XXXVII. In ſucceſſionibus tamen ab inteſtato, cognatorum prae amicis ſemper potior eſt conditio. Licet enim multae ſubeſſe cauſae queant, cur amicum quis maiori beneuolentia & amore proſequatur, quam cognatum, exinde tamen non ſequitur, in generali aliqua conſuetudine, legis vim imitante, cognatis eſſe praeferendum amicum, etiam aduerſus quem defunctus plura amoris indicia exhibuit, quam aduerſus iſtos. Nam in transmittenda hereditate, vt recte Samuel Pufendorfius pronunciat,

ciat, (f) non nuda reſpicitur beneuolentia, ſed & hoc, in quem noſtra tranſire bona maxime congruum ſit. Cum autem communis inter homines propenſio ferat, vt familia, ex qua quis ortum trahit, ſit quam ornatiſſima, hoc vtique quam conuenientiſſimum eſt, vt bona noſtra intra familiam maneant. Recte etiam idem animaduertit, poſſe aliquem alterius familiaritate impenſe delectari, in quem tamen non ſtatim velit bonorum ſuorum deriuari poſſeſſionem. Praeſertim ſi amicitiae, vti inter plerosque hodie eſt, indolem conſideremus, quippe, quae qualiscunque beneuolentiae ſignificatione, & quotidianis vitae officiis abſoluitur, nec tam in intima animorum coniunctione, quam cupiditatum ad vnum eundemque finem conſpirantium communione, conſiſtit. Verae namque amicitiae exempla facilius in philoſophorum ſcriptis, quam vita hominum reperias. Accedit vero, quod plurimae & nunquam finiendae inde ſecuturae eſſent lites; cum facile quisque pro defuncti amico ſe iactitare poſſit: cognatum nemo temere ſe venditat, aut, ſi venditauerit, conuinci criminis haud difficulter poteſt. Ne quid nunc de eo dicam, quod cognationis numerare gradus in promtu ſit: amicitiae autem gradus, quis in talem

(f) *de I. N. & G. lib. IV. cap. XI. §. XV.*

Digitized by Google

talem disponet ordinem, vt nihil dubiae disceptationis remaneat? Immo, quod maximum est, ne indoles quidem verae amicitiae eiusmodi quid exigit: nisi mercenariam amicitiam quis pro vera reputauerit. Ego vero amicum, qui commodi cuiusdam consequendi causa amicus est, non magni facio, sed nec quisquam vir sapiens, vti ego quidem existimo.

§. XXXVIII. Forte illos saltem amicos, quorum liberalitate, consilio, aut subsidio, bona ista fuerunt quaesita, praeferendos ceteris esse, aliquis existimauerit. Aequum enim esse, vt bona eo redeant, vnde promanarunt. Sed quid & hic respondendum sit, iam demonstrauit Pufendorfius. (g) Non deerit, inquit, & hic vberrima litium materia, ad quam praescindendam, omnia iura potissimum tendere debent. Regeri enim amico poterit, ipsum beneficium non dedisse, sed reddidisse, vel ipsi iam sat gratiae relatum, Dedisse eum citra spem aliquid recipiendi, eoque animo, vt non amico solum, sed & ipsius amicis prodesset. Dedisse gloriae aut commodi sui gratia. Non defuisse occasionem, aliis mediis emergendi. Non liquido constare, quantum eius opera ad bona ista cumulanda contulerit. Neque statim in communionem rei partae ad-

(g) *l. c. §. XVI.*

Digitized by Google

mittendum, cuius opera vtili in re illa vſi ſumus, & quae ſunt alia eiusdem generis. Duplici, fateor, eiusmodi amicus nititur fundamento, & amicitiae, & animi grati. Huius autem iam ceteroquin tanta, ſapientum iudicio, eſt ſanctitas, vt nihil turpius, nihil execrabilius illis ſit homine ingrato. Et Ariſtoteles (h) quidem bene meritos de nobis praeferendos ceteris eſſe, haud obſcure innuit: εὐεργέτῃ ἀνταποδοτέον χάριν μᾶλλον ἢ ἑταίρῳ δοτέον, ἐαν ἀμφοῖν μὴ ἐνδέχηται. *Bene merito reddenda magis gratia quam ſodali dandum, ſi vtrisque non liceat.* Cui & plerique ex philoſophis, ſi non omnes, adſtipulantur. Sed quantacunque ſit geminatae etiam obligationis efficacia, tanta tamen non eſt, vt illi praeponderet, quae officio aliis proſpiciendi, neceſſitudine ſanguinis, & naturali ad familiam augendam & conſeruandam propenſione, nititur. Non erit alia iſta obligatio, quae ex amicitiae ac grati animi lege oritur, quam imperfecta, cum contra, quae cognatis nos proſpicere, eorumque conſulere commodis iubet, maximam partem perfecta ſit. Etenim quod Io. Henricus Boeclerus (i) euincere ſuſtinuit, perfectam etiam animo grato ſubeſſe obligationem,

(h) *Nicomachicor. lib. IX. cap. II.* (i) *in diſſ. actio ingrati.*

Digitized by Google

nem, id magis demonſtrandi ingenii cauſa, quam ex rei veritate ſcripſiſſe creditur. Perfectae autem obligationi quod imperfecta cedat, nemo, niſi harum rerum plane rudis inficiatus fuerit,

§. XXXIX. In mentem vero hic venit, quod ſeruator noſter dicit: *Si eos demum amatis, qui vos amant, quam mercedem habituri eſtis? annon vel publicani idem faciunt? & ſi veſtros duntaxat fratres ſalutatis, quid egregium facitis, nonne vel publicani ſimiliter faciunt? Matth. V, 46.* Id quod ſi prima fronte conſideretur, totam noſtram de comparatione obligationum labefactare videtur diſputationem. Videtur enim hic ſenſus eſſe: omnes ex aequo diligendos, nec fratres aut cognatos reliquis praeferendos eſſe. Sed recte intellecta haec verba, amoris ordinem neutiquam tollunt. Namque eos ſaltem redarguit ſeruator, qui amoris officium ex affectu aut commodis ſuis, non autem ex voluntate Dei metiuntur. Cumque hoc plerique faciant, cognatos ſaltem aut amicos amant, reliquos negligunt. Quos peruerse agere manifeſtum eſt. Amandi enim omnes ſunt, ſi recte amare cupis, nullo commodorum, nulla vtilitatis, nulla naturalis affectus habita ratione, ſed tantum ideo, quia Deus hoc iubet. Naturalem autem cum hinc excludimus affectum, non hoc ita intelligendum, ac ſi

Digitized by Google

prorſus is extirpandus ſit, quod fieri nequit, nec ſemper neceſſe eſt, cum naturalem v. g. affectum liberorum erga parentes nemo damnauerit, ſed quod eum voluntati diuinae ſubiiciendum, & ad hanc exigendum eſſe ſtatuamus. Proinde ex eo etiam colligendum, quem in amando ſeruare debeamus ordinem, iuxta Numinis praeſcriptum: & hunc ſi ſequamur, vt ſaltem Numinis iuſſui obtemperemus, ſimulque ſecundum illius praeſcriptum omnes ex aequo amare parati ſimus, nihil facimus, quod hominis chriſtiani officio repugnet. Et hoc demonſtrandum ideo fuit, vt conſtaret, nihil nos hic tradere, quod cum ſanctiſſima chriſtianorum disciplina conſiſtere nequeat.

§. XL. Quae diſputauimus hactenus, de naturali propinquitate intelligenda ſunt, cui cum moralis interdum accedat, noua hinc, obligationes inter ſe contendendi, oritur ratio. Documento ſerui eſſe poſſunt, qui & dominis ſuis, & etiam cognatis, parentibus, coniugibus, fratribus, ceteris, ſunt obſtricti. Si ergo cum domino cognati eius concurrant? quem anteponere debeat alteri, ambiget merito. Equidem inaequali exiſtente parentum eius, fratrum, conſanguineorum, atque heri neceſſitate, quin huic prae illis ſuccurrere debeat, dubio fere caret, cum id

finis

Digitized by Google

finis ſocietatis herilis exigat, in quam dum conceſſit; domeſticae valedixit. Accedit vero, quod parentes, fratres, ceterique conſanguinei, cum veluti conſenſerint, vt, qui iſta cognatione illos attingit, in ſocietate herili viueret, in reliqua etiam, quae hanc ſocietatem conſequuntur, conſenſiſſe cenſeantur. (k) Id vero de iis officiis intelligendum omnino eſt, quae domeſticae ſocietati velut propria ſunt, & in quibus adeo ſervus a voluntate & imperio domini pendet. Vnde & quid de contractibus ſeruorum, quos factos aut non factos eſſe, & domini & cognatorum intereſt, exiſtimandum ſit, patet. Etenim diſpiciendum, quousque per domini voluntatem ſeruo contrahendi libertas ſit conceſſa, & hinc de tota re ſtatuendum. Hac ſi penitus ſe abdicauerit, aut ſe abdicare debuerit, cedant cognati domino neceſſe eſt, ſi quidem hic ſua ſponte a ſuo discedere iure nolit. In iis vero rebus, quae ad herilem ſocietatem non ſpectant, praeſertim ſi maior cognatorum, quam domini ſit neceſſitas, ſalua ſemper manet illorum praerogatiua, fortius cenſetur naturale cognationis vinculum, prae morali, niſi forte conſenſu aperto, vt illud huic cedat, conſtitutum fuit atque definitum.

(k) *add. Zentgrauius in ſumma iuris diuini p. 668.*

Digitized by Google

§. XLI. Iam, vt reliqua prosequamur, post cognatos & amicos se offerunt ciues, quánquam nec horum vna eademque est ratio. Vicinos enim ceteris praeferendos esse, & aequitati videtur conueniens, & plurimi ex ipsis agnouerunt ethnicis. Praeclare & egregie iterum hac de re differit Simplicius, (l) cuius verba, ne prolixi nimis simus, latino tantum idiomate proferemus. *Ciuis autem, si etiam vicinus fuerit, aliquanto arctiori devincitur necessitudinis vinculo. Vt enim vrbem eandem, & familiam eandem non temere neque fortuito consequimur, sic nec eundem vrbis locum communi quadam ratione sortimur. Maior itaque beneuolentia & familiaritas vicino debetur, quam ciui: quaeque de ciue dicta sunt, vberius & cumulatius in vicino obseruantur, eique & communicantur, & accepta referuntur, quae possunt omnia. Rebus eorum secundis gratulandum, aduersis ingemiscendum, aegrotantes tanquam domestici curandi, & in omnibus aliorum congressibus declarandum, se vicino in re nulla iusta defuturum, pro virili adiutando. Denique turpe habendum & erubescendum est, vicinum ea in re ab aliis adiutum fuisse, qua adiuvari a nobis potuisset.* Est hic maximopere laudandum, quod tam exquisitum diuinae prouidentiae sensum prae se ferat Simplicius, vt credat, nec illud temere atque fortuito contingere, quod quis in certa vrbis

(l) *l. c.* par-

parte habitet. Ad rem ipſam quod attinet, manifeſtum eſt, cum nos plura humanitatis officia a vicinis plerumque & percipiamus, & expectemus, quam a reliquis ciuibus, nos, ex ipſa animi grati lege, etiam arctiori quodam vinculo illis eſſe obſtrictos.

§. XLII. Cum amicis & cognatis vicinos in comparationem deducunt Heſiodus (m) atque Tullius, parumque abeſt, quin vterque pro vicino pronuncier. Ille quidem ita rem effatur:

τὸν φιλέον τ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι,
τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅς τις σέθεν ἐγγύθι ναίει.
εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐνχώριον ἄλλο γένηται,
γείτονες ἄζωστοι ἔπιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ,
ἔμμορέ τε τιμῆς, ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ.
οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Amicum ad conuiuium reuocato, inimicum vero relinque,
Eum autem potiſſimum vocato, quicunque te prope habitat:
Si enim tibi aliquod negotium ruſticum inexpectatum eueniat,

Vi-

(m) *Op. & dies. p. m. 248. edit. Clerici.*

Vicini discincti accurrunt, cinguntur autem cognati.

Noxa tam magna est malus vicinus, quantum bonus commodum.

Nactus est rem bonam, quicunque nactus est vicinum bonum.

Neque bos interierit, nisi vicinus malus sit.

Cicero autem (n) suam ita hac de re aperit sententiam: *Sunt officia, quae aliis magis quam aliis debeantur: vt vicinum citius adiuueris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem: ac si lis in iudicio sit, propinquum potius & amicum, quam vicinum defenderis.* Immo ipse rex sapientissimus haud procul hinc discedit: *melior*, inquiens, *est vicinus proximus, quam frater procul habitans. Prouerb. XXVII, 10.* Recte vero Tullius ipsas probe a se inuicem praestationes discernendas esse, censet. Generatim namque, ob arctius naturae vinculum, magna fratris prae vicino remanet praerogatiua. Ast quaedam sunt vitae humanae momenta, in quibus, vel ob ipsam officiorum indolem & necessitatem, fratribus & cognatis praeferendi sunt vicini. Quo magis enim aliorum nobis necessaria opera, eo gratior nobis merito est, & magis etiam ad eam grato animo agnoscendam sumus obligati. A fratre autem, si ea praestari

(n) *cap. XVIII. p. 133.*

Digitized by Google

ſtari nequeat, ſimilem autem operam vicinus a nobis exigat, quis dubitet, quin hoc ſaltem reſpectu vicino magis obligati ſimus, quam fratribus atque cognatis? Et hoc eſt, quod ſibi voluit Tullius.

§. XLIII. Eſt vero hoſpitum hic iniicienda mentio, quos, iuxta veterum conſuetudinem, cum multis aliis, immo ipſis cognatis comparationem quandoque ſubire conſtat. Etenim vt barbarum plane & inhumanum illis videbatur, aut non admittere peregrinos, hoſpitiumque denegare, aut admiſſos vlla ratione laedere: ita ſanctiſſimum aliquod neceſſitudinis & amicitiae ius ex hoſpitio oriri, contendebant. (o) Ad maximum ſcelus ſatis erat, hoſpitalis iuris migraſſe leges. Tale quid qui commiſerat, ab eo nihil tam immane, tam foedum eſſe, quod non metuendum, putabant. Ariſtoteles reliquis amicitiae ſpeciebus hoſpitalitatem diſerte praefert: (p) Βεβαιοτάτη δ' ἂν δόξειεν εἶναι τῶν φιλιῶν ἡ ξενική, ἃ γὰρ ἐστιν ἁδὲν αὐτοῖς τέλος κοινὸν, ὑπὲρ ἃ ἀμφισβιτῶσιν, ἴσον ἐν τοῖς πολίταις. *Amicitiarum hoſpitalis validiſſima videtur. Neque enim vllus eſt, de quo ambigatur communis finis, vt inter ciues.* Immo Homero (q) hoſpes potior fratre eſt: ἀντὶ κα-

(o) *conf. I. P. Thomaſinus de Teſſeris cap. VII. & X.*
(p) *Magnor. Moral. lib. II. cap. XI.* (q) *Odyſſ. Θ.*

καστιγνήτε ξείνος θ' ἱκέτης τε τέτυκται. *Ante fratrem hospes & supplex habetur.* Ratio inde potissimum petenda, quod peregrini alienae opis maxime sint indigi, cumque ad nos accedentes singularem de nostra humanitate opinionem prodant, turpe esset, se ipsos indignos ista opinione reddere, eumque laedere, qui amico beneuoloque in nos est animo. Necessitas autem huius officii antiquis temporibus eo maior erat, quo maior erat hospitum indigentia, nullis fere in vrbibus existentibus diuersoriis, quibus pro iusto pretio peregre aduentantes exciperentur. Hinc & Apostoli ipsi τὴν φιλοξενίαν εἰς ἀλλήλους magnopere commendant. *Rom XII, 13. Ebraeor. XIII, 2. I. Pet. IV, 9.* Hodie quidem, constitutis vbique diuersoriis, hospitalitati vix locus esse multis videri poterat: sed qui cogitauerit, quod diversoria ista & cauponae plerumque nihil aliud quam flagitiorum sint officinae, & scelerum domicilia, in quibus quisque impune quiduis & dicere & facere fas esse putat, vt nihil molestius honestis viris accidere possit, quam vel horam in iis commorari, aliter facile iudicauerit. Vnde profecto, si rem rite ponderemus, non minor hodie hospitalitatis necessitas existit, quam olim fuit. Recte eximius ille iure-consultus Io. Schilterus: (r) *multis scandalis atque fla-*

flagitiis medela foret inuenta, ſi, loco caupo-narum & meritoriorum hoſpitiorum, amici-tiae hoſpitales & hodie inter Chriſtianos fre-quentarentur.

§. XLIV. Iam quod ad comparationem hoſpitum cum aliis attinet, auctore Aulo Gellio, (s) conueniebat facile, conſtabatque ex moribus populi Romani, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fi-dei tutelaeque noſtrae creditos: ſecundum eos proximum locum clientes habere, qui ſeſe itidem in fidem patrociniumque no-ſtrum dediderunt; tum in tertio loco eſſe hoſpites; poſtea eſſe cognatos affinesque. Teſtimoniis hoc Gellius comprobat, ex qui-bus maxime ad noſtrum inſtitutum facit il-lud Maſſurii Sabini: *In officiis apud maiores ita obſeruatum eſt, primum tutelae, deinde ho-ſpiti, deinde clienti, tum cognato, poſtea affini: de qua cauſa feminae viris potiores ſunt habi-tae, pupillarique tutelae muliebris praelata; etiam aduerſus quem affuiſſent, eius filii tu-tores relicti in eadem cauſa pupillo aderant.* Poſtpoſitos parentibus & liberis fuiſſe ho-ſpites, nemo mirabitur, cum arctiori haud dubio vinculo cum parentibus & liberis colligemur, quam cum hoſpitibus. Ob-ſtare tamen videtur exemplum ſanctis-ſimi

(r) *in diſſertat. de iure hoſpitii, manductioni eius adveram Iurisprudent. ſubnexa §. XII.* (s) *lib. V. Noct. Attic. cap. XIII.*

ſimi viri Loti, qui filias ciuium impetu in domum ruentium libidini offerre potius decreuit, quam vt hoſpites illorum permitteret furori. (t) Hospites ergo praetulit filiabus, & peregrinorum potius incolumitati, quam filiarum famae & pudori, conſulere maluit. Quo ipſo tamen aliquid humani eum paſſum eſſe, nonnulli ex theologorum ordine iudicant, ex veteribus quidem Auguſtinus, (u) ex recentioribus autem Io. Gerhardus. (x) Eiusmodi ergo hoc eſſet, vt in exemplum trahi non poſſet. Sunt tamen, qui mitius de ſanctiſſimo viro pronunciant, (y) eumque excuſandum cenſent, quod forte ſciuerit, non auſuros Sodomitas, quod offerebat, accipere, quia filiae eius, vt in ſequentibus Moſes docet, duobus Sodomitis ciuibus, forte principum filiis, erant deſponſatae. Perditiſſimos autem mortalium quanquam effrenis libidinis, ſuis tamen parcere, cum ſe incolumes non eſſe, niſi erga ſuos ſaltem ſocietatem cuſtodiant, facile intelligant. Forte tamen & hoc animo hic reputandum iidem putant, niſi Lotus accerrime Sodomitis reſtitiſſet, ſerioque hoc a ſe fieri oſtendiſſet, ſuſpectum haberi po-

(t) *Geneſ. XIX, 8.* (u) *cont. mendac. ad Conſent. cap. IX.* (x) *comment. in II. ep. Petr. cap. II, p. 232.* (y) *vid. Io. Clericus comment. in Geneſ. l. c.*

potuiſſe proditorum hoſpitum. Itaque ad extremum potius remedium deueniſſe, quam vt eiusmodi a ſe amoliri ſuſpicionem nollet. Quicquid huius ſit, imitandum non eſſe hocce viri facinus, conſentiunt omnes; adeoque parentum liberorumque prae hoſpitibus praerogatiuam non labefactat. Ad ceteros autem cognatos quod attinet, vix ex veteribus fuerit, qui eos non poſtponat hoſpitibus. Ipſius Pythagorae fertur ſententia: *ξένος ανηρ δίκαιος, ὐ μόνον πολίτε, ἀλλὰ καὶ συγγενὸς διαφέρει. Hoſpes vir bonus non tantum ciui, ſed cognato praeferendus.* Nec tamen illud ita capiendum, vt ſemper & vbique hoſpes potiori apud nos loco ſit, quam cognati. Diſcernenda ſcilicet ipſa ſunt officia. Quaedam vtrisque communia ſunt, quaedam ſpecialia, & cognatis velut propria, quae ex ipſo ſanguinis & affinitatis vinculo reſultant. In illis quod olim, admiſſa iſta hoſpitiorum ratione, quae apud veteres fuit, hoſpitibus poſtpoſiti ſint cognati, non reprehendo: in his, ad quae & ſucceſſiones pertinent, quin ſemper fuerit, eſſeque debeat potior cognatorum prae hoſpitibus conditio, dubitari nequit.

§. XLV. Deduxerat Aulus Gellius, & apud eum Maſſurius Sabinus, cum hoſpitibus in comparationem clientes. Iuuat & hac

de re paucis dispicere. Apud Romanos namque eo loco clientes erant, vt cum propinquis & cognatis pari ambularent passu, si non prorsus anteponerentur. Alibi idem Gellius: (z) *clientem in fidem acceptum cariorem haberi quam propinquos, tuendumque esse contra cognatos, populus Romanus censuit. Neque peius vllum facinus existimatum est, quam si cui probaretur, clientem derisui habuisse.* Immo sunt nonnulli, qui asserunt, tantae auctoritatis fideique patroni fuisse munus, vt, si vel in minimo deseruisse, aut neglexisse clientem suum, conuinceretur, Diti sacer praeuaricator esset, ac a quouis impune occideretur. (a) Aulus itaque Gellius in tertio iuxta parentes loco esse hospites, in secundo clientes, constare ex moribus populi Romani, ait. Massurius tamen antiquiorem locum hospiti tribuit, quam clienti. Et huic suffragari videtur Tullius; (b) *Clarissimi viri nostrae ciuitatis temporibus optimis hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus suis clientibusque ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani ditionemque essent, iniurias propulsare, eorumque fortunas defendere.* Aft recte obseruat Io. Schilterus, (c) ex hoc loco nihil

(z) *lib. XX cap. I.* (a) *conf. Dionys. Halicarnass. lib. II. p. 132. Suetonius in Iul. Caes. cap. LXXI.* (b) *Diuinat. in Q. Caecilium.* (c) *l. c.*

hil certi de ſententia Tullii exſculpi poſſe, cum nec ex inſtituto hic de ordine inter hoſpites & clientes quaerat, & praeterea non de quibusuis clientibus, ſed iis tantum, qui ab exteris veniſſent nationibus. Vtitur equidem Cicero & alibi eodem ordine: (d) *in omnibus publicis, priuatis, forenſibus, domeſticis tuis, amicorum, hoſpitum, clientum tuorum negotiis &c.* Sed an deliberato conſilio hunc ordinem elegerit, incertum: praeſertim cum alibi alio vtatur, vt idem Io. Schilterus erudite obſeruauit. Mihi rurſus ita videtur, officia ipſa eorumque cauſas eſſe diſcernendas, poſſeque aliquando clientis prae hoſpite, interdum hoſpitis prae cliente, potiorem eſſe conditionem. Sed hodie cum & clientelae & hoſpitii longe alia ratio ſit, vt de his admodum ſolliciti ſimus, neceſſe non eſt.

§. XLVI. Sunt vero variae in ciuitate ſocietates, ex quibus certus hominum ſtatus oritur, & praeter naturales quidem, de quibus antea diximus, aliae in ciuitate ſocietates minores exiſtunt, ſubiectae tamen ciuili & ab ea originem trahentes, quae *collegiorum* nomine venire ſolent. In his qui ſunt conſtituti, ob communia iſtius ſocietatis commoda, ob frequentiora vitae commercia, & mutuam, quam quisque alteri

(d) *lib. V. Fam. VIII.*

ſpeciali quadam ratione praeſtare & poteſt, & ſolet, operam, aliasue ob cauſas, arctiori inter ſe, quam cum aliis ciuibus vinculo, merito cenſentur colligati. Ergo & in comparationem cum illis deducti, modo aliae cauſae grauiores non obſtent, illis ommino praeferendi videntur. Eſt tamen hoc, vti & cetera, quae hactenus diſputauimus, ita intelligendum, vt commoda integrae ſocietatis diſcernamus a commodis ſingulorum in iſta ſocietate conſtitutorum, & ſi in ſingulis ipſius ſocietatis habenda eſt ratio, hoc ea demum ratione fiat, vt minores maioribus, & maiores generi humano ſubordinentur, & per ſingulorum conſeruationem minoribus ſocietatibus ita conſulatur, ne noceatur maiori, maiori ita, ne maxima illa, quae inter omnes omnino homines intercedit, vllum inde capiat detrimentum.

§. XLVII. Quod vero diximus, commoda ſingulorum poſtponenda eſſe commodis integrae ſocietatis, id vel vnico comprobandum eſt exemplo. Non hodie demum aut nudius tertius diſputari coepit, ſi cum cognatis aut parentibus ipſis contendatur patria, quae hic officiorum noſtrorum ſit ratio. Ciceronis ſane iudicio, patriae cuncta cedunt. *Cum omnia*, inquit, (e) *ratione animoque luſtraueris, omnium ſocietatum nulla eſt gra-*

(e) *lib. I. de offic. cap. XVII.*

gratior, nulla carior, quam ea, quae cum republica eſt vnicuique noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium caritates patria vna complexa eſt. In eam itaque ingrediuntur ſententiam, non tantum ſi vtrisque, & patriae & parentibus, ſuccurri nequeat, hos poſtponendos eſſe illi, ſed & pro patriae defenſione poſſe filium vim ſine ſcelere inferre parentibus. Idem rurſus Tullius, (f) cuius & plerique ex Theologorum ordine decreta adprobant: *Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater, ſilebitne filius? immo vero obſecrabit patrem, ne id faciat: ſi nihil proficiet, accuſabit: minabitur etiam. Ad extremum ſi ad perniciem patriae res ſpectabit, patriae ſalutem anteponit patris.* Manifeſta aſſertio haec nititur ratione, & admodum luculenta, multos vni, & plures anteponendos eſſe paucioribus. Adeoque & eidem non refragabor, modo per patriam ea intelligatur respublica, in qua viuimus, & cauſa inſuper non iniqua ſit, in qua patria operam noſtram poſtulat. Nullatenus autem excuſandi, qui patriae ſalutem obtentui ſumunt, vt in parentes, aut cognatos, ſibi contumelioſos & iniurios eſſe liceat. Quod a Nerone forte factum, occidente matrem, quem tamen excuſat Arnoldus

(f) *lib. III. de offic. cap. XXIII.*

Clapmarius: (g) *Ac neſcio*, inquit, *annon aliquo pacto excuſari poſſit Nero de caede matris. Conſideranti enim mihi hiſtoriam totam occurrunt multa ſcelera & affectati regni indicia: veluti quod praeter alia tribunos & centuriones comiter excepit, quod nomina & virtutes nobilium in honore habuit, quod ducem quaeſiuit & partes, aliaque id genus arcana dominationis inuaſit. Immo ipſe Burrhus & Seneca teſte Cornelio Tacito, eo deſcenſum credebant, vt niſi praeueniretur, Neroni pereundum foret.* Sed Neronis, immo principum Neroni ſimilium indolem ignoret prorſus neceſſe eſt, qui hoc ſibi perſuaderi patiatur. Nihil quippe his ſolennius, quam patriae commoda, reipublicae oſtentare vtilitatem, vt nunquam deſit, quod ſuis obtendant cupiditatibus. Timoleontis forte, cuius idem Clapmarius meminit, rectius huc retuleris exemplum. Hic fratrem ſuum Timophoontem, qui tyrannidem moliebatur, multisque adeo viris magnis in republica extrema quaeque minitabatur, ne quidquam monitum vt abſiſteret, confodi conteſtim iubet, & quidem intra parietes. Cuius rei cum Timoleontem poeniteret, & idcirco ſe a publicis negotiis ſubduceret, Teleclides eum vehementer increpans: *Si*, inquit, *decertaueris praeclare, tyrannum te occidiſſe arbitrabimur: ſin minus, fratrem.* Auctor ſane eum

(g) *de arcanis rerumpubl. lib. IV. c. XX.*

eum excuſat, quod non fratris odio id fecerit, ſed incredibili amore patriae, neque tam priuata, quam publica auctoritate pollens. Ceterum ſolenne, quod diximus, admodum eſſe, vt haud raro patria προφάσιν hominum cupiditatibus praebeat, multis comprobari documentis poſſet. Illuſtre cumprimis illud eſt, quod hiſtoria Henrici IV. Imperatoris praebet, cuius filius, in patrem inſurgens, patriae commodis ſalutem parentis poſtponere pulcherrimo facinore ſibi viſus eſt, vel ſaltem eiusmodi quid a pontifice ſibi perſuaderi paſſus eſt. Id quod cum non temere quisquam ignoret, pluribus edifſerere non attinet.

§. XLVIII. Similis vero & ipſorum principum, omniumque imperantium, ac ipſius patriae eſt ratio. Omnis namque ſocietatis cuiuscunque ſalus conſiſtere in capite eius videtur, qui ſocietati praeeſt. Nec hanc laedere quis cenſetur grauius, quam qui illi vim infert, cui ſe ipſos & omnia ſua concredidere omnes. Quare & principis & patriae eadem eſſe ratio videtur, & vbicunque hanc parentibus & cognatis praeferimus, illum poſtponere nefas eſſe exiſtimatur. Res iſta, noſtra quidem aetate conſtat, quae adulationis ſpiritu occoecata, nihil non principibus tribuit, diuina humana illorum pedibus ſubiicit, plane vt olim in patria ex-

tollenda nec finem nec modum faciebant Romani, ſaltem populo vt placerent, quas ſcribebant, fabulae. Quo ipſo nihil ſanctitati aut dignitati principum detractum cupio: quos ſcio, ſi cordati ſint, ineptas iſtas hominum non adprobaturos adulationes, verbis quidem valde magnificas, ſed factorum plerumque inanes. Quicquid huius ſit, res ipſa conſtat inter omnes. Cumque vulgo doceatur, & ſuam quisque vitam ſi vitae principis poſtponant, recte eum agere, (quanquam multos quidem, qui hoc aſſerant, noui, paucos profecto admodum, qui aut praeſtent, aut praeſtare velint, licet ſingulare admodum exemplum apud Io. Sleidanum (h) occurrat) ecquis dubitaret, parentes, fratres, cognatos reliquos, cedere principi, ſi illis ſaluis huic non licet eſſe incolumi? Eſſe tamen & hic tum ad cauſam, tum ad grauitatem periculi, ceterasque nationes, quae in omni comparatione in cenſum veniunt, attendendum, per ſe patet.

§. XLIX. Et haec quidem cuiusmodi ſint, facile intelligitur. Nunc vero, vt inceptam ſemel pertexamus telam, ea quoque, quam religio inter homines introducit, diuerſitas conſideranda nobis venit, vt, quae forte officiis quibusdam inde accedat

(h) *comment. de ſtatu relig. lib. XV.*

dat praerogatiua, ſi cum aliis contendantur, pateſcat. Neque naturalem nunc innuimus religionem, quippe cuius vix quisquam expers videri cupit, vt ſua ſaltem confeſſione non eſſent, quae opponi aliis queant, aut, ſi opponantur deducanturue in comparationem, hoc ipſo grauiſſime ſe laedi non conquerantur: ſed de chriſtiana, quam ii, quorum gratia haec ſcribimus, profitentur omnes, nobis inſtituitur ſermo. Per hanc autem in arctiorem, qui illi nomina dant ſua, coaleſcere ſocietatem, & ſacra velut cognatione iungi, ſcriptura ſacra nos ignorare non ſinit. Ex hac quippe conſtat, fratres dictos fuiſſe, qui Chriſti ſanctiorem diſciplinam ſecuti ſunt, quanquam facile credam, ſi efficacius nomen occurriſſet, quo amorem longe ardentiorem, quam fratrum eſſe ſolet, exprimere potuiſſent, illud eos fuiſſe vſurpaturos. Habuerunt autem in hoc magiſtrum & doctorem, quem ſequerentur, optimum, ipſum Chriſtum ſeruatorem, qui, quo animo inter ſe eſſe debeant, paucis eos edocuit: *At vos nolite vocari Rabbi: vnus enim eſt rector veſter, Chriſtus: vos vero omnes eſtis fratres. Matth. XXIII. 8.* Hinc non tantum frequentiſſima & longe vſitatiſſima fratrum, immo & ſororum inter Chriſti diſcipulos, eſt compellatio, vt innumeris ſcriptura ſacra teſtatur locis, ſpeciatim *Rom. XVI.*

10 13.15. I Cor. VII. 12.15. II Cor. I. 1. Gal I. 2. I Theſſal. V. 27. I Io II. 7.9.10.16. Iacob. II. 15. ſed & a B. Petro Apoſtolo φιλαδελφία, *amor fraternus*, ceu excellentior amoris gradus, diſcernitur ab ἀγάπη, *amore communi*, quo omnes homines proſequimur, &, vt proſequamur etiam, obſtricti ſumus. *II Petr. I. 7.*

§. L. Permanſiſſe poſt Apoſtolorum tempora adhuc vna cum amore fraternum etiam nomen, luculenta patrum teſtimonia, ab aliis, qui ex inſtituto hoc egerunt, collecta, nos dubitare nulla ratione ſinunt. Immo vel ethnicorum hoc euinci effatis poteſt, quibus haec ipſa intimum amorem, arctiſſimamque animorum coniunctionem indicans compellatio, vt ad peſſima quaeque ſuſpicanda proni ſunt improbi, ex ſuis quippe moribus alios metientes, ſpecioſum calumniae & obtrectationis praebuit argumentum. Impuras enim commixtiones, illicitosque amores, vt tam proterue chriſtianis obiicerent, non alia magis re, quam innocentiſſima iſta fratrum & ſororum compellatione inductos, facile crediderim. Coecilius apud Minucium: (i) *Paſſim inter eos quaedam libidinum religio miſcetur, ac ſe promiſcue appellant FRATRES & SORORES, vt etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum. Ita eorum vana & demens*

(i) *in Octauio cap. VIII. p.m. 28.*

mens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. Idem quoque videtur indicare Athenagoras. (k) Etenim vbi de hac inceſtus calumnia in ſua apologia diſſeruiſſet, e veſtigio ad illam fratrum ſororumque inter chriſtianos receptam appellationem tranſit: διὰ τοῦτο καὶ καθ' ἡλικίαν τοὺς μὲν υἱοὺς καὶ θυγατέρας νομίζομεν, τοὺς δὲ ἀδελφοὺς ἔχομεν καὶ τοῖς πρεσβυτέροις τὴν τῶν πατέρων καὶ μητέρων τιμὴν ἀπονέμομεν. ἓς ἕν ἀδελφοὺς καὶ ἀδελφὰς καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ γένους νομίζομεν ὀνόματα, περὶ πολλοῦ ἡμῖν ἀνύβριστα καὶ ἀδιάφθορα αὐτῶν τὰ σώματα μένειν. *Ideoque prae aetate filios ac filias cenſemus, alios fratres habemus ac ſorores, ac ſenioribus patrum ac matrum honorem tribuimus. Quos itaque fratres ac ſorores appellamus, & reliquis cognationis nominibus dignos iudicamus, eorum vt corpora intemerata & inuiolata maneant, magna nobis cura eſt.* Nimirum aeſtimabant gentiles ex ſua conſuetudine chriſtianos, qui fratris & ſororis appellationibus, ad tegenda ſtupra & libidines, paſſim abutebantur. Sic Phaedra apud Senecam Tragicum, cum amorem ſuum verecunde indicare vellet, ait:

Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens.
Noſtros humilius nomen affectus decet,
Me vel ſororem Hippolyte, vel famulam voca.

Sed pluribus haec ediſſerit Chriſtianus Kort-

(k) *p. m. 295.*

Kortholtus, in Pagano obtrectatore, (l) quem conſuluiſſe poenitebit neminem.

§. LI. Quo magis autem a ſanctiori Chriſti diſciplina diceſſit ſequior aetas, eo infrequentius cum amore nomen quoque fraternum fieri coepit, vt parum abſit, quin multis aeque inſolens hodie videatur, ac viſum olim gentilibus fuit. Quamdiu tamen exiſtent, qui chriſtiani non vocantur modo, ſed etiam ſunt, tamdiu arctiſſimo iſto fraterni amoris vinculo eos inter ſe conſtringi, atque colligari, oportet. Hos ergo ſi cum reliquis hominibus contendas, quid vtrisque debeatur, immo quinam praeferendi ſint, ſi inter ſe contendantur, id quidem eſt, de quo ſumus ſolliciti. Praeferendos vero hactenus fidei eiusdem participes eſſe, nemo dubitauerit. Namque cum omnes illae rationes, quae, vt reliquos amemus, iubent, in his quoque, qui chriſtiana ſacra nobiscum colunt, adſint, ad has vero cognatio iſta ſpiritualis fraternitatisque ratio, & arctius vinculum accedat; potiori apud nos loco hos, quam illos, merito eſſe, palam eſt. Quod gentium etiam omnium fere conſenſus confirmat, quae tuendos eos maxime, ac defendendos ſibi credunt, ſaltem quamdiu ſuis hoc non obſtare putant commodis, quos ſacrorum eorundem ſecum vna participes

(l) *lib. III. cap. IX. p. 587. ſeqq.*

Digitized by Google

cipes esse intelligunt. Id vero cum plerumque de vnius saltem doctrinae professione capiatur, multo tamen magis locum habere fateantur necesse est, cum intima animorum, per vnum eundemque spiritum, coniunctio accedit. Ex quo id sua sponte etiam sequitur, si cum alterius religionis homine nostrae religionis socius concurrat, nec vtriusque fieri satis desiderio possit, praeferendum hunc esse, quamdiu aliae rationes, & circumstantiae specialiores, aliter nos hic sentire non iubeant.

§. LII. Id modo incertum ancipitemque reddere aliquem pollet, quod tamen & naturale cognationis vinculum inter homines intercedat, vt itidem pro fratribus reputentur merito, hoc etiam nomine in ipsa scriptura sacra veniant. Quod quidem vinculum sanctius atque validius quibusdam videatur, quam vt religionis diuersitate quaedam introduci inter homines inaequalitas possit. Videas autem saepissime, ad naturalem hanc cognationem ipsos gentilium prouocare philosophos, & hoc maxime argumento, cur omnes ex aequo diligere debeamus, vti. M. Aurelius Antonimus: (m) *Meminit etiam* (vir sapiens) *omnia ratione praedita esse inter se cognata* (ὅτι συγγενὲς πᾶν τὸ λογικὸν) *esseque hominis naturae*

(m) *lib. III. §. IV.*

rae conueniens, vt omnium hominum curam gerat. Omnes itaque ratione praeditos cognatos inter ſe eſſe dicit, indeque concludit, quod vnus alterius curam gerere debeat. Lucretius, (n) dum omnes eodem ſemine natos, omnibus eundem patrem eſſe aſſerit, idem videtur innuere:

Denique caeleſti omnes ſemine nati,
Omnibus ille idem pater eſt.

Reliqua vbiuis obuia praetereo lubens. Hoc modo addo, caute hic ethnicorum capienda eſſe effata, ne dum, quod ſalutare in iis eſt, complectimur, errores etiam imbibamus. Stoici enim, ex cognationis iure haec hominum officia deriuantes, eo maxime nitebantur fundamento, vnius eiusdemque ſpiritus, qui totum peruaderet mundum, ipſeque Deus eſſet, homines eſſe participes, & hinc demum concludebant, fratres eos eſſe, cognatos, immo vnius vniuerſi partes, nec ſine crimine in ſe inuicem inſurgere poſſe. Eandem, quam ſupra retuli, ſententiam M. Aurelius Antoninus alibi ſic exprimit: *Tandem aduertas oportet, cuiusnam mundi pars ſis* (τίνος κόσμε μέρος εἰ) *& cuiusnam mundi rectoris propago,* (καὶ τίνος διοικοῦντος τὸν κόσμον ἀπόῤῥοια.) Nimirum duplex mundus, & materialis, & ſpiritualis, idem tamen arctiſſime coniunctus, vt vnum animal conſtitueret, ſe-

(n) *lib. III.*

ſecundum Stoicos ſtatui poteſt. Homo itaque vtriusque mundi pars erat, & materialis, qua corpus, & ſpiritualis, qua mentem. Hinc & mentem θείαν ἀπόμοιραν antea dixerat. In ſaniori autem ſenſu mens ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης dicitur ab auctore libri ſapientiae *cap. VII. 25.* Imperator itaque Antoninus, cum melioris mundi, qua mentem, pars homo eſſet, iubet, vt hoc ſecum cogitet: τίνος κόσμου μέρος εἰ, vt ad virtutem, aliorumque hominum amorem, eo efficacius eum adhortetur. Antea tamen etiam τοῦ ὅλου κόσμου μέρος hominem vocauerat. Sed quantumuis ſplendida haec ſententia progignat, pro demonſtranda omnium hominum cognatione, indeque reſultante amoris neceſſitate, argumenta, lubrico tamen non tantum innititur fundamento, ſed, quod Deum cum mundo confundat, impia etiam eſt, prorſusque reiicienda.

§. LIII. Rectius & tutius hac de re philoſophantur, qui, aduocata in ſubſidium ſcriptura ſacra, homines non tantum, quod vnius naturae participes, ſed &, quod ex vno ſanguine prognati, omnesque adeo vnum conditorem Deum agnoſcant, cognatos inter ſe, & ad amorem mutuum iure meritoque incendi, contendunt. Exemplo praeit Malachias diuinus vates *cap. II. 10.* Sequuntur eccleſiae

Digitized by Google

cleſiae doctores, qui ius fraternitatis, quod inter omnes homines intercedit, ſaepiſſime his argumentis demonſtrant. Ambroſius: (o) *Omnes homines vnius naturae partes ſunt, iuxta eius concepti viſcera, ex vno futi atque effuſi vtero. Vnde nobis iure quodam fraternitatis connectimur, ab vno patre conditi, ex vna matre, tanquam fratres vterini editi.* Nimirum non tantum a Deo omnes originem trahunt, ſed cum per vnum virum vnamque feminam genus hominum propagari vniuerſum Deus voluerit, gemino eoque luculentiſſimo argumento arctiſſimam, quae inter omnes intercedit, cognationem edocemur. Eaque de cauſa has rationes inter ſe coniungunt eccleſiae doctores, & primo quidem ob communem ortum, quem a Deo habemus, deinde vero ex ſpecialiori ratione, ob communes parentes, Adamum atque Euam, ex quibus prognati ſumus, fratres atque cognatos omnes homines dicendos eſſe contendunt. Vtrumque, quanquam paulo obſcurius, innuit Ambroſius, clarius Aſterius apud Photium: (p) *Fratres vocamus eos, qui ex vno ſemine nati & vno vtero,* (Adami videlicet & Euae) *qui & eundem habent creatorem, & vnam matrem terram, ex qua formati ſumus & animae propinquum axioma.* Speciatim tamen principi

(o) *Orat. II. de Abraham. cap. VI.* (p) *cod. CCLXXI.*

cipi argumento, quod a Deo omnes conditi ſumus, paſſim inſiſtunt. Quo & Lactantius (q) vtitur, cum *omnes*, inquit, *homines ab eodem Deo & eadem conditione generati, immo fraternitatis inter ſe coniuncti ſunt. Hic omnes generat & inſpirat, omnes aequos, i. e. pares eſſe voluit.* Et alibi: (r) *Hic verus pater eſt, per quem ſumus, & cuius totum ſumus, a quo fingimur, animamur &c.* Quod vero & Ambroſius, & Aſterius terrae, ceu communis omnium matris, meminerunt, vt, ad eandem omnium originem, conditionemque aequalem euincendam, plurimum valet, ita frequentiſſimum apud veteres eccleſiae doctores eſt, eadem ſubinde ratione, in hoc diſceptandi genere vti. Immo & apud gentiles, quanquam diuerſo a chriſtianorum doctrina ſenſu. Quando enim Lucretius ait: (s)

Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta,
Terra tenet merito: quoniam genus ipſa creauit,
Humanum, atque animal prope certo tempore fudit.

id cum grano ſalis accipiendum Conſtat enim, Epicuraeos, quorum diſciplinam Lucretius ſequitur, eam vim telluri tribuere,

(q) *lib. V. Inſtit. diuinar. cap. XV.* (r) *lib. I. cap. II.* (s) *lib. V. p. m. 174.*

qua producere per ſe, ſine Numinis adiumento, & hominum & animalium genus omne potuerit. Quod & aperte ſatis innuit, quando dixit: *quoniam genus ipſa creauit humanum.* Non enim terra creauit, ſed Deus ex terra creauit, produxitque omnia, hominisque corpus formauit. Mollius tamen alibi idem Lucretius: (*)

Linquitur vt merito maternum nomen adepta,
Terra ſit, & e terra quoniam ſunt cuncta creata.

Sed hisce non immoramur: explicare enim accuratius ſi cuncta vellemus, repetenda discutiendaque mihi gentilium de hominum ortu ſententia diligentius eſſet, id quod noſtri inſtituti non eſt. (t)

§. LIV. Naturalis itaque, quae inter omnes intercedit, cognationis haec ſunt fundamenta, neutiquam contemnenda: immo eiusmodi ſunt, vt arctiſſimum neceſſitudinis, quo omnes inter ſe colligati ſint, vinculum euidenter probent. Nec tamen noſtrae vlla ratione derogant ſententiae, cum longe adhuc ſanctius & arctius vinculum inter eos intercedere contendimus, qui chriſtiani non tantum vocantur, ſed etiam ſunt. Id quod, quo pacto ſe habeat, pau-

(*) *lib. V. p. 173.* (t) *vid. interim Lipſius phyſiolog. Stoicor. lib. II. diſſert. XVIII. & lib. III. diſſert. IV.*

Digitized by Google

paucis eſt explicandum. Deus cum hominem conderet, non tantum e terra corpus formauit, mentemque, qua ab animalibus reliquis differret, eidem indidit, ſed &, ne quid ad ſummum felicitatis gradum eidem deeſſet, pro incredibili ſuo erga nos a ſe conditos amore, arctiſſima quadem ratione hominem ſecum coniungi, atque vniri voluit. Idque ea quidem ratione, vt omnes mentis humanae vires in Deum eſſent directae, ſimulque & fontem, & exemplum, omnigenae felicitatis in eo deprehenderent. In hac conditione ſi hominum genus perſtitiſſet, non potuiſſet non ſemper inter ſe amore ineffabili coniunctum manere, cum, quae tertio arctiſſime cohaerent, inter ſe nullo modo ſeparata aut ſecreta intelligi queant. Atque hoc fundamentum erat longe arctioris cognationis, quam iſtius, qua Deus omnium pater, terra omnium mater cenſentur, & ex vno ſanguine omnes prognati dicuntur, quamue tantum ethnici ſcriptores innuunt, alteram ignorantes, & ſcriptores etiam eccleſiaſtici ſignificant, cum in naturae corruptae vtique, & miſere deprauatae ſtatu, hominem conſiderant. Namque primorum parentum culpa abruptum hocce cognationis vinculum, hominesque Numinis iſto conſortio excidiſſe, conſtat. Simul vero in eam detruſi ſunt conditio-

nem, vt & reliquorum vinculorum, quae vtcunque in mutuo eos continere amore debebant, & quorum ſupra meminimus, fere obliuiſcerentur, aut ſaltem haec ad propullulantes prauos, amorique fraterno contrarios affectus, reprimendos nimis inualida atque infirma eſſent. Seruatoris itaque, quem, vt ex miſeriis ac calamitatibus ſuis homines eluctarentur, Deus miſit, eo comparatum fuit munus, vt arctiſſima illa Deum inter atque homines vnio, coniunctioque, redintegraretur. Quo ipſo & ſublime illud cognationis diuinioris, quod inter omnes olim intercedebat, vinculum non potuit non reſtitui. Atque hinc demum vt amoris mutui longe alia facies, ita obligationis etiam vis arctior reſultat. Eſt namque Deus omnium hominum pater, cum ab eo, ceu omnium conditore, originem ducant omnes: ſed eminentiori quadam ratione illorum pater eſt, qui ab eo ſunt regenerati. Intercedit inter omnes fraterni amoris nexus, quod vnum Deum agnoſcant, omnes aeque ex terra formati ſint, omnes a primis parentibus progeniti: ſed longe ſanctior inter illos, qui, in Deo arctiſſime coniuncti, vnius velut corporis ſaltem membra atque partes conſtituunt. Ad reliquos enim quod attinet, tantum abeſt, vt iſta cum Deo coniunctione gaudeant, vt ſemper in contraria

feran-

ferantur, eaque agant, dicant, cogitent, quae & amori & honori Numinis e diametro repugnant. Hi ergo cum vnicum & genuinum coniunctionis, quae inter homines intercedit, fundamentum respuant, qui fieri posset, vt inter se coniuncti sint & colligati? Multo minus autem cum illis vlla cognatione spirituali, vlloue amore vero, coalescere possunt, qui Deo diditi sunt, eiusque sequuntur nutum. Luci enim cum tenebris nulla est conuenientia: & qui Deum odio prosequitur, amare illos nequit vero, non fucato amore, qui ex Deo geniti sunt. Tam ingenti itaque interuallo cum regeniti a reliquis distent, sua sponte ratio patet, cur in officiis rite dispensandis hic obseruandus ordo sit, vt spirituali cognatione nobis coniunctos reliquis multis omnino praeferamus modis, insuper habita illa naturali cognatione omnium hominum, de qua verba fecimus hactenus. Atque id quidem, vt evinceremus, e re nostra fuit.

§. LV. Confirmari vero, quae de fundamento & natura cognationis spiritualis, eiusque inde prae naturali resultante praerogatiua, diximus, facile ex scriptura sacra & ecclesiae doctorum testimoniis possent, si hoc nunc agerem. Et scriptura quidem sacra passim hoc docet, non tantum rege-

nerationem, per quam in priſtinum coniunctionis cum Deo ſtatum, ex quo omnis cognatio ſpiritualis fluit, reſtituimur, deſcribendo, eiusque neceſſitatem inculcando, *Io. III. 3. Tit. III. 5.* ſed & arctiſſimam, quae inter regenitos intercedit, coniunctionem hinc deriuando, adeo vt vnum omnes regenitos conſtituere corpus, eos partes & membra eſſe vnius corporis, aperte ſignificet. *Rom. XII. 5. Epheſ. I. 23. Coloſſ. I. 24.* vt reliqua nunc taceam. Doctorum autem eccleſiae, ſi hac de re conferre teſtimonia vellem, vel integer conſcribendus mihi liber eſſet, quanquam & hoc iam factum ſit ab aliis. Breviter rem omnem complectitur Hilarius: (u) *Vt meminerint, fratres omnes eſſe, id eſt, per nouae natiuitatis generationem terreni ortus exceſſiſſe primordia.* Et Optatus Milcuitanus: *Non poſſunt non eſſe fratres. Eſt quidem nobis & illis vna ſpiritualis natiuitas.* (x) Et qua alia ſunt eiusdem indolis. Iidem vero eccleſiae doctores, praeeunte iterum ſcriptura ſacra, ſollicite reliquis etiam, quae ad commendandam hanc ſpiritualis cognationis coniunctionem pertinent, vtuntur argumentis, eundem omnibus datum ſeruatorem, eundem ſpiritum, eandem fidem, & haec omnia vnius eiusdemque verbi & bapti-

(u) *Can. XXIV. in Matth. XXIII.* (x) *lib. I. adverſ. Parmen.*

baptismi ope per Numinis gratiam, ſine vllo cuiusquam merito, contigiſſe omnibus. Quae ita profecto comparata ſunt, vt & naturam indolemque huius coniunctionis explicatius ſiſtant, & eius in amoris fraterni exercitio efficaciam prodant, ſimulque, quantum illis, qui tam arcte nobiscum colligati ſunt, prae reliquis debeamus, abunde demonſtrent.

§. LVI. Generatim ergo, ſi cum ſpirituali cognatione coniunctis contendantur reliqui, res fere dubio caret. Aſt ad ſpecialiora ſi deſcendamus, alia ſe offerunt, quae non aeque expedita poſſunt videri. Interim & hisce diluendis inſeruient, quae hucusque disputauimus. Etenim ſi contingat, vt parentes, fratres, aliique cognati naturales, ſed verae fidei non participes, concurrant cum illis, & in comparationem veniant, qui ſpirituali cognatione nobis coniuncti ſunt, vtri praeferendi? dubitari omnino poſſet. Naturales cognatos potiori forte quis habeat loco, eo quod, praeter communem omnium hominum, ſpecialis inſuper cognatio accedat: eo autem fortius iſtud cenſeatur vinculum, quo pluribus innitatur rationibus. Tam ſanctum inſuper patris, fratris, vxoris, filii, ſi proprie capiatur, & in arctiori ſignificatione, nomen

habetur, vt, quod cum illo comparari queat, nihil hominum iudicio reperiatur. Haec autem omnia, quantacunque sunt, cedere rursus illis videntur, quae de cognatione spirituali diximus. Spiritu eodem, eademque fidei, immo communi naturae diuinae participatione, qui inter se deuinciuntur, arctiori profecto colligantur vinculo, quam quod sanguinis coniunctio progignit. Immo quanto mens corpore praestat, tanto sanctior intima illa mentium cum Deo & inter se coniunctio reputari debet. Comprobare hanc sententiam videntur & sensus, & mores veterum christianorum. In illis enim non minor affectus in fidei socios, quam in parentes & liberos comparuit, vt si hos non aperte praetulerunt, dubium tamen hoc reliquerint omnibus. Hieronymi huc facere videntur verba: (y) *Hic ordo in omnibus affectibus necessarius: ama post Deum patrem, aut matrem, aut filios. Si autem necessitas venerit, vt amor parentum aut filiorum amori Dei comparetur, & non possit vtrumque seruari, odium in suos, pietas in Deum seruanda.* Quem in modum & alibi idem Hieronymus, (z) & Chrysostomus, (a) & Augustinus, (b) hac de re verba faciunt. Sed id quidem ad nostram

(y) *lib. I. comment. in Matth. X.* (z) *in Matth. XII.* (a) *hom. XXII. in varia loca Matth.* (b) *Ep. LXXXVIII.*

Digitized by Googl

ſtram non prorſus quadrat quaeſtionem. Etenim iſti eccleſiae doctores cognatos naturales non tam cum cognatis ſpiritualibus comparant, quam potius cum ipſo Deo. Ecquis vero neget, Deum magis quam cognatos omnes, quocunque nomine veniant, diligendum eſſe? Et hoc eſt, quod ſeruator dicit: *Si quis ad me venit, nec ſuum patrem, & vxorem, & liberos, & fratres, & ſorores, atque adeo ſuam ipſius animam odit, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. XIV. 26.* Adeoque ſi naturales cognati cum ſpiritualibus concurrant, ſimul vero palam ad honorem Numinis tendat, vt illos his poſtponamus; rurſus manifeſtum eſt, recte nos agere, ſi ita nos geramus. Vbicunque enim, ſiue aperte ſiue occulte hoc fiat, cum homine concurrit Deus, vel ipſa deliberatio aut cunctatio, an nosmet ipſos noſtrosque poſtponere velimus, crimine non caret. Quod ſi vero ponamus, eam eſſe rerum faciem, vt par hactenus cognati naturalis atque ſpiritualis ſit conditio, nec pateat, ad honorem Dei directe pertinere, vt huic magis faueamus quam illi, tum quidem, quis praeferendus alteri ſit, dubium admodum atque anceps videtur. Ope tua indiget pater improbus, indiget fidei ſocius, ſuccurrere vtrique nequis, quid facto opus? ne impingas. Hinc φιλαδελφία ſpiritualis, illinc ſοργὴ naturalisque

amor militat. Mihi quidem hac de re ita videtur, per ſpecialiores circumſtantias patere facilius, cui noſtrum impertiri amorem debeamus. Etenim & hic locum habere arbitror, quod ſupra ex Tullio attulimus, vt quandoque vicini cognatis, rurſusque cognati vicinis praeferuntur, ita & generatim quidem cognatos ſpirituales praeferendos eſſe naturalibus, in quibusdam tamen officiorum generibus, ſi vtrisque ſatisfieri nequeat, hos quandam retinere praerogatiuam. Pertinet naturalis cognationis vinculum ad ius ſanguinis, cuius ſanctitas in rebus ad huius vitae conſeruationem ſpectantibus, in hominibus ſibi relictis (de his enim nunc nobis ſermo eſt) nec luce coeleſti colluſtratis, praecipue ſe exerit. Atque externae ſocietatis ratio ſuadet, ne hunc naturae ordinem temere immutemus. In his ergo habeant patres, fratres, cognati, quandam ἐξοχήν. Sed haec ipſa tamen non obſtat, quo minus eiusdem fidei ſocii vero demum ſe amore proſequantur, longe arctius inter ſe coniungantur, &, poſthabitis naturalis cognationis blandimentis, magis ſe diligant, quam ſanguinis vinculo coniunctos.

§. LVII. Inter ipſos cognatos ſpirituales dari quandam diuerſitatem, res ipſa docet. Etenim & ex cauſis ſpiritualibus contingere

re poteſt, vt vni magis obſtricti ſimus, quam aliis. Quemadmodum enim cognationis naturalis haec eſt ratio, vt patrem merito praeferamus fratri, ita cum, vel ipſa ſcriptura ſacra praeeunte, quidam inter fidei ſocios patrum loco apud nos ſint, quidam fratrum, diuerſam hinc praeſtationum, quas a nobis exigunt, oriri neceſſitatem, facile intelligitur. Deinde & ad cauſas ſpirituales accedere poteſt naturalis cognationis ratio. Quod ſi ſit, ex duplici capite enata obligatio arctius etiam nos conſtringit. Inter fidei enim ſocios, quin pater & frater, a ſpecialibus ſi discedamus rationibus, praeferendi ſint reliquis, dubio fere caret. Denique & locorum, & temporis & aliarum περιστάσεων hic habenda eſt ratio, quae ita comparatae ſunt, vt per eas vni magis & arctius obſtringamur, quam reliquis. Recte Caſſiodorus: (c) *Sic igitur proximus diligatur, vt ſecundum exigentiam meriti, aut dignitatis ipſius, vnus alteri praeferatur, & maior in exhibitione certi ordinis menſura ſeruetur. Praetera ſic graduum modos & ordinum ſtatus vnicuique dilectionis cenſura diſtribuat, prout ei debentur.* Eodem modo Bernhardus; (d) *Omnes fideles homines debemus diligere, ſed, cum omnibus prodeſſe non poſſimus, iſtis maxime conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunita-*

(c) *de Amic.* (d) *ſerm. V. de modo bene viuendi.*

ratibus constrictius nobis quadam sorte coniunguntur. Est vero ex hac obligationis & praestationum diuersitate non statim colligenda diuersitas affectus atque amoris. Omnes enim, qua affectus, eodem loco habet christianus, omnium miseretur, omnium commoda aeque studiose quaerit, omnibus inseruire aeque enixe cupit. Cumque naturales affectus haud raro amori spirituali se misceant, illos tamen subigere, & intra iustos coërcere limites didicit, ne plus naturae, quam diuinae voluntati, ad quam omnia exigit, omnia componit, tribuisse videatur. Haec ipsa autem diuina voluntas, cum obligationis & praestationum diuersitatem inducat, hanc ita sequitur, vt amoris aequalitati ac integritati nihil decedat.

§. LVIII. Ad singulos quidem homines, quae hactenus disputauimus, pertinent. De integris gentibus quaeri adhuc posset, an & inter eas per religionis diuersitatem discrimen aliquod constituatur. Scio, nihil esse solennius, quam, posito tali ex religione orto discrimine, asserere, & in bello, & in foederibus illius populi praecipue habendam rationem esse, qui eadem nobiscum colit sacra. An vero satis, qui fidenter ita arbitrantur, perpenderint, quae dicant, quaeue statuant, nescio. Etenim cum arctior ista obligatio, qua religionis fideiue sociis

prae

prae ceteris obſtringimur, ex regeneratione demum, ceu vnico & genuino cognationis ſpiritualis fonte, oriatur, ſequitur, eos, qui per iſtam regenerationem coniuncti non ſint, nec pro cognatis reputandos, nec ea iura, quae his competunt, ſibi vindicare poſſe. Quod enim idem nobiscum nomen vſurpent, eandemque religionis ſpeciem ſeu πρόφασιν, hoc profecto tanti eſſe non videtur, vt ideo praecipui quid, ſi cum aliis concurrant, illis ſit tribuendum. In integris vero gentibus ita ſe res habet, vt plerumque pauciſſimi in iis ſint, qui, praeter nomen externamque doctrinae profeſſionem, cum chriſti ſeruatoris diſcipulis veris & genuinis aliquid commune habeant. Quare in eam facile quis ingredi ſententiam poſſit, cum cognationis illud ſpiritualis vinculum inter gentes integras atque populos ceſſet, non poſſe quoque vnam gentem religionis cauſa praeferri, ſed omnes eodem habendas eſſe loco. Id vero maximopere receptae hactenus ſententiae repugnat, per quam haec praerogatiua religionis ſplendidum, modo non interdum & iniquum, certe frequentiſſimum argumentum praebet, quo in conciliandis populorum animis, & ad rem ſuam flectendis, vti rerum ciuilium magiſtri conſueuerunt.

§. LIX.

§. LIX Et veriſſimum ſane eſt, praecipuo arctioris obligationis fundamento, inter eos, qui, praeter nomen & doctrinae externam profeſſionem, commune nihil cum chriſtianis habent, labefactato, cetera, quae eidem ſuperſtruuntur, conſiſtere non poſſe. Nihiloſecius tamen poteſt aliqualis praerogatiua doctrinae externae ſociis concedi, licet iidem fidei ſocii non ſint, nec vero cognationis ſpiritualis vinculo nobiscum colligati. Etenim vt fides in chriſtianis efflorescat, dignique Chriſti discipulis mores eam ſequantur, id omnino doctrinae, quae religionis chriſtianae myſteria pandit, ſed purae & incorruptae, eſt tribuendum. Qui enim aliunde, quam ex caeleſti euangelii doctrina, per quam miranda quaeque diuinus ſpiritus perpetrat, fidem moresque ſanctos & innocentes ſibi pollicentur, fruſtra ſunt, & a veritatis tramite multum aberrant. Omnium itaque, qui res chriſtianas quam optime ſe habere cupiunt, quam maxime intereſt, vt integri & ſalui maneant iſti coetus, qui doctrina puriori, adeoque & ad fidem progignendam accommodatiori, perſonant. Eam rem enim manifeſto ad regni diuini limites prorogandos, Numinisque gloriam amplificandam, pertinere, intelligunt. Cumque omnibus gentibus prodeſſe velint, iſtis tamen prae-

praecipue conſultum cupiunt, per quas doctrinae puritas conſeruatur & propagatur: & ad hanc eis praerogatiuam concedendam, vel eo nomine ſe obſtrictos vident, quod ſtudium latius diuinae doctrinae ſemina ſpargendi, tantoque plures ad felicitatis, qua gaudent, communionem perducendi, hoc iubeat.

§. LX. His demum rite conſtitutis atque euictis, intelligi poteſt, quousque & pro religionis ſociis arma capi queant, & quo loco inter plures, noſtram operam exigentes, ſint habendi. Ingreditur equidem in hanc disputationem Hugo Grotius, (e) ſed, quod miror, religionis ſociorum nullam iniicit diſerte mentionem. Primo vero is loco ſubditos ponit, quos vt defendat, primoque loco illorum curam gerat, quilibet princeps obligatus eſt. Subditis proximi, inquit, immo pares ſunt in hoc, vt defendi debeant, ſocii, in quorum foedere comprehenſum id eſt, ſiue in tutelam ſeſe & fidem aliorum dederunt, ſiue mutua auxilia pacti ſunt. Tertia cauſa eſt amicorum, ita pergit Grotius, quibus auxilium promiſſum quidem non eſt, ſed tamen amicitiae quadam ratione debetur, ſi facile & ſine incommodo exhiberi poſſit. Sic pro Loto cognato arma ſumpſit Abrahamus. Poſtrema latiſſimeque patens eſt hominum inter ſe coniunctio, quae

(e) *de iure belli & pacis lib. II. cap. XXV.*

quae vel ſola ad opem ferendam ſufficit. Haec Grotius. Ego vero omnino addi his religionis ſocios velim, quos amicis, ſi non praeferendos, omnino aequiparandos, exiſtimauerim: immo & praeferendos, quando religionis cauſa agitur, nec ſpecialiores amicitiae rationes, quae aliud quid ſuadeant, ſubſint. Generatim quidem, quod pro religionis ſociis defendendis arma capere liceat, nunc ponimus, quod alio tamen loco clariſſime euincitur atque demonſtratur. Saltem Hugo Grotius hanc ſententiam adprobat, quandoquidem Conſtantinum laudat, in Maxentium & Licinium arma capientem, eosque imperatores Romanorum, qui in Perſas aut arma ceperunt, aut capere minati ſunt, niſi vim a chriſtianis religionis nomine arcerent.

§. LXI. De foederibus idem intelligendum eſſe, res ipſa docet. Poſſe enim cum iis etiam, qui in religione a nobis diſſentiunt, foedera pangi, euictum iam ab aliis eſt, & non rationibus tantum, ſed exemplis etiam in ipſa ſcriptura ſacra laudatis, comprobari poteſt. Rurſus tamen, ſi cetera recte ſe habeant, praeferendum in foedere religionis ſocium reliquis eſſe, conſtat, & ex dictis pateſcit. Accedit rurſus calculo ſuo Hugo Grotius. (f) Poſtquam enim affirmaverat,

(f) *lib. II. de I. B. & P. cap. XV. §. X.*

Digitized by Google

verat, etiam per christianae religionis scita non esse nefas, cum his, qui a religione alieni sunt, inire foedus, cum amor, quo omnes prosequi iubemur, exigat, vt in causa iusta omnes subleuemus, recte subiicit: *Quae accipi oportet salua gradus differentia, vt in omnes simus benefici, praecipue tamen in religionis consortes.* In Clementinis constitutionibus, addit idem Grotius, legimus: πᾶσιν ἓν δίκαιον δίδοναι ἐξ οἰκείων πόνων, προτιμητέον δὲ τὰς ἁγίας: *omnibus largiendum de nostra opera: sed ita, vt sanctorum potior habeatur ratio. Perfecta liberalitas*, inquit Ambrosius, (g) *fide, causa, loco, tempore, commendatur, vt primum opereris circa domesticos fidei.* Sed haec, similiaue patrum effata caute accipienda, & circumspecte huic instituto accommodanda sunt. Namque a religionis seu doctrinae sociis discernendi sunt socii fidei, qui *sancti* in constitutionibus Clementinis dicuntur. Sed hoc iam supra euicimus.

§. LXII. Vt vero in omnibus rebus, ita & hic dispiciendum sedulo, ne, dum vitare vitia volumus, in alterum, quod aiunt, extremum procurramus. Errant, qui religionis socios & peregrinos vno eodemque loco habent, aut hos illis praeferunt: sed errant & illi, qui religionis consortibus ita fauent,

(g) *Offic. lib. I. cap. III.*

vt in ceteros quiduis ſibi licere arbitrentur. Dici non poteſt, quam multorum praua haec opinio inſideat animis. Egregie ſuum comprobaſſe amorem ſe putant, ſi vtcunque in religionis ſocios beneficia quaedam contulerint: iudaeos, ethnicos, & quos haereticos vocant, adeo nullo proſequendos amore exiſtimant, vt, ſi contumelioſiſſimi in eos extiterint, grauiſſimisque affecerint iniuriis, tum demum praeclaro ſpecimine ſuum erga veram religionem prodidiſſe affectum, ſibi videantur. Quod quam parum & cum vera chriſtianae religionis indole, & cum moribus etiam veterum chriſtianorum conſentiat, per ſe patet. Si quidem, vt nunc alia taceam, Paulus Apoſtolus anathema fieri, & extrema quaeque pati lubens volebat, modo Iudaeorum, odio vehementi in chriſtianos incenſorum, ſaluti conſuli vlla ratione poſſet. Sed ex quo ad vitae huius commoda verti religio chriſtiana, vel eius potius quaedam ſpecies ac vmbra coepit, non aliter quoque in ea, quam in opum, rerumque ad hanc vitam ſpectantium poſſeſſione homines ſe gerunt, eam oſtentantes atque iactantes magno ſtrepitu, & vatiniano odio proſequentes, qui eripere aliquid, quod cuiusmodi ſit, ipſimet neſciunt, videntur. In Romanenſibus vituperari quidem paſſim hi mores ſolent: nec im-

immerito: ſed nec alieni ab illis ſunt, qui quam maxime nomen titulumque Romanae eccleſiae deteſtantur. Immo, quae priuatae ſortis homines vexat peſtis, rerum quoque dominos inuaſit, vt bella omnia foederaque licita haud raro putent, quae diverſae religionis gentibus noceant, ſi vel maxime ab his laeſi non fuerint. Exemplum rurſus illorum doctrina praebet, qui ne fidem quidem gentibus, quas haereſeos poſtulant, eſſe ſeruandam, autumant. Quod longe communiſſimum ſocietatis officium cum denegatur iis, qui religione & opinionibus diſſident, quid quaeſo eſt, quod tutum ſatis & ſecuritati ſuae ſufficiens, exiſtimare quis queat? Ego vero non modo iſtam ex inconſulto zelo reſultantem inhumanitatem, ne quid grauius dicam, damno, cum ipſimet chriſtiani inter ſe committuntur principes: ſed & quando cum illis res eſt, qui ne quidem nomen chriſtianae religionis nobiscum commune habent. Extant doctorum virorum conſultationes de armis chriſtianorum principum, ad Turcas opprimendos, coniungendis: ipſeque optat Hugo Grotius, (h) vt commune aliquod eo nomine ineatur foedus. Et optandum ſane eſſet, vt iras & odia mutua tandem ponerent, qui chriſtiani videri volunt, quod ta-

(h) *lib. II. cap. XV. §. XII.*

men tum demum fiet, cum euadent tales, quales se fingunt; sed vt in Turcas arma convertant, tum demum fas fuerit, cum praegnans iustaque causa aut sua defendendi, aut erepta recuperandi hoc iusserit. Turcae ideo, quod christianus non est, tantum religionis causa inferre bellum, tam iniquum est, quam hoc ab ethnicorum quoque moribus, laedere eum, qui nos non laesit prius, alienum esse solet. Sed haec, hac quidem vice, sufficiant.

IVRIS-

IVRISPRVDENTIAE HISTORICAE SPECIMEN

SEV

CONTROVERSIARVM ILLVSTRIVM IVRIS NATVRAE ET GENTIVM

EX

HISTORIA ROMANA CONSPECTVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Σύνοψις.

Cur ex historia Romana controuersiae illustriores iuris naturae & gentium selectae sint? §. I. Romanae reipublicae exprobratum, quod ex latronum centu originem duxerit, §. II. Latronum coetus a iusta ciuitate quo pacto differat? §. III. An & quousque Romani mores mutauerint, vt iustam constituere ciuitatem censeri queant? §. IV. Posteris delicta maiorum imputari nequeunt, adeoque nulla ex his ad eos redundat infamia, §. V. Raptus Sabinarum, §. VI. A multis vituperatur, a quibusdam excusatur, §. VII. Rationes illorum, qui vituperant, §. VIII. Generatim de matrimoniorum libertate, an & quousque aliis concedenda? §. IX. Quo iure Romanis gentes vicinae matrimoniorum libertatem denegauerint? §. X. Ad ea, quae Romanis obiiciuntur, quid responderi queat; & an ex iure belli & necessitatis defendi possint? §. XI. Tarpeiae virginis fata; quae eam ad hocce facinus induxerit causa? ex quo capite Romani argui aut excusari queant, si eius rei fuerint auctores? §. XII. Erga hostem an dolis & stratagematibus vti liceat? Romanos ex alio capite culpandos, §. XIII. Peccasse & Sabinos, praesertim si bona fide egit Tarpeia virgo, §. XIV. Asylum a Romulo

mulo conſtitutum, §. XV. Aliarum quoque gentium moribus eadem fuere comprobata, §. XVI. Exteris an recte aſyla pateant? §. XVII. & eiusdem reipublicae ciuibus? §. XVIII. Romuli aſylum excuſari non poſſe, §. XIX. Certamen Horatiorum, Curiatiorumque, §. XX. Bellorum repraeſentatitiorum apud alias gentes exempla, §. XXI. Hugonis Grotii contra haec certamina rationes, §. XXII. reuocantur ſub exämen, §. XXIII. Iniuſtitia eiusmodi certaminum demonſtratur, §. XXIV. De duellis, quae pro exploranda cauſae iuſtitia olim apud Germanos ſuſcipiebantur, §. XXV. Quando bella repraeſentatitia licita eſſe, Grotius cenſeat? §. XXVI. Quod accuratius discutitur, §. XXVII. Alius caſus proponitur, quo eiusmodi certamina licita videri queant, §. XXVIII. De certamine Dauidis & Goliathi, §. XXIX. Fecialia iura quando inſtituta? §. XXX. Ius feciale quid ſignificet? §. XXXI. Ritus Romanorum in bello indicendo, §. XXXII. Eos ad ſpeciem iuſtitiae bellis, quantumuis iniuſtis, conciliandam, fuiſſe comparatos, §. XXXIII. Indictio bellica, an, & quousque iuris naturalis ſit? Speciatim de indictione ſecundum mores Romanorum, & ſecundum mores noſtros, §. XXXIV. Tarquinius ſuperbus ob mala facinora a Romanis eiectus, §. XXXV. Tyranno liberaſſe patriam, olim maximam attulit gloriam, §. XXXVI. Quis tyrannus dici debeat, non aeque ſemper patet, §. XXXVII.

De

Digitized by Google

De Tarquinio ſuperbo ſententia Ioannis Marianae, §. XXXVIII. accuratius diſcutitur, §. XXXIX. Principes, ineundem cum Tarquinio ſuperbo cenſum referendos, recte eiici, probatur, §. XL. Exemplo tamen Tarquinii caute vtendum eſſe, oſtenditur, §. XLI. De Bruto quid iudicandum? §. XLII. Dictatoris in republica Romana conſtitutio, §. XLIII. An dictator habuerit maieſtatem? affirmatur ab aliis, ab aliis negatur, §. XLIV. Non fuiſſe dictatores vnius generis, §. XLV. Dictatores, etiam optima lege conſtitutos, non tamen habuiſſe maieſtatem, probatur, §. XLVI. An ſumma poteſtas perpetua quoque eſſe debeat? §. XLVII. An ex eo, quod aliquando a dictatoribus prouocare ad populum non licuerit, probari poſſit, eos habuiſſe ſummum imperium? §. XLVIII. Mutius Scaeuola per inſidias Porſennam adgreditur, §. XLIX. Ideo a multis laudatur, §. L. Ex multis, quae hic concurrunt, cauſis, eam maxime in cenſum venire, an recte percuſſoris in ſe ſuſceperit partes? §. LI. Ciuem, ſi eiusmodi quid contra principem ſuſcipiat, defendi aut excuſari non poſſe, §. LII. Nec peregrinum, ſi bellum ſit iniuſtum, & hinc de Mutio Scaeuola pronunciatur, §. LIII. Cloelia virgo, an recte fuga ſe ſubduxerit? §. LIV. Obſides an recte fugam arripiant? §. LV. Sententia illorum, qui, obſidem, qui ſe ipſum non obſtrinxit, fugere poſſe, autumant, refellitur, §. LVI. Cloeliam perperam

 egiſſe,

egisse, concluditur, §. LVII. Fata M. Manlii, §. LVIII. An criminis, cuius postulatus, reus fuerit? §. LIX. An, si reus fuit, poena ob maxima eius merita, illi non fuerit remittenda? §. LX. Sententia illorum, qui ius gratiae quandoque dandum putant, §. LXI. Illorum, qui hoc abnuunt, adeoque recte punitum Manlium contendunt, §. LXII. Nostra sententia proponitur & explicatur, §. LXIII. Fata M. Attilii Reguli, §. LXIV. Is fidem Carthaginensibus datam recte seruauit, §. LXV. An recte liberationem ex captiuitate respuerit? §. LXVI. De supplicio eius quid censendum? Iure hic reprehendi Carthaginenses, §. LXVII. De iureiurando, quo se Hannibal ad hostilem erga Romanos animum obstrinxit, §. LXVIII. Aliquando turpius esse, seruare iusiurandum quam violare; quid tum factu opus? §. LXIX. Iusiurandum nouam obligationem non producere, multo minus duplicem, vt contra Grotium euincitur, §. LXX. Iusiurandum Annibalis illicitum fuisse atque irritum, §. LXXI. Quo iure Romani postulauerint, vt Annibalem sibi traderet Prusias Bithyniae rex, §. LXXII. Ciuem recte repeti a ciuitate; nec tamen insolens, postulari ad deditionem peregrinum, qui hostis sit, §. LXXIII. Concluditur, recte a Romanis postulatum Annibalem: Prusiamque ad eum dedendum fuisse obligatum, §. LXXIV. Sponsio Caudina, §. LXXV. Postbumi, sponsionem istam irritam facientis,

Digitized by Google

tis, facinus a multis perperam laudatum; foederum & ſponſionum discrimen, §. LXXVI. Pactionem iſtam conſulibus potuiſſe recte imputari, §. LXXVII. Quod conſules in iſta ſponſione polliciti ſunt, & promittere potuerunt, id eos non praeſtitiſſe, adeoque contra datam egiſſe fidem, §. LXXVIII. Perfidiae crimen fruſtra in Samnites eos transferre voluiſſe, §. LXXIX. An & quousque ipſe populus Romanus per hanc ſponſionem fuerit obſtrictus, & quo iure ab ea diſceſſerit? §. LXXX. De ſponſione Numantina, §. LXXXI. De iuſtitia bellorum, a Romanis geſtorum generatim, §. LXXXII. De bellis ſub regibus geſtis, iniuſtitia belli Albani, §. LXXXIII. De bello Etruſco cum Porſenna, vt & Latino, §. LXXXIV. Bellum cum Aequis, Volſcis, Veientibus, Faliſcis, Fidenatibus, geſtum, §. LXXXV. Bellum Gallicum, perfidia Camilli, fruſtra ab Alberico Gentili excuſata, §. LXXXVI. De bellis, quae iterum cum vicinis geſſere Romani, §. LXXXVII. Belli Samnitici primi cauſa, tum impulſiua, tum iuſtifica, §. LXXXVIII. An Campanos, ob deditionem, Samnitibus, vtpote ſociis antiquioribus, praeferre fas fuerit, §. LXXXIX. Antiquiorem ſocium praeferendum recentiori, niſi arctius vinculum, aut belli iuſtitia obſtet, §. XC. Si durante bello ſocius poſterior ſe nobis dedat, ex cauſae iuſtitia rem definiendam eſſe, & hinc Samnitici iſtius belli iuſtitia diiudicatur, §. XCI. Probatur tamen & illorum ſententia, qui, poſteriori ſocio contra anti-

antiquiorem ſuppetias ferre, fas eſſe negant, §. XCII. De bello Sammitico ſecundo, §. XCIII. Bellum Tarentinum, §. XCIX. In eius cauſam inquiritur, §. XCV. Bellum punicum primum, §. XCVI. Eius cauſam tum impulſiuam, tum iuſtificam, iniuſtam fuiſſe, §. XCVII. Ad argumenta Alberici Gentilis, pro iuſtitia huius belli, reſpondetur, §. XCVIII. Bellum punicum ſecundum, §. XCIX. Ex parte Romanorum non fuit prorſus iniuſtum, §. C. Iniuſtitia belli Macedonici primi, Syriaci, Aetolici, Hiſtrici &c. §. CI. Bellum punicum tertium: eius iniuſtitia contra Albericum Gentilem euicta, §. CII. Acbaici belli iniuſtitia contra eundem demonſtrata, §. CIII. Itemque Numantini, §. CIV. De bello Aſiatico, Iugurthino, Allobrogico, Cimbrico, Mithridatico, Cretico, Cyprico, Parthico, & reliquis, §. CV. In modo gerendi bellum ſaepius quoque contra iuſtitiae leges a Romanis fuit peccatum, §. CVI. De legibus Syllae, quibus proſcribebantur, qui cum Mario faciebant, §. CVII. Hae leges an ſeruandae fuerint? ſententia Ciceronis atque Flori, §. CVIII. An vim obligandi habeant leges, ab iniuſto invaſore, aut vſurpatore reipublicae latae, praeſertim ſi ipſae iniquae ſint? eaedemque an a legitimo principe abrogari queant? §. CIX. Iulius Caeſar per ſummam iniquitatem rempublicam Romanam oppreſſit: idem quo iure inſcio ſenatu populoque Romano Arioviſto bellum intulerit? §. CX. In bello defenſiuo licere duci bellico, inſcio ſummo imperante, arma capere, §. CXI.

Digitized by Google

§. CXI. Minime autem in bello offensiuo, §. CXII. Triumuiratus Octauii, Antonii, & Lepidi, §. CXIII. Quae eo tempore fuerit reipublicae Romanae forma, dubitatur, §. CXIV. Fuisse monarchicam, sed legitimo imperante destitutam; triumuiros autem fuisse tres iuuasores, concluditur, §. CXV. De successione adoptiuorum in imperio Romano, quid censendum? §. CXVI. Adoptiuorum cum filiis naturalibus comparatio, §. CXVII. An, & quousque filii adoptiui succedere queant? §. CXVIII. Quae generatim dicta sunt, ad imperium Romanum accommodantur, §. CXIX. Quo pacto facultatem constituendi imperatorem milites tandem ad se rapuerint, §. CXX. Hugonis Grotii sententia, ius eligendi imperatorem pertinuisse ad populum, & aliquoties etiam electionem a populo aut senatu Romano factam, refellitur, §. CXXI. Ad exempla a Grotio allata respondetur, §. CXXII. De iure ipso disquiritur, &, electiones a legionibus factas vitio non caruisse, probatur, §. CXXIII. Finis commentationi huic imponitur. §. CXXIV.

§. I.

CVm & gentis celebritate, & exemplorum copia ac vbertate, & scriptorum, quos nacta est, praestantia & dignitate, historia Romana multum praestet reliquis monu-

numentis omnibus, quae de aliorum populorum inſtitutis, rebusque geſtis, ad nos transmiſſa ſunt, aut hodie transmittuntur: hanc etiam cumprimis, ſingularia quaedam capita ſelecturus, quae iuris naturae & gentium tractationem, factis ipſis illuſtratam, iucundiorem pariter ac vtiliorem redderent, huic meo inſtituto perquam accommodatam deprehendi. Animus itaque eſt, ire per florentiſſimum iſtum hiſtoriae Romanae campum, & hinc inde, quae vſui noſtro inſeruiant, & disceptandi, de graviſſimis aequi & iuſti argumentis, occaſionem praebeant, decerpere.

§. II. Prima ergo quaeſtio haec eſto, ad quam ipſa reipublicae Romanae origo nos ducit: an in ciuitatem eualeſcere latronum coetus, mutatis moribus, queat? Romanae etenim vrbis conditor Romulus, tum alias ob cauſas, tum & ideo male apud nonnullos audit, quod latronum coacta manu alienum occupauerit agrum, & fundamenta ita eius vrbis, quae caput orbis futura eſſet, iecerit. Hinc Aetoli apud Iuſtinum (a) Romanos paſtores eſſe dicunt, qui latrocinio iuſtis dominis ademtum ſolum teneant. Cyprianus populum Romanum de ſceleratis & nocentibus congregatum dicit. (b) Idem

(a) *lib. XXVIII. cap. III.* (b) *de idolor. vanit. p. m. 155.*

Idem Romulus vero, cum vrbi ſuae incolas deeſſe videret, aſylum in proximo luco fecit, vnde mira hominum multitudo, maxime vero facinoroſorum, ad eum confluxit. Hinc Iuuenalis: (c)

Et tamen vt longe repetas longeque reuolvas,
Nomen ab infami gentem deducis aſylo,
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Vltimis verbis latronem innuit. Sed & alii ſimilia Romae exprobrant. Id vero quo iure fiat, & an ſimilis origo aliis rebuspublicis fraudi eſſe queat? quaeritur.

§. III. Recte Hugo Grotius (d) docet, coetum latronum aut piratarum ideo non eſſe ciuitatem, quia criminis cauſa ſocientur, etiamſi forte inter ſe aequalitatem quandam obſeruent. Non itaque differt latronum coetus a iuſta ciuitate, ratione potentiae aut virium, aut multitudinis, ſed ratione finis. Non enim latronibus hic finis conſtitutus eſt, quem reliquae ciuitates ſibi propoſitum habent, ſecuritas ſcilicet, ſed opes ex ſpoliis congerunt, oppreſſis quibusvis innocentibus, bellumque gerunt perenne cum hominum genere vniuerſo. Quod quam-

(c) *Satyr. VIII.* (d) *lib. III. de I. B. & P. cap. III. §. III.*

quamdiu non intermittunt, tamdiu iuſtae ciuitatis menſuram non implent. Et id quidem poſitum eſt extra litem. Sed & ſi vitae genus mutent, infamia ſemel contracta non facile, vt videtur, eluitur: vnde, an eodem cum reliquis eiusmodi ciuitas recte habeatur loco, dubitari poſſet.

§. IV. Hugonis tamen Grotii ſententiae plane ſubſcribo, ſi vitae genus moresque mutent latrones, eosdem ciuitatem conſtituere. Romanis itaque latrocinii, quo illorum ſe obſtrinxerunt maiores, crimen obiici non potuit. Fas enim fuerit, ponere tantisper, mores eos mutaſſe, aliisque vixiſſe legibus. Enimuero moribus gentium obtinuit, vt bella quantumuis & atrociſſima & iniuſtiſſima pro latrociniis non habeantur, non aliam ob cauſam, quam quod a gentibus contra gentes gerantur. Aſt ſapientum alia hac de re fuerint ſcita. Horum ſi ſtandum iudicio, vti ſtandum omnino eſt, tantum abeſt, vt, mutaſſe mores cenſendi ſint Romani, vt, quae poſtea geſſerunt bella longe iniuſtiſſima, latrociniis quibusuis multum fuerint execrabiliora. Sed eſto, per bella nullum genti inuri dedecus, quae hodie & recepta gentium eſt ſententia, tum quidem mutaſſe mores Romanos, largiemur haud difficulter. Et haec tum ratio quoque erit,

cur

Digitized by Google

cur pro ciuitate iusta habenda sit Romana. Nam quod alii asserunt, latrocinari moribus gentium licitum olim fuisse, vt praeter alios Iustinus (e) quoque docet, id hic merito in censum non venit.

§. V. Nimirum imputari delicta nemini possunt, nisi qui illa perpetrauit. Posteros itaque ob maiorum punire crimina nefas, si iisdem se non obstrinxerunt. Hinc & ciuitati, quod a latronibus condita, citra iniquitatem manifestam obiici non potest. Videtur equidem vniuersitatis alia ratio esse, quam singulorum, eo quod, quamdiu vniuersitas durat, illa eadem maneat, mutatis licet & succedentibus sibi singulis: quem in modum Plutarchus hac de re disserit in libro, *de sera Numinis vindicta*. Id vero non semper ita se habet, praesertim in delictis poenam aut infamiam promerentibus; cum haec non committantur, nisi singulorum consensus accedat. Atque hoc recte demonstrat

(e) *Histor. lib. XLIII. cap III. add. Hugo Grotius de I. B. & P. lib. II. cap. XV. §. V. Cumprimis autem elegantissimae Iacobi Thomasii dissertationes, quarum altera sub titulo, historia latrocinii gentis in gentem, altera sub titulo moralitas latronicii gentis in gentem, extat Observat. selectar. T. VII. obseru. VI. VII.*

Digitized by Google

Samuel Pufendorfius (f) Accedit, quod & ſinguli homines infamiam, quae ex inhoneſto vitae genere illis adhaeſerat, genere vitae mutato, exuerint, & exuere poſſint. Id quod Iephtes, Arſaces, & Viriatus exemplis ſuis comprobarunt, quos ex praedonum ducibus, iuſtos duces factos, pronunciat Hugo Grotius. (g)

§. VI. Ceterum Romulus cum intelligeret, quam condiderat ciuitatem, non admodum diuturnam fore, eo, quod feminis carerent, quos ſub imperio ſuo tenebat, viri, ex quibus liberos procreare poſſent, initio quidem a finitimis matrimonia petiit, ſed, quia non impetrauit, ad vim fraudesque animum conuertit. Simulatis quippe ludis, virgines, quae ad ſpectaculum venerant, praeda fuere. (h)

§. VII. Hocce facinore an legis naturalis migrauerint praeſcripta Romani? de eo non idem omnes ſentire video. Perperam eos egiſſe, plerique ex doctoribus eccleſiae contendunt, Cyprianus, Tertullianus, Minucius & alii. Et Minucius quidem deſponſatas, deſtinatas maritis, raptas ſcribit, (i) contra quem perſuadere alii de virginibus ſolis

(f) *de I. N. & G. lib. VIII. cap. III. §. XXIX.* (g) *lib. III. cap. III. §. III.* (h) *Florus lib I. cap. I. Liuius lib. I. cap. IX. & reliqui.* (i) *Minucius Felix in Octauio cap. XXV. §. III.*

Digitized by Google

ſolis voluerunt. Sunt tamen contra, qui facinus excuſant. Ipſe Auguſtinus connubia Romanis inique negata, & ius propterea belli contra Sabinos fatetur, hoc ſaltem reprehendens, quod ſpectaculi fraude vſi Romani ſint, bellumque idcirco iniuſtum pronunciat. Alii plane ex neceſſitatis iure defendunt, qua in ſententia ornanda prolixus eſt Albericus Gentilis. (k)

§. VIII. Qui damnant iſtud Romanorum facinus, fractam fidem, violata ſanctiſſima hoſpitii iura, conqueruntur. Nec, vt videtur, immerito. Sed ſi vel maxime haec abeſſent, ipſa tamen vis non careret crimine. Namque matrimoniorum copiam exteris facere, ad humanitatis quidem officia ſpectat, aſt ad haec vt iure ſaltem imperfecto obſtricti ſunt homines, ita cogi ad eadem nemo poteſt.

§. IX. Generatim, quid de matrimoniorum libertate ſentiendum ſit, patet, expoſitumque eſt ab aliis. Cuncta vero huc redeunt. Matrimonia aut ſingulis hominibus, aut integris gentibus, ſi neceſſitate ad ea expetenda compellantur, denegare nefas: niſi praegnans, quae obſtet, nos abſoluat cauſa. Etenim ſi gens barbara ſit,

(k) *de armis Romanis lib. I. cap. II. vbi & Tertulliani, Cypriani & Auguſtini loca profert.*

quae matrimonii libertatem expetit, aut aliis, quam noſtris, imbuta ſacris, aut alia quaedam ratio accedat, quo minus citra noſtrum incommodum hoc ei concedere queamus, ceſſat iſtud obligationis vinculum, nihil illa iuris habet, dari ſine iniuſtitiae labe repulſa poteſt. Aliis vt inſeruiamus, par eſt: naturae hoc leges iubent: aſt, ſi ita res ſe habeat, ne nobismet ipſis noceamus. Inhumanum eſt, exigere ab alio, quod illi aut graue ſit, aut noxium. Idem vero vi extorquere velle, plane iniquum.

§. X. Romanorum haec fuit conditio, vt inuidia potius, & creſcentis potentiae metu, quam vlla iuſta ratione, ad matrimonia illis deneganda inductae gentes vicinae videri queant. Hoc qui abnuerit, peccaſſe eos multiplici ratione, fateatur neceſſe eſt. Et ſane potuerunt quaedam cauſae accedere, quae gentium reliquarum animos, ab arctiori iſta cum Romanis, per mutua matrimonia, coniunctione auerterent. Eſto vero, aut nullas, aut non iuſtas, reliquis gentibus, auerſandi iſtam cum Romanis coniunctionem, fuiſſe cauſas, tum quidem in Auguſtini iuerim ſententiam, inique denegaſſe reliquas gentes, quod concedere naturae aequitas poſtulabat: nec vitio Romanis, quod vi matrimonia quaeſiuerint, prorſus verti poſſe.

§. XI.

§. XI. Aſt fraudes, doli, violata hoſpitii iura, Romanos inuoluunt crimine. Auguſtinus quidem ita ſentit; niſi belli pariter, ac neceſſitatis leges, pro Romanis forte militarent. In hoſtem enim, quo nomine & is venit, qui denegauit, quae concedere iure perfecto, & neceſſitate etiam vrgente debeat, licere quiduis, etiam dolos, etiam ſtratagemata, iuris naturae conſultorum, ipſiusque Hugonis Grotii, ſcitum eſt. Et hac quidem ratione excuſari haud dubio, ſi non defendi, Romani poſſent, ſi receptis praeſtantiſſimorum iuris naturae doctorum decretis ſtandum. Vnicus tamen me moratur ſcrupulus, an, quod de neceſſitate dicitur, ſemper & vbique locum habeat. Adſtricti ſumus ad humanitatis officia: ſed obligatione imperfecta. Si noſtrum incommodum accedat, ceſſat prorſus obligatio. Accedat in altero neceſſitas. Quid tum? Si plane nullo iure gaudet, nec neceſſitas ius perfectum dabit. Inhumanum videtur, denegare alteri, quod petit: aſt inhumanum, quod & ſupra dixi, petere, quod ſine noſtro concedi nequit incommodo. Iniquum denegare, quibus indiget: iniquum vi extorquere velle, quae concedere moleſtum eſt, & ad quae, hoc ipſo, nullum illi ius competit. Nulla ergo neceſſitatis vis, belli nulla, quae ſufficiat,

Digitized by Google

cauſa. Ergo eo magis vituperanda, quae aut belli aut neceſſitatis προφάσει excuſantur.

§. XII. Aegre hoc Romanorum facinus tulerunt tum ceterae gentes vicinae, tum vmprimis Sabini. Hisce Tarpeia virgo, capitolii praefecti filia, portas prodit, pretium rei, quam gerebant Sabini in ſiniſtris, ſibi pacta: dubium clypeos an armillas. Illi vt & fidem ſoluerent, & vlciſcerentur, clypeis eam obruere. Ita admiſſis intra moenia hoſtibus atrox in ipſo foro pugna. Quam quomodo pax, & vtriusque gentis coniunctio ſecuta ſit, hiſtoriae Romanae ſcriptores prolixius exponunt. (l) An conſentientibus Romanis ad fallendos hoſtes Tarpeia virgo Sabinis hoc reſponſum dederit, nondum inter omnes conſtat. Sunt, qui adamato, vt ille ait, auro prodidiſſe vrbem Tarpeiam, & pactis reſeraſſe clauſtra Sabinis, aiunt. Non aurum adamatum, ſed Tatium regem, alii latius canunt. (m) Eſto, a Romanis hanc ſcenam fuiſſe inſtructam. Hoſtes fuere Sabini. Hos, ſi plerosque iuris naturalis magiſtros audias, fallere, circumveni-

(l) *Florus lib. I cap. I. Plutarchus in Romulo. Valerius Maximus lib. IX. cap. VI. Liuius, Dionyſius Halicarnaſſenſis, ceterique.* (m) *Propertius lib. IV. eleg. IV. add. Albericus Gentilis lib. II. cap. II.*

venire dolis, perdere ſtratagematibus licet. Perperam contra qui egiſſe Romanos cenſent, dolos, omneque mendacii genus, damnant, nec vti iisdem vnquam fas eſſe, contendunt.

§. XIII. Videtur tamen illorum potior eſſe ſententia, qui & dolis & ſtratagematibus, fictisque ad veri ſpeciem verbis laedere hoſtem non eſſe nefas, autumant. Quos inter ipſe eſt Hugo Grotius. (n) Nec enim alia ratio, cur non liceat fictionibus, dolis, ſtratagematibus vti, reddi poteſt, quam quod laedere alium naturae leges vetent. Pone, non laedi iis aliquem, non erunt quoque prohibita: pone vlterius, fas eſſe, laedere alium; vti quidem hoſtem laedere omnino licet; iterum iisdem vti non erit nefas. Laeditur vi, factis, armis; laeditur caede, rapina, incendio: cur non & verbis, fictionibus, ſtratagematibus? Ad minimum ergo, ſi vitium aliud animi non ſubſit, aut accedat, contra officia hominis erga alios hac ratione non peccabitur. De Romanis vero ita habendum, reprehendendum hoc in illis eſſe, ſed ex alio capite. Cauſam belli ipſi dederant. Bellum, quod gerebant, ſi locum habeant, quae ſupra diſputauimus, iniuſtum erat. Iniuſti itaque omnes actus bellici, iniuſta vis, iniuſtus dolus.

(n) *lib. III. de I. B. & P. cap. I.*

Digitized by Google

§. XIV. Nec tamen & Sabinorum facinus forte laudaueris. Subdola interpretatione dum fidem datam eludunt, eam frangunt, violant. Eſt ea erga quosuis, etiam hoſtes, etiam perfidos, etiam proditores, ſeruanda. Cum his dum paciſcimur, dignos iudicamus, quibus fidem ſeruemus. De aequiuoca interpretatione idem ſentiendum, quod de aequiuoco ſermone, ſi quis eodem data opera vtatur. Nec hunc, nec illam quisquam probauerit, ſi in alterius damnum cedat. (o) Et haec quidem ita ſe habent, ſi bona fide egiſſe Tarpeiam ponamus. Sin fallere Sabinos, inſtinctu Romanorum, voluit, iure ſuo Sabini vſi ſunt. Qui fas putat fallere hoſtem, non putet nefas, ſe ab iisdem falli, quacunque demum id ratione fiat.

§. XV. Prius autem quam a Romulo diſcedamus, aſylorum quoque iniicienda mentio. Namque hic ipſe Romanae vrbis conditor, vt eo plures ad eam incolendam alliceret, proximum lucum aſylum eſſe iuſſit, ad quod quiuis, cui alibi tuto degere non licebat, ſe reciperet. Statim mira vis hominum, Latini, Tuscique paſtores, quidam etiam transmarini, Phryges, qui ſub Aenea,

(o) *conf. Puſend de I. N. & G. lib. IV. cap. I. Riuetus in explicat. decal. p. 397. Ludou. Montaltius Litter. Prouinc. epiſt. IX.*

Digitized by Google

nea, Arcades, qui ſub Euandro duce influxerant. Ita ex variis elementis congregavit quaſi corpus vnum, populumque Romanum ipſe fecit. (p) De aſylorum itaque iure quid ſentiendum ſit? quaeritur.

§. XVI. Si annales gentium conſulimus, apud plerasque aſyla, & perfugia quaedam, delinquentibus patuiſſe deprehendimus. Templorum, praeſertim ararum, ea erat ſanctitas, vt omnes, qui ad illa ſe reciperent, aut has occuparent, aduerſus quamuis vim tuti eſſent. De Graecis & Romanis res nota eſt. (q) Apud Ebraeos Deus ipſe certas vrbes refugii conſtituerat. (r) Horum exemplum deinceps ſecuti chriſtiani, (s) ſuorum templorum aliarumque aedium cultui diuino conſecratarum, idem ius eſſe voluerunt. Quin & aliis quandoque locis ac aedibus idem conceſſum fuit, vt aſyli vicem delinquentibus praeſtarent. Viditque noſtra aetas, Romae legatos quorundam orbis chriſtiani principum eandem ſuis aedibus aſſerere ſanctitatem.

(p) *Florus lib. I. c. I. Liuius lib. I. Plutarchus in Romulo.* (q) *vid. Ludou. Coelius Rhodiginus lect. antiquar. lib. VI. cap. X.* (r) *Deut. IV. 17. add. Seldenus de I. N. & G. lib. IV. cap. II. Moebius in Aſylologia ſacra, Cocceius ad Sanhedrin p. 110. ſeqq.* (s) *Hoc Lynkius de iure templorum, aliique pluribus ediſſerunt.*

§. XVII. Eſt vero omnino conſiderandum, an aſyla etiam exteris pateant? an tantum ciuibus? & ſi hoc ſit, an quibusuis praeſidio ſint? an tantum innocentibus? Etenim ad exteros, hoc eſt, alterius reipublicae ciues quod attinet, puniendos eos eſſe, ſi deliquerunt, aut dedendos, ſapientum ſcitum eſt, iuſta ratione ſuffultum; tantum abeſt, vt aſylum iis aut erigi, aut concedi debeat. (t) In ipſam enim rempublicam valde iniurius eſt, qui ciuem eius recipit atque tutatur, quem puniri eius maximopere intererat. Immo e re omnium hominum eſt, ne impune delicta committantur. Innocentes autem ſi fuerint, qui ad aliam rempublicam confugiunt, recipi atque defendi etiam ſine aſylis poterunt.

§. XVIII. De eiusdem vero reipublicae ciuibus palam eſt, principem poſſe illis aſyla conſtituere, ad quae ſe recipiant, qui non ex proaereſi, ſed ex errore & ignorantia peccarunt. Etiam pro conditione populi aut reipublicae hoc aliquando neceſſarium eſſe videtur, vt Ebraeae gentis exemplo patet. Eiusmodi contra ſi deſint rationes, tutius eſt, nulla conſtituere aſyla. Equidem cum delictum ex errore commiſſum, aut nullam, aut leuiorem promereatur

(t) *vid. Grotius lib. II. cap. XXI. §. IV.*

Digitized by Google

tur poenam, ſecuritati horum quam rectiſſime quouis modo conſulitur. Id vero cum vtplurimum absque aſylis commode fieri queat, his contra homines improbi haud raro, vt maximorum ſcelerum conſequantur impunitatem, abutantur; non temere ea conſtituenda, aut aperienda, quiuis facile intelligit. Qui vero ſacris aedibus neſcio quam ſanctitatem adhaerere putant, aut ſacri ordinis hanc demum ἐξοχὴν eſſe credunt, vt imperantium poteſtati obnoxii non ſint, qui in templa aut monaſteria confugiunt, & quid dicant aſſerantue neſcivnt, & ciuilis poteſtatis limites, quod ius fasque non eſt, arctius, quam par erat, conſtringunt. (u)

§. XIX. Colligas itaque ex dictis, quod Romulus erexit aſylum, excuſari nulla ratione aut defendi poſſe. Omnes enim recipiebat in aſylum Romulus. Nec ſeruum domino, nec creditoribus nexum, nec magiſtratibus criminoſum reddebat; vt auctor eſt Plutarchus. (x) Et Lucianus: (y)

Romulus infami compleuit moenia lucu.

Cyprianus, (z) cuius & ſupra vſi ſumus teſtimonio, cum dixiſſet: populus de ſceleratis

(u) *addendi, qui de aſylis, & iure aſylorum, ex inſtituto commentantur, vt Couradus Rittershuſius, Io. Adamus Oſiander, ceteri.* (x) *l. c.* (y) *pharſ. VII.* (z) *l. c.*

ratis & nocentibus congregatur, addit: *& asylo constituto facit numerum impunitas criminum.* Quibus & alii magno numero suffragantur Nihil igitur in Romanae vrbis ortu, quam iniustitiae exempla videas, haud obscuro argumento, talem fore rempublicam, quae vt imperii ita & criminum magnitudine, ceteras totius orbis superaret, sedemque aliquando hanc vrbem praebituram ei, in quo omnis omnium seculorum malitia ad summum perducta fuit fastigium.

§. XX. Cum Tullus Hostilius rei Romanae summam teneret, inter Romanos Albanosque bellum exarsit. Sed cum pari robore frequentibus praeliis vtrique comminuerentur, missio in compendium bello, Horatiis atque Curatiis tergeminis hinc atque inde fratribus, vtriusque populi fata commissa sunt. Tribus igitur ex Curatiis vulneratis, & Horatiis duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, vt distraheret hostem, simulat fugam, singulosque, prout sequi poterant, superat. (a)

§. XXI. Equidem & apud alias gentes eiusmodi bella, quae *repraesentatitia* a nonnullis vocantur, non infrequentia fuisse, deprehendimus. Dauidis & Goliathi ipsae diui-

(a) *Florus lib. I. cap. III. Liuius lib. I. &c.*

Digitized by Google

diuinae commemorant litterae, (b) de cuius tamen iuſtitia, ſunt, qui adhuc inter ſe diſceptant. (c) Sic & Argiui & Lacedaemonii, cum de agro quodam controuerſia eſſet, bellum hac ratione coarctarunt, vt auctor eſt Herodotus. (d) Edmundus atque Canutus reges, ille Anglorum, hic Danorum, identidem hoc pacto finire bellum adgreſſi ſunt, (e) ne quid nunc de reliquis, quorum paſſim celebrantur exempla, dicam.

§. XXII. Rationibus ſtandum eſt, non exemplis. Hugonis Grotii hac de re haec eſt ſententia: (f) Gentium iure fas eſſe, eiusmodi ſubire certamina, quae interna tamen, vt loquitur, iuſtitia deſtituantur. Nemini enim ius eſſe in vitam ſuam, ſecus ac plurimi ex Graecis, Romanis, aliisque gentibus exiſtimauerint. Peccare itaque eum, qui in eiusmodi certamen deſcendat, in Deum, dum vitam, quam a Deo accepit, tam vili aeſtimat, vt pro re exigui momenti eam perdere velit; peccare in ſeipſum, cui vitae cuſtodia merito ſancta eſſe debeat; iniurium denique eſſe in alium,

(b) *I. Sam. XVII.* (c) *conf. praeter alios Alphonſus Toſtatus Abulenſis in I. Sam. XVII. qu. 45.* (d) *lib. I. cap. VI.* (e) *vid. Cambdenus in Britannia. p. 151.* (f) *lib. III. cap. XXIII. §. XLIII.*

vm, quem itidem ex leui perimere cauſa, ſibi religioni non ducat.

§. XXIII. De gentium iure, quod hic Grotius monet, ad rem parum facit. Sua ſponte patet, mores gentium, hi enim hoc nomine veniunt, maximam partem improbos, hic non venire in cenſum. Rationes, quas idem affert, ad id, quod cupit, euincendum, parum valent. Aut enim me omnia fallunt, aut iisdem, ſi vlla earum vis eſſet, probari poſſet, militiam nunquam ſubeundam, nec in vllo vnquam dimicandum eſſe praelio. Nemo vitam pro lubitu coniicere in diſcrimen debet. Peccabitque adeo, qui in praelio contra hoſtem pugnat, & in Deum, & in ſe ipſum, & eos, quibus vitam eripere illi animus eſt. Nihil hic regeres, quod non eodem pacto rationibus Grotii opponi queat. Siue enim dicas, publica auctoritate munitos id milites facere, ſiue reipublicae defendendae cauſa iſtud eos ſubire periculum, & hac quidem ratione non eſſe nefas, ſe mortis discrimini exponere, vtrumque eiusmodi eſt, vt non minus in certaminibus ſingularibus, principis populique auctoritate ſuſceptis, quam in iuſtis praeliis locum inueniat.

§. XXIV. Aliam itaque ergo hic ingrediendam viam cenſeo. Enimuero aut res, quae belli cauſam praebet, eiusmodi eſt, vt con-

Digitized by Google

confici plane ſine vllo praelio ac certamine poſſit, aut omnino praelio eiusque euentui committenda. Illud ſi ſit, tum praelia multorum, tum ſingulorum certamina, iniuſta eſſe pronuncio. Namque & vnius hominis ſine ſumma neceſſitate mortis periculo obiicere vitam, nefas eſt. Sin expediri ſine certamine nequeat, rurſus nefas, vnius aut paucorum hominum fortunae, totius populi ac ciuitatis ſalutem concredere. *Si res bello digna agitur*, recte ait Grotius, (g) *vt multorum innocentium ſalus, pro ea totis viribus nitendum eſt.*

§. XXV. Sed & id recte ſubiicit idem Hugo Grotius: *condicto certamine vti tanquam teſtimonio bonae cauſae, aut iudicii divini inſtrumento, vanum eſt, & a vera pietate alienum.* Referunt ſe haud dubio haec verba ad iſtam veterum Germanorum conſuetudinem, qua lites duello finire ſolebant, vt nimirum dubiis in iudiciis, cum vtriusque argumenta eſſent obſcura, armis litigantium crederetur, victusque pro nocente haberetur. Hinc inter illa iudicia Dei, vt vocabant, ſeu ordalia, probatio etiam erat per duellum. Leges Alemannicae ita ſanciunt: (h) *Si quis liber libero crimen aliquod mortale impoſuerit, & ad regem aut ad ducem eum accuſauerit, & inde probata*

(g) *l. c.* (h) *tit. XLV. §. I.*

Digitized by Google

bata res non eſt, niſi quod ipſe dicit, liceat illi alio, cui crimen impoſuit, cum tracta ſpatha (ſtricto gladio) *ſe idoneare contra illum alivm.* Suffragantur & Boioariorum, Anglio-rum & Werinenſium, Friſonum, Longobardorum, aliarumque Germanicarum gentium leges; (i) quibus & recentior lex Ottonis accedit. Nec populo tantum fuit ea facultas, vt innocentiam ſuam gladio defenderet, ſed & principes proceresque ſingulari certamine lites in campo diſcernebant. Itaque Otto Bauariae dux, cum vitae Henrici III. imperatoris inſidiatus argueretur, iuſſus ab imperatore eſt, *vt obiectum crimen, congreſſus cum accuſatore ſuo, propria manu refelleret;* vti Lambertus Schaffnabrugenſis loquitur. (k) De Guntheramno Boione duce, ſingulare quoque exemplum legitur apud Gregorium Turonenſem. (l) Manifeſta autem cum impietate iſta iudicia Dei coniuncta fuiſſe, cum per ſe pateat, non neceſſe eſt, vt prolixius hoc demonſtremus.

§. XXVI. Videtur tamen, aliquando ea rerum facies eſſe poſſe, vt ſi non vtrinque, ſaltem ab alterutra parte, ſingularia iſta certamina recte permittantur. Hugo Grotius

(i) *quas affert Paulus Hachenbergius Germaniae media diſſert. III. §. XVIII.* (k) *apud Hachenberg. l. c.* (l) *Hiſtor. Franc. lib. VII. cap. VIII.*

Digitized by Google

tius ita cenſet. (m) Si duo, quos inter de regno controuerſia eſt, parati ſunt, inter ſe armis cernere, pati id poſſe populum, vt maior calamitas ceteroqui imminens euitetur, idque tum ad finiendum, tum ad praeveniendum bellum. Quomodo, inquit, Aſſyrium Regem Cyrus prouocauit, & apud Dionyſium Halicarnaſſenſem Metius ait: non iniquum fuiſſe, vt ipſi principes populorum armis rem inter ſe diſceptarent, ſi de ipſorum, non de populorum potentia aut dignitate controuerſia fuiſſet. Sic Heraclium imperatorem cum Coſroë, filio Perſarum regis, pugnaſſe ſingulari certamine legimus.

§. XXVII. Verum & illud nondum poſitum extra omnem controuerſiam arbitror. Aut de iuribus principum, aut de iniuriis illatis vindicandis agitur. Si illud, non video, cur ad certamen ſingulare recurrendum ſit, cum res commode tandem per arbitros aut ſortem tranſigi queat, ſi modo res tam obſcura ſit, vt, quis potior iure ſit, poſt accuratam diſcuſſionem non pateat. De iniuriis autem vindicandis cum agitur, diſpiciendum quidem, annon ſatius ſit, ex chriſtianorum diſciplina aequo eas ferre animo; aut ſi tanti res ſit, vt ad reſarciendum damnum, quod aut in opibus, aut in exiſti-

(m) *l. c. n. 5.*

matione passi sumus, alter cogi debeat; non video, cur non & totius populi viribus ea res agenda sit. Etenim cum & cuiuslibet ciuis defensionem recte suscipiat respublica; multo magis principis aut imperantis. Praesertim cum interdum satius sit, multorum ciuium vitam exponere periculo, quam principis, vt alias rationes taceam. Quam stulte itaque Franciscus I. Galliae rex Carolum V. Imperatorem prouocauit, tam sapienter hic singulare illud certamen declinauit.

§. XXVIII. Fateor tamen, si forte populi ea sit conditio, vt certissimam perniciem non aliter, quam per certamen singulare euadere queat, tum nullam me videre rationem, cur illud reprehendi debeat. Pone, iam ad incitas fere redactum populum, vltimaque illi instare fata; pone, non superesse vires, vt iusto praelio cum hoste concertare aut possit aut audeat; pone, hostem tunc certaminis singularis conditionem offerre: tum, si cetcroquin causa resistendi iusta adsit, recte & populus permittet, & miles suscipiet eiusmodi certamen: ille vero populus, qui talem conditionem offert, ab imprudentiae nota liberari vix poterit; in causa vero iniusta eum versari cum supponamus, de iniustitia quoque non erit dubitandum. Non licet declinare perniciem

niciem, iusti praelii non datur copia; in summa itaque ista necessitate satius est, vnius hominis aut paucorum in discrimen adduci vitam, quam totam perire rempublicam. Et idem quoque dicendum, quotiescunque vnus aut pauci milites, non tam ex conuentione, quam belli iure, aliquid adgrediuntur, quo hosti noceant, de hisce enim quin recte agant, si cetera, quae ad actuum bellicorum iustitiam requiruntur, recte se habeant, dubitari nequit.

§. XXIX. Iam, quid de Dauidis & Goliathi certamine statuendum sit, facile intelligitur. Initio quidem id positum est extra controuersiam, non fuisse hoc certamen ex duellorum istorum numero, quae iudicia Dei vocantur, vti nonnulli volunt, quos ideo operose refellit Don Iizchac Abarbanel. (n) Ostendit namque, ad eiusmodi certamen, quod ad causae iustitiam explorandam suscipitur, requiri primo quidem, vt causa dubia sit, super qua disceptetur, veritasque in obscuro lateat; tum, vt conuentio atque pactum inter pugnaturos intercedat, testibus aliisque documentis confirmatum, ne post victoriam alteri parti ab eodem resilire liceat; praeterea vt paribus armis, aequalique prorsus pugnent conditione, nec quis

(n) *Comment. in I. Sam. XVII.*

altero vlla in re sit superior; denique vt iudices ac arbitri constituantur, qui dispiciant, ne quis vlla in re ab altero circumueniatur. Ast haec omnia cum in certamine Dauidis & Goliathi secus se habeant, patet, iudice Abarbanele, illud ad hanc certaminum singularium classem perperam referri. De conuentione equidem seu pacto dubitari vix posset, ob haec verba Goliathi: *eligite vobis virum, & descendat ad me, si possit pugnare mecum, meque percusserit, erimus serui vestri, sin a me victus caesusque fuerit. eritis serui nostri, nobisque seruietis.* Sed respondet ad haec Abarbanel, dum primum requisitum abesse hic asserit, docetque, non per modum conditionis, qua certamen hoc ineundum, haec verba esse prolata, sed ad iactantiam potius & ostentationem: ברו איש וירד אלי וגו' והיו דברי גוזמא ומה שאמר והתפארות ולא תנאי עצמי ולזה כוון במה לכם שאמר אני חרפתי את מערכות ישראל היום וגו'. *Et quod dicit, eligite vobis virum, qui descendat ad me, &c. verba erant sarcasmi & ostentationis, non autem conditio ipsa* (certaminis) *& id indicat ipse, quando dicit: ego hodie opprobrio affeci castra Israelis.* Deinde vero accedit, quod nec Israelitae consenserint in illam conditionem, vt idem Abarbanel recte i-

te-

Digitized by Google

terum obſeruat: כי אותם הדברים אשר דבר גליתלא הוסכמו בן ישראל ובין הפלשתים: *& in illa verba, quae locutus eſt Goliathus, non conſenſerunt Iſraëlitae & Philiſtaei.* Ex quo colligas, non modo non ſpectare hoc certamen ad iudicia Dei, ſed nec vlla ratione ad bella repraeſentatitia eſſe referendum, in quibus vtriusque partis conſenſus adeſſe debet. Nimirum non alia erat ratio praeſentiſſimo periculo populum Iſraeliticum eripiendi, quam vt Goliathus ille proſterneretur. Omnibus copiis adgredi Philiſtaeos Iſraelitae non audebant: Goliathus vnius viri poſcebat certamen. Facile intelligebatur, Goliatho proſtrato, animum rediturum Iſraelitis. Hoc ergo agebat Dauid, non vt ipſe de fortuna vtriusque populi ex conuentione pugnaret, ſed vt, Goliatho deuicto, ad fortitudinem accenderet Iſraelitarum animos, vel potius ſuo exemplo eos condoceret, fiducia in Deum non minus, quam armis ad profligandos hoſtes opus eſſe. Et ita quin recte egerit Dauid, per ea, quae ſupra diximus, dubitari nequit.

§. XXX. Sed reuertimur ad hiſtoriam Romanam. Tullum Hoſtilium excepit Ancus Martius, nepos Pompilii. Hic cum videret, populum Romanum bellorum amore ardere, bellicos ritus & ceremonias, quas

fecialia iura adpellitant, ab Aequicolis acceptas inſtituit. Hoc praeter alios Seruius docet. (o) Non tamen deſunt, qui iam a Numa Pompilio iura fecialia introducta opinantur, vt Herodotus, (p) quem tum alii, tum etiam Plutarchus (q) ſequitur.

§. XXXI. Ius autem *feciale a fecialibus* dicitur, quorum Romae integrum erat collegium, in quo de belli iure, itemque de eo, quod circa foedera, pacta, conuentiones populorum & regum, circa legatos, inducias, & id genus alia, fas nefasque eſſet, diſceptabatur. Qui autem huic collegio praeerat, *pater patratus* adpellitabatur. Vnde patet, qui fecialis iuris nomine totam illam, quae de belli iure praecipit, disciplinam deſignant, non inepte hac voce vti; id quod Richardus Zouchaeus facit, in libro de iure & iudicio feciali. Cum vero circa belli indictionem praecipua fecialium cura occuparetur, hinc poſtea inualuit, vt id, quod circa belli indictionem obſeruandum eſt, *ius feciale* ſpeciali quadam ratione adpellitaretur.

§. XXXII. Praeterquam vero quod bellica indictio iure naturae quodammodo nitatur, moribusque gentium ſit comproba-

ta,

(o) *ad lib. X. Aeneid. p. 1470. add. Alex. ab Alexandro, dier. genial. T. II. lib. V. cap. III.* (p) *lib. II.* (q) *in Numa & Camillo.*

Digitized by Google

ea, Romani non tantum hunc morem frequentarunt, sed varios insuper ritus ac ceremonias, quibus bellum indicerent, excogitarunt. Nimirum, vt paucis rem complectar, postquam quatuor feciales, in terram hostilem profecti, frustra iniuriae illatae reparationem postulauerant, iterumque sancte testati erant, populum istum nullam habere iuris rationem, pater patratus solenni formula bellum indicebat. Tum hastam sanguineam in terram hostilem coniiciebat, principium cladis ab exercitu imminentis. (r) Aliarum gentium alii fuere ritus, quos enarrare omnes, hic nostri instituti non est.

§. XXXIII. Lactantius (s) hoc Romanorum non adeo probare videtur institutum. Per feciales enim illos bella indicere, ait, vt legitime iniurias inferre viderentur. Id quod a moribus Romanorum non abhorret, quibus nihil solennius, quam virtutis & iustitiae speciem quibusuis ausibus, quantumuis iniquissimis, obtendere. Per istos autem ritus quod iustitia conciliata fuerit Romanorum bellis, qui sibi persuaserit, nae! eum strenue ineptum esse oportet. Sola causa efficit, bellum vt iustum sit, vel iniu-

(r) *conf. Alexander ab Alexandro l. c. & Tiraquellus ad h. l. et. Barnabas Brissonius de Formulis, lib. IV. p. 341.* (s) *lib. IV. Instit. diuinar. cap. IX.*

ſtum: ſolenne autem, aut minus ſolenne vt dici queat, id ritibus eiusmodi, gentiumque moribus tribuendum.

§. XXXIV. Miſſis ritibus, cum de ipſa indictione, ſeu denunciatione, ſermo inſtituatur, eam hactenus iuris naturalis eſſe arbitror, quando vt vltimum tentamen, amica compoſitione litem finiendi, bellumque adeo auertendi, ſpectatur Enim vero & prudentia iubet & naturalis aequitas poſtulat, vt, prius quam per vim noſtra nobis aſſeramus, omnes rationes ineamus, componendi amice litem. Bellum enim, quod tantam malorum cohortem ſecum trahit, vt vltimum atque extremum remedium eſt, ita ad illud neutiquam prouolandum, niſi alia ratio noſtra conſequendi nobis non ſuppetat. Admonendus ergo per indictionem hoſtis eſt, vt nobis faciat prius ſatis, quam extrema experiri cogatur. (t) Et Romani quidem, quin huc ſuam voluerint comparatam indictionem, dubio caret: cum per eam, vt diximus, iuſtitiae ſpeciem ſuis conciliare voluerint bellis. Idque vt eo magis hominum ſermonibus celebraretur, varios iſtos adiunxerunt ritus. Sed cum haec omnia ad bellum iuſtum nondum ſufficiant, niſi cauſa iuſta ſubfuerit: hac autem

(t) *add. H. Grotius lib. III. cap. III. & Richardus Zouchaeus de iure feciali part. III. ſect. X.*

Digitized by Google

autem plerumque deſtituti eſſent Romani, vt deinceps demonſtrabitur; recte quidem totus ille indictionis & iuris fecialis adparatus inter commenta politica refertur. Quae hodie obtinet indicendi bellum ratio, ne eo quidem comparata videtur, vt pro vltimo conatu auertendi bellum haberi debeat, adeoque, ni fallor, non tam iure naturae nititur, quam conſuetudine inani, gentiumque moribus. In his autem non raro, poſtquam res ipſa iam dudum amiſſa eſt, quandam eius vmbram atque ſpeciem conſpicias.

§. XXXV. Regum Romanorum vltimus Tarquinius ſuperbus fuit, qui rapere regnum maluit, quam exſpectare, ſcelereque partam poteſtatem non melius egit, quam acquiſiuerat. Namque in ſenatum caedibus, in omnes ſuperbia graſſatus eſt. Tandem cum vnus ex filiis Lucretiae vxori Collatini ſtuprum intuliſſet, Lucretia quidem dedecus ferro expiauit, ſed Tarquinius cum familia eiectus, imperiumque regibus abrogatum fuit. Si Floro credimus, & ſuperbi illius importuna dominatio plurimum rei Romanae profuit. *Sic enim effectum*, inquit, *vt agitatus iniuriis populus cupiditate libertatis incenderetur.* (u)

(u) *Florus lib. I. cap. VII. Liuius lib. I. Feneſtella de Magiſtratibus Romanis, cap. VIII. reliqui.*

Digitized by Google

§. XXXVI. Quo iure eiectus Tarquinius, regnoque depulsus, hic quaerere liceat: Tyranno liberasse patriam, magnificum olim & praeclarum facinus. Hoc gentium annales comprobant, ex quibus quae huc pertinent, summatim complexus est Io. Mariana: (x) *Praeterea*, inquit, *ab omni memoria considerauimus, in magna laude fuisse, quicunque tyrannos perimere adgressi sunt. Quid enim Thrasybuli nomen gloria ad caelum euexit, nisi graui triginta tyrannorum dominatu patriam liberasset? Quid Harmodium & Aristogitonem dicam? quid vtrumque Brutum? quorum laus gratissima memoria posteritatis inclusa & publica auctoritate testata est. Multi in Domitium Neronem conspirarunt conatu infelici, sine reprehensione tamen, ac potius cum laude omnium seculorum. Sic Caius Chereae coniuratione periit, monstrum horrendum & graue: Domitianus Stephani: Caracalla Martialis ferro occubuit: Praetoriani Heliogabalum peremerunt, prodigium & dedecus imperii, ipsiusmet sanguine expiatum piaculum. Quorum audaciam quis vnquam vituperauit, ac non potius summis laudibus dignam duxit?*

§. XXXVII. Sed caute hic incedendum atque valde circumspecte. Etenim cum recte idem Mariana pronunciet, *facti quaestionem in controuersia esse, quis merito tyrannus ha-*

(x) *de rege & regis institutione lib. I. cap. VI. p. 57.*

habeatur, iuris in aperto (esse,) fas fore, tyrannum perimere; constare accurate de omnibus prius debebat, in numerum tyrannorum eos referendos esse, quam laudentur, qui eos aut interfecerunt, aut eiecerunt. Ista vero non tam facilis est disquisitio, vti quidem plerisque videri poterat. Vix enim vlla occurrit de eiusmodi principe narratio, cui affectus non se ingesserit. Tyranni nomen statim in ore habent, quibus princeps displicet, aut qui praesentem rerum aegre intuentur statum. Tyrannos contra, qantumuis immanes, facile excusant, qui sua interesse putant, vt pro iustis reputentur principibus. Nihil itaque aliud supereſt, quam vt characteres tyranni rite constituantur, & is demum tyrannus iudicetur, in quem isti palam & nemine dissentiente quadrauerint.

§. XXXVIII. Prolixus equidem in characteribus tyrannorum exponendis est idem Mariana: sed dicta ab eo discutere accuratius, non est nostri instituti. Ea tantum afferemus, quae de Tarquinio superbo docet: *Tarquinius*, inquit, *superbus Romae primus regum, vt traditur, morem de omnibus consulendi senatum sustulit: domesticis consiliis rempublicam administrauit, bellum, pacem, foedera, societatesque per se ipse cum quibus voluit, iniussu populi ac senatus, fecit, diremitque. Latinorum sibi gentem maxime con-*

ci-

ciliauit, vt peregrinis quoque opibus tutior inter ciues esset. Sic Liuius ait libro primo. Quin & primores patrum interfeciſſe affirmat, in eorum locum nullos legiſſe, quo contemptior paucitate is ordo esset: cognitiones rerum capitalium ſine conſiliis per ſe ſaltem exercuiſſe, quae ſunt omnia tyranni praecipuae notae.

§. XXXIX. Fateor, arguunt haec principem iniquum, & regiminis formam, quae in republica conſtituta eſt, euertentem. An tyrannum arguant, definiendum tum fuerit, cum, quid tyranni nomine deſignetur, conſtiterit. Multi forte hodie reperientur principes, qui eadem deſignare, religioni ſibi non ducent. Nec tamen hos ſtatim in tyrannorum claſſem referent recentiores politici. Qui tyrannum vocant, qui hoſtili erga patriam eſt animo, rem paucis, ſed obſcurius efferunt. Niſi qui ſibi potius, ſuisque rebus conſultum cupit, quam reipublicae, hoſtili in hanc eſſe animo cenſeatur, quod iterum durum nimis multis videbitur. Hoſtilem ceteroquin erga rempublicam euincere animum, perquam difficile erit: rariſſimusque tum inventu erit tyrannus. Mihi ita videtur, exemplis rectius, quam definitione, quis tyrannus ſit, declarari. Enimuero ſi quis revera talia perpetret, quae Tarquinium perpetraſſe hiſtorici perhibent, is ſi non tyran-

rannus dicendus, iure tamen ſuo in rempublicam excidit, vt eum regno depellere, & arma contra vim intentantem expedire liceat. His ſi quis crudelitatem in omnes, ceteraque vitia addat, eo minus dubitandum, quin recte hoc nomine inſigniatur.

§. XL. Eiusmodi autem princeps, quocunque eum nomine deſignes, qui ea perpetrat, quae perpetraſſe Tarquinium perhibent, modo reuera perpetret, quod recte ſua exuatur dignitate, probari haud difficili negotio poteſt. Nititur enim principum auctoritas ſanctitasque certo pacto, quo ciues ſe ad obſequium obſtringunt, princeps autem ad conſeruandam rempublicam, eiusque ſtatum tuendum. Hoc licet inaequale pactum ſit, indoles tamen atque natura pacti non aliter permittit, quam vt, ſi palam a principe abrumpatur, nec ciuibus nefas ſit ab eodem diſcedere. Et tum quidem, ſi ad vim princeps ſe conuertat, quod vim ei opponant ciues, vitio illis nulla ratione verti poteſt.

§. XLI. Frequens in ſcriptis monarchomachicorum, vt vocantur, eſt exemplum eiecti Tarquinii. Aſt incaute haud raro, turpiterque eodem abutuntur. Prius conſtare debebat, recte eiectum Tarquinium. Hoc equidem concedo, ſi vera ſunt, quae vulgo de eo narrantur. Aſt ſi quis narratio-

Digitized by Google

tiones iſtas, ab eiusmodi hominibus profectas qui per reipublicae, in qua viuebant, rationes non poterant non iniquo in Tarquinium eſſe animo, ſollicitauerit, defendendi forte Tarquinii rationem inuenerit. Iſtud cumprimis cogitandum, ſtuprum a regis filio Lucretiae illatum nondum iuſtam mutandi reipublicae ſtatum praebuiſſe cauſam. Iniuriae priuatis illatae diuinam promerentur poenam, vinculum, quod inter imperantes & ciues intercedit, non ſolvunt. Deinde diſpiciendum, an per omnia Tarquinio ſimilis ſit, quem iisdem ſubiicere animus eſt fatis. Ipſe Mariana, cum varia de tyrannis docuiſſet, quae, ſano ſenſu accepta, non ſunt reiicienda, in eo haud dubio aberrauit turpiter, quod Henricum III. etiam Galliae regem in hunc cenſum retulit. Quo nomine, vti conſtat, vt & ob alia pernicioſa, quae in hoc libro continentur, dogmata, promeruit, vt haud vltimum inter monarchomachos locum occuparet.

§. XLII. Aſt de Bruto quid cenſendum? Potuit recte eiici Tarquinius, vt idem tamen non recte fieret a Bruto. Quod vero regnum aufferre cognatis Tarquinii voluit, an etiam ſtudio libertatis? Certe oſculum terrae dedit, quo praeriperet regnum ſibi. & praerepti retinendi viam prae-

praeiuit. Quem hic a Tarquinio rege magiſtratum tenebat, in Tarquinium exercuit perfidus. Perfidus & in collegam, bonum atque innocentem virum, leuicula, aut nulla potius occaſione, quod Auguſtinus adnotauit. Ita contra Brutum diſſerit Albericus Gentilis. (y) Nec omnia tamen eiusdem ſunt ponderis. Officii, quod quis a principe accepit, ratio non impedit, quo minus contra principem reipublicae cauſam agat, ſi quidem princeps ſuo iure excidat. Immo hoc ipſo non amplius princeps eſt: vnde, ſi quae erga ipſum in officio obligatio fuit, haec iam ſua ſponte exſpirauit. Vt taceam, magiſtratus conſtituere principem ea autoritate, quam a republica accepit: magisque adeo magiſtratus toti reipublicae obſtringi, quam principi, ſi huius commoda illius ſaluti aduerſentur. In collegam quae deſignauit Brutus, ea ita defendit Cicero: (z) *Cum Collatino Tarquinio collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id iniuſte: fuerat enim in regibus expellendis ſocius Bruti, conſiliorum etiam adiutor. Cum autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem ſuperbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni eſſe tollendam: quod erat vtile patriae conſulere, id erat ita honeſtum, vt etiam ipſi Collatino*

(y) *lib. I. cap. IV. p. 26.* (z) *de officiis lib. III. p. m. 451.*

tino placere debebat. Itaque vtilitas valuit propter honeſtatem, ſine qua nec vtilitas quidem eſſe potuiſſet. Hoc ſibi vult Cicero, facinus illud ob vtilitatem, quam inde percepit patria, honeſtum fuiſſe. Etenim cum priuatorum commoda patriae & reipublicae cedere debeant, haud dubio non peccat, qui incommodis quibusdam eos ſubiicit, vt patriae conſulat. Non qualiscunque autem vtilitas, ſed magna, immo ipſa ſalus reipublicae, hic intelligitur, vt per ſe patet. Non recte itaque Ciceronis mentem aut percepit, aut retulit Albericus Gentilis, (a) dum eum ſcribere ait, *factum Bruti non admodum cum honeſtate coniunctum*, eo colore defendi poſſe, *quod patriae extiterit vtiliſſimum.* Nimirum quia patriae vtiliſſimum, ideo & omnino honeſtum dixit Cicero. Quod vero primo loco contra Brutum affert Albericus Gentilis, id fateor, maioris momenti eſt, nec tamen facile definiendum, cum arcaniora conſilia, & intimos mentium receſſus, in illis, qui talia perpetrant, nobis introſpicere datum non ſit: externa autem ambiguae ſunt interpretationis.

§. XLIII. Cum, expulſis regibus, reipublicae Romanae adminiſtratio ad conſules eſſet translata, dictatorem quandoque, ſi reipublicae id exigeret neceſſitas, conſtituere

(a) *loc. cit.*

tuere placuit, quem penes belli tempore ſumma rerum eſſet, vt ex arbitrio atque nutu ſuo cuncta gerere poſſet. Sed ne in tyrannidem, aut regium iterum imperium, haec poteſtas abiret, eam itidem temporariam eſſe voluerunt Romani. Namque bello confecto, aut negotio peracto, cuius gratia dictator conſtitutus erat, ad priſtinam vitae eum rediere oportebat conditionem. Cincinnatus dictator creatus belli gerendi cauſa, cum intra dies quindecim hoſtium copias fregiſſet, ac bellum confeciſſet, dictaturam ſtatim abdicauit. Seruilius Priſcus intra diem octauum, Mamercus eodem ipſo die, quo dictator dictus eſt.

§. XLIV. Sapienter hoc ita fuiſſe conſtitutum, nemo dubitauerit, pluribusque comprobat Nicolaus Machiauellus. (b) Bella vix vnquam feliciter geruntur, penes plures ſi ſumma rerum ſit poteſtas. Aſt haec ne noxia Romanae libertati eſſet, aptiſſimum erat, ad tempus eam vni concedere. Sed hic illa exoritur quaeſtio, ſuper qua iampridem inter eruditos concertatum, an ſummo imperio, ſeu maieſtate, vt vocant, praediti fuerint Romani dictatores? Abnuit hoc, vir acerrimi ingenii, Ioannes Bodinus, (c) quem praeter alios hic ſequitur Samuel

(b) *diſcurſib. in Liu. lib. I. cap. XXXIV.* (c) *de repub. lib. I. cap. VIII.*

Digitized by Google

Pufendorfius. (d) Affirmat contra, vt alios nunc taceam, Henninges Arniſaeus, (e) qui magno conatu hoc agit, vt maieſtatem dictatoribus aſſerat, eumque ſequitur cum Lampadio Hermannus Conringius. (f) Et Conringius quidem ad veterum conſenſum prouocat. *Non eſt*, inquit, *quod quem turbet Bodini & aliquot ſectatorum exiſtimatio, cum longe & numero plures, & doctrina praeſtantiores, non noſtri duntaxat aeui, ſed veteris, in facili ſit auctores adducere. Ita enim vtique ſenſiſſe Liuium, Ciceronem, Polybium, Dionyſium Halicarnaſſenſem, Plutarchum, Pomponium, Eutropium, Lucium Ampelium, aliosque certum eſt, nec ſolet negari ab iis, qui diſſentiunt.*

§. XLV. Conſtat vero, ipſique obſeruatum eſt Conringio, non ſemper dictaturae eandem fuiſſe auctoritatem, & interdum eam nonnihil fuiſſe reſtrictam, ſiue vim intimam poteſtatis attendas, ſiue res ipſi commiſſas. Interdum enim ad certos tantum actus dictatores fuere conſtituti, vt claui figendi cauſa, aut comitiorum, aut feriarum, ſiue ludorum, aut ſenatus legendi, aut quaeſtionum exercendarum. Horum itaque munus multum diuerſum fuit ab eorum dignitate, qui *rei gerendae cauſa* creati

(d) *de I. N. & G. lib. VII. cap. V. §. XV.* (e) *Select. politic. lib. II. cap. II. ſect. XV.* (f) *annot. ad Lampadii part. II. §. VIII.*

Digitized by Google

ti dicebantur. Prioris quidem generis dictatores non gauisos fuisse summo imperio, positum extra litem est. Ast de illis, qui rei gerendae gratia, aut, vt Festus (g) loquitur, optima lege fuere constituti, haud immerito dubitatur.

§. XLVI. Ast horum quoque, nisi me omnia fallunt, iis limitibus circumscriptam fuisse potestatem, vt pro summo imperio haberi nequeat, multa historiae Romanae monumenta produnt. Dictatoribus non fuisse fas, vel creare, vel deiicere tribunos plebis, Plutarchus docet. (h) Cumque aliquando bini fuerint aequali dictatoria potestate, Q. Fabius Maximus, & Minutius, diuisis inter se negotiis, huic eos praefuisse muneri facile coniicias, sicut & legiones omnemque reliquum exercitum hi inter se diuisere. Ex quo colligas, non ad quaeuis olim dictaturae vim pertinuisse. Sed vero & in iis, ad quae pertinuit, certis limitibus circumscriptam fuisse hanc potestatem, vel illud argumento erit, quod a dictatore ad populum prouocare fas fuerit, vt diserte testatur Festus. (i) Sic contra Papirium dictatorem, vt auctor est Liuius, ad populum prouocauit M. Fabius: & contra M. Furium Camillum dictatorem ple-

(g) *voc. optima. lex.* (h) *quaest. Rom. LI.*
(i) *l. c.*

biscitum conditum: *vt si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentorum millium aeris ei multa esset,* (k) vt reliqua exempla, ex eodem Liuio haurienda, nunc praetermittam.

§. XLVII. His rationibus Ioannes Bodinus addit, quod dictatoris non perpetua fuerit potestas. Sed negat Conringius, *perpetuitatem esse summae cuiuslibet potestatis necessarium requisitum*, qui & auctoritate Hugonis Grotii, (l) idem asserentis, se tuetur. Ego tamen aliter sentio. Etenim hoc ipso, dum ista potestas fuit temporaria, non potuit esse ἀνυπεύθυνος, id quod tamen ad summum imperium seu maiestatem requiritur. Cur enim non fuit perpetua? Ideo, quia ad certum tempus tantum fuit constituta a republica: ergo fuit dependens ea potestas, ergo non summa. Praeterea ex eo, quod ad certum tempus collata fuit, sequitur etiam, certos tantum eam respexisse actus. Confecto bello, depulso periculo, cessabat ista potestas. Ergo se non ad omnia, quae sunt in republica, extendebat, ergo non fuit summa potestas. *Duratio* equidem, vt Hugo Grotius ait, *naturam rei non immutat*; sed addendum, nisi natura rei cum ipsa duratione tam arcte coniuncta sit, vt hac mutata, illa quoque non possit non immutari.

§. XLVIII.

(k) *lib. VI. c. XXXVIII.* (l) *de I. B. & P. lib. I. c. III. §. XI.*

Digitized by Goo

§. XLVIII. Validius adhuc, vt ipſe fatetur Conringius, dictaturae ſummam poteſtatem oppugnat prouocatio ad populum. Regerit vero, illam ſero coepiſſe, & cum *immutato iure*, neutiquam vero *optima lege*, idque ex Feſto conſtare, pariter ac Liuio, aliisque. Atque iſtud quidem rerum Romanarum non imperitus haud abnuet. Nihil tamen obſtat, quo minus & illorum dictatorum, a quibus prouocare non licuit, non alia quam magiſtratuum fuerit poteſtas. Etenim quantacunque iſta auctoritas fuerit, a populo tamen tantum ideo conceſſa fuit, quod reipublicae neceſſitas ad certum tempus eam requireret, ponendaque iterum fuit ad populi arbitrium. Potuerunt itaque dictatores quidam a prouocatione ad populum eſſe exempti, vt tamen non ſtatim ſummo gauderent imperio. *Neque abſurdum eſt*, inquit Pufendorfius, (m) *dari magiſtratum, a quo, ſaltem in certo negotiorum genere, prouocatio non concedatur.* Eſto itaque, nullum in hiſtoria Romana reperiri exemplum, ratihabitae prouocationis contra dictatorem, quod operoſe eundo per ſingula euincere annititur Conringius, nihil hoc nobis obſtat. Namque & gaudere hoc iure, & eſſe tamen ſimul tantum magiſtratus, extraordinaria tamen poteſtate

(m) *l. c.*

gaudentes potuerunt. Certe, qui cauſam, rationem, finem conſtitutae dictaturae ſecum reputauerit, qui reipublicae Romanae ſtatum, eo tempore, ſecum expenderit, & quam inuiſa Romanis fuerit regia poteſtas, regium ac monarchicum imperium, vix ſibi perſuadebit, voluiſſe eos conſtituere poteſtatem, quae ſupra populum eſſet, & cui ad regiam praeter durationem nihil deeſſet. A noſtra itaque nihil eſt, quod nos dimoueat ſententia.

§. XLIX. Expulſos Tarquinios ingentibus copiis reducere annitebatur Porſenna, rex Etruſcorum. Quocum bellum gerentibus Romanis, Mutius Scaeuola regem per inſidias in caſtris ipſis adgreditur, ſed cum pro rege ſcribam obtruncaſſet, caperetur-ve, ardentibus focis iniicit manum, terroremque geminat dolo. *Vt ſcias*, inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti iurauimus.* Cum interim hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. (n)

§. L. Magnum animum, dolorisque & mortis contemptorem, quis non miretur? Nec tamen haec obſtant, quo minus ipſum vituperandum ſit facinus. Laudat Cicero, (o) laudat Valerius Maximus, (p) laudant alii, praeſertim ii, qui Romanam unquam non lau-

(n) *Florus lib. X. cap. X. Liuius lib. II. cap. X. & reliqui.* (o) *pro Sextio.* (p) *lib. III. cap. III.*

Digitized by Google

laudanda putant. Ipſe Porſenna, ſi quosdam audias, nihil niſi virtutem in eo agnovit. Sed faceſſant teſtimonia, cedant auctoritates. Laudare facinus, quod a Romanis laudatum ſit, ineptum. Illis ſaltem ita videbitur, qui ſub tanta virtutis ſpecie nequitiae & iniquitatis documenta vberrima deprehendunt.

§. LI. Multa hic concurrunt. Inſidiae, fraudes, mendacia, animusque ingratus. Sed iſta quidem nunc transeant. Daboque hoc Alberico Gentili, Scaeuolam defendenti, & inſidias ſtruere, & fraudes adhibere, & mendaciis vti, non eſſe nefas, ſi cum hoſte res ſit, quem quouis laedere modo abrupto ſocietatis vinculo, liceat. Animi ingrati labem abſtergat amor erga patriam. Debebat aliquid Etruſcis Scaeuola, aut Porſennae, plus debebat patriae. Hoc ergo ſupereſt, rectene in ſe percuſſoris ſuſceperit munus. Hoc caput cauſae eſt. Regum ſanctitas, gentium mores, obſtare videntur, ne laudemus, qui in reges principesque eiusmodi quid audent.

§. LII. Sunt vero percuſſores non vnius eiusdemque generis. Nonnulli caedi perfidiam addunt, ſi ciuis principi, ſi ſeruus domino inſidias ſtruat, vitamque eripere audeat. Hos aut laudare aut excuſare, id

quidem esset, laudare aut defendere manifestissima scelera. Nec immunes criminis sunt, qui hos ad facinus perpetrandum sollicitant, impellunt, hortantur. Fidem datam non seruare, semper nefas. Ad id vero, quod omnium iudicio nefas est, qui alivm impelleret, num innocens esset? Sententiam philosophi ferant, quorum iampridem hoc extitit effatum, criminis non minus reum esse qui perpetrauit, quam qui, vt perpetraret, auctor fuit, aut suasor, aut hortator. Hostis est, inquiunt, quem ferit. Tvs quidem, non percussoris. Tibi ergo hostem laedere fas fuerit, non ciui regem, non seruo dominum. Hic ergo, si peccat, criminis profecto non erit purus, qui, vt peccaret, induxit.

§. LIII. De illis, qui peregrini sunt, nec vllo vinculo principi obstricti, aliter pronunciandum. Sed addendum, si is, cuius sequuntur partes, bellum iustum gerat. In iniusto nihil recte, nihil iuste peragitur. Hoc ergo de Scaeuola cogitandum. Hostem adortus est. Hoc sufficit. Siue hoc solus, siue cum aliis in praelio faceret, quid intererat? Eo ergo res redit, an recte Porsenna arma intulerit Romanis? Recte, si hos eiecisse Tarquinios statuamus, minus recte Porsennam eos reducere voluisse, concludamus par est. Nec mores gentium nos mo-

morentur. Hos laudarem, si bonorum tantum principum vitae, & incolumitati, praesidio essent. Iam vero, quicquid in moribus gentium humanitatis & venerationis erga principes speciem praefert, eo comparatum est, vt improbis, & per hominum caedem, per regnorum stragem, per gentium ruinam, ad imperium grassantibus, tuto & impune quiduis committere liceat.

§. LIV. In eodem bello, quod cum Porsenna Romani gesserunt, Claeliae virginis quoque eluxit virtus. Virtutem saltem vulgus vocabit, immo Florus *virtutis monstrum*. Haec quippe, cum aliis regi obses data, impetrat, vt in flumine lauare liceat. Custodibus ergo remotis Tiberim transnatat, fugnque sibi consulit. Immemor vtique fuisse videtur, pro obside se Porsennae datam, aut non satis, quae obsidis partes sint, intellexisse. Valerius itaque Publicola populusque Romanus hoc minime adprobarunt facinus, sed ad Porsennam eam remiserunt, vt auctor est Plutarchus. Porsenna ipse virilem Claeliae laudauit quidem animum, foedus tamen pro rupto se habiturum professus est, ni obses reddatur. (q)

§. LV. Nec tamen, an peccet semper, qui fugam arripit obses, inter se conueni-

(q) *Florus lib. I. cap. X. Liuius lib. II. cap. X. Plutarchus in Valerio Publicola, &c.*

vnt. Videndum aiunt, num fidem obſes ipſe dederit aut ſua ſponte, aut forte vt laxius haberetur: an contra, nullo intercedente eiusmodi pacto, a ciuitate fuerit traditus. Si fidem ipſe obſes dederit, eum fugere non poſſe, manifeſtum eſt. Datam migrare fidem, nefas eſt. Nullo autem ſi ipſe ſe obſtrinxerit pacto, nihil obſtare autumant, quo minus auffugiat: cum non is animus fuiſſe videatur ciuitatis, alligandi civem, ne fuga ſibi conſuleret. Ita quidem iſti rationes ſubducunt.

§. LVI. Falluntur tamen perperamque ſentiunt. Ciuitas enim, cum obſidem tradit, omnino eum obligat, ne auffugiat. Hoc ni faciat, fruſtra obſidem tradere, & agere quid, quod effectu careat, videtur. Hoc ſibi perſuadere, ineptum. Praeterea, ſi obſidem traderet, vt integrum tamen illi eſſet, fugere; tum hoc faceret, aut quod non vellet eum permanere, aut quod eum ad hoc obſtringere non poſſet. Illud non admittas, cum obſes vt fidei pignus certiſſimum tradatur. Alterum prorſus falſum eſt. Si enim ciuitati ex imperio, quod vocant, eminenti, licet vitam ciuium periculo exponere, quidni libertatem? quidni liceret eum obſidem dare? Immo ſi hodie mos ille maneret, ea lege obſides tradendi, vt, ni promiſſis ſuis ſtaret ciuitas, fas eſſet illos interficere,

Digitized by Google

cere, & id per naturae leges facere posset civitas.

§. LVII. Quae cum ita sint, non posse excusari Claeliam virginem, palam est. Siue enim consenserat in id, vt obses traderetur, siue non consenserat. Illud si fuit, eo minus excusari potest. Sin hoc dicas, iure tamen obstricta fuit ciuitati, & ideo manere debuit, quod, quae eam tradidit, id voluerit respublica. Incaute ergo nimis, & parum circumspecte agunt, qui, quaecunque eis se offerunt in historia Romana, promiscue laudant.

§. LVIII. Rapidissimum procurrentis imperii cursum, parum per Gallorum Senonum incursio morata est. Quod tempus populo Romano vtrum clade funestius, an virtutum experimentis speciosius fuerit, dubitat Florus. Enituit in eo praecipue virtus M. Manlii, quippe quo duce iuuentus Romana capitolini martis arcem insedit, tantaque fortitudine & constantia Gallorum insultus repulit, vt, accepta certa auri summa, recedere cogerentur. Sed paulo post eundem Manlium, affectati regni reum, tribuni de Saxo Tarpeio deiecerunt. Qua quidem de re Liuius, (r) Diodorus Siculus, (s) Aurelius Victor, (t) aliique (u) pluribus exponunt.

§. LIX.

(r) *lib. V. cap. XXXVI.* (s) *lib. XIV.* (t) *de viris illustribus cap. XXIV.* (u) *Florus lib. I. cap. XIII. Valerius Maximus lib. VI. cap. III.*

§. LIX. Id euincendum primo loco erat, criminis, cuius poſtulatus, reum quoque fuiſſe Manlium. Ea de re non immerito dubito, cum dubitare videam ipſum Liuium.(x) *Cum dies venit*, inquit, *quae praeter coetus multitudinis ſeditioſasque voces, & largitionem, & fallax indicium, pertinentia proprie ad regni crimen, ab accuſatoribus obiecta ſint reo, apud neminem auctorem inuenio.* Ingenua confeſſio. Sed nollem, quae ſubiicit, addidiſſet Liuius: *nec dubito, haud parua fuiſſe, cum damnandi mora plebi non in cauſa, ſed in loco fuerit.* Perinde enim hoc eſt, ac ſi dixiſſet, quia magno impetu ad eum damnandum concitata plebs fuit, ideo recte damnatum fuiſſe. Nec vna ratione in hoc Manlii iudicio peccatum, vti iam oſtenſum eſt ab aliis.

§. LX. Nobis vero id ſaltem reuocare ſub examen conſtitutum eſt, an, ſi reus criminis ſit, hoc non, ob maxima eius in rempublicam merita, illi fuerit remittendum? Ipſum populum Romanum, cum ſuae mox ſeueritatis poeniteret, in hanc fere credo deſcendiſſe ſententiam. Aliam mutatae voluntatis cauſam refert Liuius, ſuperſtitionem, cui tamen haec ſubeſſe quodammodo potuit, niſi prorſus innocentem deinceps iudicauerit, quod ille tamen non innuit. *Populum breui poſtquam periculum ab eo mul-*

(x) *l. c.*

Digitized by Google

nullum erat, per ſe ipſas recordantem virtutes, deſiderium eius tenuit: peſtilentia etiam breui conſecuta, nullis occurrentibus tantae cladis cauſis, ex Manliano ſupplicio magnae parti videri orta, violatum capitolium eſſe ſanguine ſeruatoris: nec Diis cordi fuiſſe, poenam eius oblatam prope oculis ſuis, a quo ſua templa erepta e manibus hoſtium eſſent.

§. LXI. Hugo Grotius, (y) poſtquam contra Stoicos euicit, omnino poenam aliquando remitti aut mitigari poſſe, cauſas, propter quas aliquis a poena legis liberari ſoleat, vel *internas*, vel *externas* eſſe, aſſerit. Internam quidem vocat, cum, ſi non eſt iniuſta, dura tamen eſt poena, ad factum comparata. Vt cum, qui contra mandatum principis feram ceperunt, capitali afficiuntur ſupplicio. Externam autem, quando reus ex merito, ſiue alia re commendatur. Ius itaque aliquando gratiae dandum, & ob inſigne meritum, aut remittendam aut mitigandam poenam, ſtatuit. Eadem in ſententia, vt reliquos nunc taceam, verſatur Cicero: (z) *Oportet eum, qui ſibi vt ignoſcatur poſtulat, commemorare ſi qua ſua poterit beneficia: & oſtendere, ea maiora eſſe, quam haec, quae deliquerit, vt plus ab eo boni, quam mali profectum eſſe videatur. Deinde maiorum ſuorum beneficia, ſi qua extabunt, proferre* &c. Exemplis prae-

(y) *lib. II. de I. B. & P. cap. XX. §. XXVI.* (z) *de inuent. lib. III.*

praeterea conſtat, etiam apud Romanos quandoque ius gratiae datum, virtutisque & meritorum maiorem habitam fuiſſe rationem, quam delicti.

§. LXII. Reclamant prudentiae ciuilis magiſtri. (a) Aequum eſſe, vt magnorum virorum praemiis compenſentur praeclara facinora. Vt poenae remiſſione aut mitigatione compenſentur, tam iniquum eſſe, quam id noxium reipublicae. Non poſſe ſancte ſatis cuſtodiri leges. Vel vnicum impune migratae legis exemplum ſatis eſſe, vt euileſcat, vimque omnem amittat ac auctoritatem. Rempublicam autem tamdiu ſaluam eſſe, quamdiu legibus ſua conſtet auctoritas. Idque eo magis, quando crimen ad ea pertinet, quibus iura reipublicae continentur, de quibus violandis vel cogitare nefas. Recte ergo punitum Manlium: nec enim tanti fuiſſe, non compenſare merita, quanti fuerit, non punire vel cogitatum facinus, quod perniciem afferre reipublicae potuiſſet.

§. LXIII. Expediri itaque res ea ratione poteſt, vt a diuinis humanas diſcernamus leges. In illis, quae a Deo ipſo conſtitutae ſunt poenae, modo conſtitutae ſunt, ab homini-

(a) *Scipio Amiratus diſſert. politic. lib. II. diſcurſ. VII. Machiauellus diſcurſ. in Liu. lib. I. cap. XXIV.*

Digitized by Google

minibus tolli aut mitigari nequeunt. In humanis ad cauſam rationemque legis, cumprimis ad ſalutem incolumitatemque reipublicae reſpiciendum eſt. Si ratio, quae ſanctiſſime obſeruari legem iubet, ceſſet, nihil obſtat, quo minus remitti poena queat, idque tum eo magis, ſi praeclara eius, qui deliquit, merita accedant. Hinc & Hugo Grotius, (b) cum dixiſſet, ob meritum remitti poenam poſſe, recte addit: *quod cauſae genus tum maxime ſufficiet, ſi ratio legis, ſaltem particulariter, ceſſet, in facto, de quo agitur.* Idem vero de commodo & ſalute reipublicae cenſendum. Ob hanc enim tantum cum & leges & poenae conſtitutae ſint, oppido inhumanum eſſet, punire bene meritum, licet hoc reipublicae non magnopere proſit, aut ad eius etiam conſeruationem non ſit neceſſarium. Et haec quidem omnia ſedulo conſideranda ſunt, ſi de Manlio ferre ſententiam velimus. Ego quidem, ſi nocens fuit, recte punitum non dubito, cum nec merita eius tum delicti gravitatem aequaſſent, & reipublicae ratio omnino eiusmodi poenam exegiſſet.

§. LXIV. Deuicta & ſubiugata Italia, ad exteras gentes transferre arma placuit. Obſtabant cumprimis Carthaginienſes. Atrocis-

(b) *l. c.*

ciſſima hinc inter hos & Romanos exarſere bella. Quid mirum? Eodem namque tempore pares vtrique & votis, & viribus, imperium orbis agitabant. Et in primo quidem bello punico immortale adeptus eſt nomen M. Attilius Regulus. Hoc duce proſpera initio omnia ac fauſta Romanis. Sed a Xanthippo tandem Lecedaemoniorum duce, quem Carthaginienſes accerſiuerant, victi praelio Romani, duxque ipſe captus. Sed hic quidem par tantae calamitati fuit. Romam namque miſſus, diuerſa, quam hoſtes mandauerunt, cenſuit, ne pax fieret, ne commutatio captiuorum reciperetur. Rediit deinde, vt hoſti quoque datam ſeruaret fidem, Carthaginem, ne quicquam aut carceris punici moleſtiam, aut crucis ſupplicium metuens. Sunt, qui reſectis palpebris, & in machina illigatum, vigilando enecatum dicunt. (c)

§. LXV. Hunc M. Attilium Regulum itaque maximis in caelum euehunt laudibus Romani ſcriptores. Nec immerito, ſi quod ex laudis & gloriae cupiditate profectum, ſimulque ad certiſſimum opprobrivm declinandum comparatum fuit, laudem me-

(c) *Florus lib. II. cap. II. Valerius Maximus lib. I. cap. I. & lib. IX. cap. II. A. Gellius N. A. lib. VI. cap. II. & IV. Cicero officior. lib. I. cap. XIII. Auguſtinus de C. D. lib. I. cap. XV.*

Digitized by Google

meretur. Licet enim nonnullis parum conſulto, pacem Romanis, & captiuorum reſtitutionem diſſuadendo, & ſe ipſum vita, & rempublicam bono ciue & duce priuaſſe videatur: nihiloſecius tamen, poſtquam Romanis conſtitutum erat, vtrumque denegare Carthaginienſibus, recte quidem fecit, dum ad vincula rediit. Idque non ideo, quod pulchrum ſit, *memorabilem & in opere virtutis mori*, quae quorundam eſt ſententia, ſed quia fidem dederat, quam hoſti etiam ſeruandam ratio iubet. Clariſſime hoc demonſtrat Hugo Grotius, qui & hoc ipſo Reguli exemplo vtitur, & eum non glorioſe ſaltem, ſed illud, quod facere debebat, feciſſe, recte pronunciat. (d) Accedit, quod fidem datam iureiurando confirmavit, quod ſancte eſſe ſeruandum & ratio dictitat, & communia ſaniorum gentium ſuffragia teſtantur. Non deerant equidem, qui *poſtliminii* praetextum oſtenderent, periurii nexum & religionem hoc ipſo demere cupientes: (e) ſed Regulus *ſolidioris ſapientiae placita tenuit*, vt Io. Henricus Boeclerus loquitur, (f) (an ſatis accurate, videant, alii) *& ad ſupplicia reuerti, quam diſſoluere religionem maluit.*

(d) *lib. III. cap. XXIII. §. VI.* (e) *vid. Eutropius lib. II. & metaphraſis Paeanii.* (f) *in milite captiuo pag. 15.*

Digitized by Google

§. LXVI. Praeterea ad commendandum Reguli facinus pertinet, quod captiuorum redemptio non ſalutaris patriae ſit, & plurima ſecum incommoda vehat. Ea ſummatim, Reguli exemplum exhibens, complectitur Horatius: (g)

Hoc cauerat mens prouida Reguli,
Diſſentientis conditionibus
Foedis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in aeuum,
Si non periret immiſerabilis
Captiua pubes &c.

Et paucis interiectis:

Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum. Neque amiſſos colores
Lana refert, medicata fuco.
Nec vera virtus, cum ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerua plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus,
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners timuitque mortem.

Sed quantacunque ea commoda ſint, maius tamen eſt incommodum, quod haud raro optimis fortiſſimisque ciuibus respublica pri-

(g) *Horatius carm. lib. III. ode V.*

Digitized by Google

priuetur, ſi redemtio captiuorum locum non inueniat. Accedit, quod & iniquum & inhumanum ſit, milites, haud raro praeter omnem culpam ſuam eo deductos, hoſtium arbitrio permittere. Quam ob rem in Reguli facinore haec ſedulo ſunt diſcernenda, quod fidem datam ſeruauerit, & quod liberationem ex captiuitate reſpuerit. Prius haud dubio laudandum. Poſterius tum demum, ſi plane e re ciuitatis Romanae fuerit, eiusque in eo conſtiterit ſalus, vt traderent potius Regulum Carthaginienſium furori, quam aut pacem cum eis facerent, aut captiuos permutarent.

§. LXVII. Licuitne ergo Carthaginienſibus tanta ſaeuitia vti erga Regulum? Ego quidem, minime licuiſſe, arbitror. Aut enim ob delictum eum punierunt, aut ex captiuitatis iure. Commiſiſſe Regulum, quod poena aut animaduerſione dignum, ego non inuenio. Fortitudo & fides in patriam, ſuamque rempublicam, in hoſte quoque laudanda, non punienda erat. Nec quod captiuus eſſet, puniri poterat. Licet vtique belli iure, hoſtem, ſiue miles is gregarius, ſiue belli dux ſit, quamdiu nobis nocere poteſt, interficere. Hoc & finis & ratio belli requirit. Poſtquam captus eſt, & iam abductus, cum omnes nocendi vires ei iam tum ademptae ſint, egoque non intelligam,

quo pacto ex militis aut ducis caede tunc ad bellum finiendum aliquod momentum accedere queat; summum nefas esse arbitror, aut vitam illis eripere, aut alia quacunque ratione in illos saeuire. Mores itaque cultiorum gentium, captiuos custodientium, donec aut redimantur, aut cum aliis permutentur, plane rationi conuenientes arbitror. Sed permutationem disuaserat Regulus? Ergo poterat & debebat retineri in captiuitate: puniri ideo non poterat. Nec enim ad summam belli quidquam hoc ipso proficiebant Carthaginienses. Accedebat modus supplicii cum barbara crudelitate coniunctus, & adeo ab humanitate, quam ratio suadet & iubet, alienus.

§. LXVIII. In secundo bello punico Romanos ad incitas fere redegit Annibal, Carthaginiensium dux fortissimus. Hunc adhuc puerum pater Hamilcar ad aram iurare iussit, quod nunquam cum Romanis in amicitia esse vellet. Rem pluribus exponunt Polybius, (h) Liuius, (i) Appianus, (k) Valerius Maximus, (l) alii. (m) Et Annibal quidem religiosissime illud obseruauit, dum inimicum erga Romanos animum non nisi cum vita posuit. Id quod tum res ab eo

(h) *lib. III. cap. XIII.* (i) *lib. XXI. cap. I.* (k) *in Annibalicis.* (l) *lib. IX. cap. III.* (m) *Silius Italicus. I. 77. Florus lib. II. cap. VI.*

Digitized by Google

eo geſtae docent, tum confeſſio ad Antiochum regem euincit, comprobatque. Rectene autem pater ad illud eum induxerit iusiurandum, & an eodem obſtrictus fuerit, iure dubites.

LXIX. Nullum vinculum ad adſtringendam fidem arctius iureiurando ipſi ethnici cenſuerunt, vt locuples teſtis eſt Tullius. (n) Nec id quidem immerito. Simul tamen conſtat, poſſe homines, imprudenter & incaute iureiurando ſe obſtringendo, in eam ſe coniicere conditionem, incertum vt dubiumque ſit, turpiusne ſit, iurisiurandi inſuper habere religionem, quam perficere ad quae nos obſtrinximus. Hic ergo quid facto opus, quae ineunda ſit via, id quidem eſt, de quo disquiſitio ſubinde inſtituitur.

§. LXX. Nos tantisper ponimus, quod ab aliis euictum eſt, & demonſtratum, iusiurandum per ſe non producere nouam obligationem, ſed ei, quae iam antea aderat, adceſſorium velut vinculum ſuperuenire, eamque confirmare. Dum enim iuramus, ſupponimus aliquid, quo non praeſtito, divinam in nos prouocamus poenam. Atque ineptum hoc eſſet, niſi illicitum foret, non praeſtare id quod ſupponitur, adeoque niſi iam antea obligaremur. Quod non ſatis

(n) *lib. I. de offic. p. m. 50.*

Digitized by Google

ſecum perpendit Hugo Grotius, (o) qui omnino duplicem obligationem ex iureiurando enaſci arbitratur. Nam & Deo & homini ius quoddam inde acquiri, contendit. Perperam quidem. NonDeo,quia,qui iurat, nihil Deo,ſed hominibus promittit: licetDevm vt teſtem & vindicem inuocet. Nec enim obligatio, quam Deus vt ſupremus imperans omnibns ad obſequendum ſibi imponit, cõnfundenda cum ea, qua alteri ad aliquid praeſtandum ex promiſſi lege tenemur. Non homini, quia promiſſum iam adeſſe debet, cuius tantum per iusiurandum confirmatur obligatio. Ex quo & ſua ſponte conſequitur, ſi quid promiſimus, quod in viribus noſtris poſitum non eſt, aut ſine crimine promitti & perpetrari nequit, tum quidem nec iureiurando, ſi acceſſerit, nos obſtringi.

§. LXXI. In eo, quo Annibal ſe obſtrinxit, iureiurando, haec omnia ſollicite ſunt conſideranda. Non dicam,iuraſſe puerum, rationis vſu forte non vsquequaque valentem, immo patris auctoritate & inſigni cupiditate, patrem ad bellum proficiſcentem comitandi, praepeditum: quanquam nec haec contemnenda ſint, & vt iuriiurando ſua decedat efficacia, multum conferant. Hoc ſaltem aſſero, non potuiſſe ſine crimine aut

(o) *lib. II. cap. XIII.*

Digitized by Google

aut exigere talia a filio Hamilcarem, aut promittere Annibalem. Bella non ſunt gerenda ex odio, ſed ex reipublicae commodo ac neceſſitate. Sine cauſa iuſta ſe populi cuiusdam hoſtem profiteri, ſaltem vt hoſtes ſimus, id quidem & barbarum eſt, & atrox, & cum clariſſima naturae lege, alterum non laedendum, niſi idem & nos laeſerit, e diametro pugnat. Quare vt grauiſſime vterque peccauit, in re iniqua iusiurandum aut exigendo aut praeſtando, ita Annibal eodem obſtrictus non fuit. Immo grauius peccauit, & perficiendo, quae ſaltem promittere nefas erat, quam iurisiurandi ſi migraſſet religionem, cuius nulla efficacia erat, nullum vinculum.

§. LXXII. Sed aliud adhuc in hiſtoria Annibalis occurrit, quod nobis plane praetermittendum non eſt. Ex patria in exilium eiectum, cum per varia regna prouinciasque erraſſet, excepit tandem Bithyniae rex Pruſias. Romani, poſtquam hoc intellexerunt, a rege petierunt, ne hominem ſibi inimiciſſimum ſecum haberet, ſed eum vt dederet. Pruſias ius hoſpitii non violaturus, ſe quidem dedere poſſe Annibalem negauit, permiſit tamen, vt Romani, ſi poſſent, eum caperent. (p)

(p) *Cornelius Nepos in vita Annibalis cap. XII.*

§. LXXIII. Vt civitas aut princeps ciuem ſuum, ſibique ſubiectum, ab alia ciuitate, ad quam forte ſe recepit, dedi ſibi poſtulet, ſi quidem is deliquit, infrequens non eſt. Ratio quoque iubet, vt, qui ad nos poenam declinaturus confugit, aut puniatur a nobis, aut dedatur. Id vero inſolens videri alicui poterat, hoſtem, qui ciuis noſter non eſt, ab alio, ad quem ſe recepit, poſtulare. Nec tamen exempla deſunt. Samſonem ſibi tradi ab Ebraeis poſtularunt Philiſtaei: (q) Fabiosque a Romanis ſibi dedi, poſtularunt Galli, (r) vt reliqua, Hugoni Grotio (s) commemorata, taceam.

§. LXXIV. Sane quidem ad poenam hoſtis expeti nequit. Punire aliquem, qui noſtro non ſubiectus eſt imperio, nefas eſt. Perſequi hoſtem, vbicunque degat, licet. Cumque illi, quibuscum nobis nulla intercedunt bella, ſuas regiones armis turbare aegre ferant: nihil amplius ſupereſt, quam vt tradant ipſi, cui nocendi adimi vires, noſtra intereſt magnopere. Annibal ergo vt ſibi traderetur, recte petierunt Romani. Num Pruſias recte denegauit? Obſtabat, fateor, hoſpitii ius. Aſt magis hominum generis intereſt, vt coerceantur, qui iniqui in

(q) *Iud. XV.* (r) *Liuius lib. XXXVIII. cap. XIX.* (s) *lib. II. cap. XXI. §. IV.*

Digitized by Google

in alios ſunt, & bella iniuſta mouent, quam vt hoſpitii non violentur iura. Et reuera hoc iam violauerat Pruſias, permittendo Romanis, vt, ſi poſſent, Annibalem caperent.

§. LXXV. Ad illuſtre nunc Romanae hiſtoriae caput deuoluimur, quod ampliſſimum disceptandi argumentum viris doctis praebuit, *ſponſionem Caudinam.* Occaſionem huic dedit bellum Samniticum. Clauſo enim per inſidias intra ſaltum, vnde non poſſet euadere, exercitu, ſtupens occaſione tanta dux hoſtium Pontius, Herennium patrem conſuluit: & hic, mitteret omnes, vel occideret ſapienter, vt ſenior, ſuaſerat. Ille armis exuros mittere ſub iugum maluit, & hoc cum ſubiiſſent, tum eos ſe dimiſſurum edixit, ſi in aequas victis & victoribus paces conſentirent. Si agro Samnitium decederetur, coloniae abducerentur, ſuis deinde legibus Romanum ac Samnitem, aequo foedere victurum. Conſentiunt, vrgente neceſſitate, tandem Romani excercitus praefecti, ſpoponderuntque conſules T. Veturius & Sp. Poſthumius legati, tribuni militum, obſides etiam ſexcenti equites fuere dati, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur. At cum Romam veniſſent, deque hac pace deliberatio in ſenatu inſtitueretur, auctor fuit ipſe Poſthumius, vt cum reliquis ſponſoribus ipſe Samnitibus dederetur,

tur, populum enim ex hac ſponſione neutiquam obligari: adprobante hoc conſilium populo, tribunis fruſtra renitentibus. Immo cum deditio a feciali Samnitibus fieret, Poſthumius femur fecialis genu, quanta maxime poterat, vi percutit, & clara voce ait: ſe Samnitem ciuem eſſe, illum legatum, fecialem a ſe contra ius gentium violatum, eo iuſtius bellum geſturos. Hinc noua belli cauſa, quod Papyrio duce geſtum eſt. (t)

§. LXXVI. Celebratur hoc Poſthumii facinus paſſim. Nec enim Romani ſcriptores vllam temere occaſionem, ſuorum facta, quantumuis turpia, aut praedicandi, aut excuſandi praetermittunt. Magnifice, vt Florus cenſet, conſules voluntaria deditione turpitudinem foederis dirimunt. Sed aliter forte pronunciabit, qui praeiudicatis, quae mentem obſident, procul remotis opinionibus, rem omnem conſiderauerit. Quod vt recte fiat, ponere tantisper, quae de ſponſionibus, harumque a foederibus discrimine, ſapientiae magiſtri docent, extra controuerſiam liceat, cum nota ſatis ſint & dubio careant. A foederibus namque in eo ſponſiones, vt hic vocem capimus, differunt,

(t) *Liuius lib. IX. cap. I. ſeqq. Florus lib. I. cap. XVI. Cicero de offic. lib. III. p. m. 240. Eutropius lib. II. &c.*

runt, quod illa ab ipſis ſummis imperantibus percutiantur, iisdemque adeo obſtringantur; hae autem ab imperantium ineantur miniſtris, qui & ad id, quod polliciti ſunt, praeſtandum ſoli ſunt obſtricti, niſi imperantis deinceps quacunque ratione accedat conſenſus, aut aliud forte obligationis, qua & is teneatur, ſubſit vinculum. (u)

§. LXXVII. Praeterea & illud dubio caret potuiſſe conſulibus Romanis, qui duxerunt exercitum, iſtam pactionem, parum profecto populo Romano honorificam, imputari. Sua enim omnino imprudentia in iſtas difficultates coniecerant exercitum Romanum, vt illi aut pereundum prorſus, aut maxima cum ignominia iugum ſubeundum eſſet. Dum vero Poſthumius, in ſenatu verba faciens, ſe omiſſurum eſſe defenſionem ſuam profitetur, *quamuis ea non difficillima eſſet, apud non ignaros fortunarum humanarum neceſſitatumque*, (x) lepidos illos imitatus videtur diſputatores, qui, cum argumentum affertur, ad quod reſpondere nequeunt, hoc ne dignum quidem eſſe, aiunt, in quo ingenii periclitentur vires, facilique poſſe refelli negotio.

§. LXXVIII. Iam quid ſpoponderint, videndum. Id autem facile colligas ex conditio-

(u) *vid. Grotius lib. II. cap. XV. §. XVI.* (x) *vid. Liuius lib. IX. cap. VII.*

ditionibus, a Pontio & Samnitibus propoſitis, licet diſerte non commemoretur a Liuio. Pacem ſcilicet petierunt conſules a Samnitibus conditionibus aequis. Has recuſauaret Pontius, praeſcriptis aliis. In has cum iniuſſu populi Romani conſentire conſules non poſſent, hoc tamen promittere poterant, ſe curaturos, vt pax iis conditionibus a Romanis iniretur. Et hoc etiam polliciti ſunt ea ſponſione; ad hoc ergo etiam obligabantur. Num vero praeſtiterunt? Omnium minime Sp. Poſthumius. Namque ceteri ſponſores, vel inuiti vt ſententiae Poſthumii ſubſcriberent, coacti ſunt; nec eo tamen excuſandi prorſus, cum ex promiſſi ſui ratione, ad impediendam deditionem, pacem contra promouendam, plane fuerint obſtricti. Poſthumius vero diſerte, contra datam fidem, pacem diſſuaſit, auctorque praecipuus populo Romano fuit, iſtud vt abrumperetur foedus. Hocce autem erat, omnem adhibere operam, vt iſtud quod ſpoponderat, ratum eſſet populo Romano? (y)

§. LXXIX. Quod vero etiam lepido ſtratagemate, vt illi quidem videbatur, perfidiae crimen transferre in Samnites Poſthumius voluit, id vero eiusmodi eſt, vt mirer

(y) *add. Chriſtiani Thomaſii diſp. de ſponſione Caudina, quae ſexta eſt inter Lipſienſes, §. LV. ſeqq.*

mirer maximopere, in populo grauitatis & ſapientiae laudem tanta contentione affectante extitiſſe, qui tam puerilibus ineptiis, & Numini & hominibus illudere, in animum inducere potuerunt. Deditus erat Samnitibus, ergo ſtatim ciuis: percuſſit legatum, ergo Samnitibus ob legati violatam ſanctitatem inferre arma fas erat? Scilicet. Commentus tamen aliquid eſt Albericus Gentilis (z) ad Poſthumii cauſam agendam: *Nec tamen, aut illa Poſthumii dediti ludibria ſunt, vt Picene, credis: ille enim aut ſe conſecturum foedus promiſit, aut deditiium futurum Samnitum, quae conuentio & ex parte iſtorum ſtat, qui habituros eum deditiium ſimul ſtipulati intelligentur. Et ergo illorum erat Poſt humius.* Sed cum ipſe Albericus, quam haec omni robore deſtituerentur, intelligeret, tandem ad ſtratagemata ſe recipit. Hoc vero eſt, ineptias ineptiis defendere.

§. LXXX. Ita ergo, cum conſtet, ſponſores, etiam in deditionem ſuam conſentiendo, fidem tamen ſuam non liberaſſe: de populo Romano nunc quaeri poſſet, an facta deditione ad nihil aliud fuerit obſtrictus? Ita quidem praeter Albericum Gentilem, aliosque, exiſtimat Hugo Grotius, (a) hac ratione inductus, quod populus Romanus in iſtam pactionem non conſenſerit.

Quae

(z) *lib. II. cap. VI. p. 167.* (a) *l. c.*

Digitized by Google

Quae ipſa ratio eo magis probabit, milites ſaltem ſuam nondum liberaſſe hoc modo fidem, cum eos omnino conſenſiſſe conſtet. Sed quicquid huius ſit, contra Romanos pronunciat Samuel Pufendorfius. (b) Sane quidem non conſenſerat populus Romanus: & hactenus vera erant, quae proferebat Poſthumius: (c) *Ciuem neminem pro nobis ſpondere iuſſiſtis: nihil ergo vobis, nec nobiscum eſt, quibus nihil mandaſtis, nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis.* Non ergo ex conſenſu obligabatur: bene tamen ex alio capite. Eſt hoc inter prima atque praecipua iuris naturalis ſcita, neminem debere locupletem fieri cum damno alterius: aequitati enim naturali hoc manifeſto repugnat. Lucrum ingens profecto, maximumque ad Romanos inde redundauerat commodum, quod exercitum integrum, ſaluum, incolumemque recepiſſent. Hoc ergo cum lubenti animo acciperent commodum, debebant etiam adprobare ſponſionem, ne, hac irrita facta, maximum contra incommodum redundaret in Samnites. Et hoc Samnitium etiam dux Pontius vrgebat: *Si populum Romanum ſponſionis ad furculas Caudinas factae poenitet, reſtituat legiones intra ſaltum, quo ſeptae fuerunt, nemo quenquam deceperit, omnia pro infecto*

(b) *de I. N. & G. lib. VIII. cap. IX. §. XII.* (c) *apud Liuium lib. IX. cap. IX.*

Digitized by Google

fecto ſint; &c. (d) Accedebat, quod ipſa ſponſio nihil iniqui continebat, adeoque nulla erat cauſa, quo minus eam ratam eſſe vellet populus Romanus. Caeterum quae Albericus Gentilis (e) hic diſſerit, de reſtitutione in integrum, quam fieri a Romanis non potuiſſe contendit, huc plane non faciunt. Namque nec Pontius aut Samnites hoc poſtulabat, nec neceſſaria ea erat, cum a Romanis nihil amplius exigebatur, quam vt ſponſionem conſulum ratam eſſe iuberent. Ignominiam autem exercitus pro damno & caſu bellico interpretari debebant: eamque, imprudentiam ducum puniendo potius, quam irritam reddendo ſponſionem, vindicare ſatius fuiſſet.

§. LXXXI. Non multum ab hoc exemplo abeſt ſponſio Numantina. Non temere, vt ipſe fatetur Florus, vllius belli cauſa iniuſtior, quam quod contra Numantinos geſſerunt Romani. Segulenſes, ſocios & conſanguineos, Romanorum manibus elapſos, exceperant. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. Ad bellum res venit: tandemque Hoſtilium Mancinum aſſiduis caedibus ita ſubegerunt, vt ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam ſuſtineret. Tamen cum hoc quoque foedus maluere, con-

(d) *Liuius lib. IX. cap. XI.* (e) *lib. II. cap. VI. pag. 165. ſeqq.*

contenti armorum manubiis, cum ad internecionem ſaeuire potuiſſent. Sed non minus Numantini, quam Caudini illius foederis, flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidem praeſentis flagitii *deditione Mancini* expiauit, ſi Floro credimus. (f) Hoc ſcilicet expiare erat, ſi ſponſores dederent. Aſt vero & hic ad pactum potius ſeruandum adſtrictos fuiſſe Romanos, per ſe patet. Eadem enim hic plane ratio, ac in ſponſione Caudina. Aut ſi quod discrimen intercedit, id ad augendam Romanorum perfidiam comparatum eſt. Caius equidem Hoſtilius Mancinus bona fide egit, eoque nomine longe praeferendus eſt Poſthumio, qui datam fidem multis modis violauit. Romani autem longe turpius hic ſe geſſerunt, quam in Caudina ſponſione. In hac namque grauiſſima affecti erant ignominia, cum Numantini contra exercitum Romanum, quem perdere poterant, non incolumem modo, ſed & ſine vlla ignominia dimiſiſſent, immo Tiberium Gracchum magna humanitate, poſt initam ſponſionem, excepiſſent. Romani, cum re vera beneficium Numantinorum & humanitatem agnoſcere debuiſſent, & ex hoc

(f) *Florus lib. II. cap. XVIII. Epitome Liuii lib. LVII. ſeqq. Eutropius lib. IV. cap. III. Velleius Paterculus lib. II. cap. IV. Oroſius lib. V. &c.*

Digitized by Google

hoc quoque capite, vt ratam iuberent ſponſionem, obſtricti eſſent, non modo eam non ſeruarunt, ſed ſolius Mancini deditione ſe fidem ſuam liberaſſe putabant, cum tamen praeterea Gracchus, & honeſtiſſimus quisque Romani exercitus, inter ſponſores eſſent. (g) Perfidiae & iniuſtitiae addiderunt crudelitatem. Duce enim Scipione, repudiatis quibusuis conditionibus, quantumuis aequis, Numantinam prorſus delevere gentem.

§. LXXXII. Sed ipſa tandem nunc Romanorum conſideranda ſunt bella, ſummatimque & velut per compendium, de illorum aut iuſtitia, aut iniuſtitia, dicendum. Nec aliorum iudiciis recenſendis immorabor, cum nec deſint, qui & iuſtitiam in illis laudauerint, & vituperauerint iniuſtitiam. Saltem illud, quod Albericus Gentilis profeſſus eſt, non poſſum non meum facere: *Nos, in vltimo temporum poſiti, mala Romanorum ſcire non poſſumus, niſi per eos, qui laudauere Romanos. Sed intelligimus tamen, quam valde multa iniuſta fuerint Romanorum facta, qui vidimus, emanaſſe non pauca iniuſtiſſima in tanto ſtudio laudandi.* (h) Eo minus autem iniquitatis erga Romanos aliquis nos arguet, qui pleraque illo-

(g) *conf. Chriſtiani Thomaſii diſſertat. de ſponſione Romanorum Numantina, quae eſt inter Lipſienſes XIV.* (h) *lib. I. cap. VII. p. 41.*

illorum bella iniuſtiſſima fuiſſe demonſtrabimus: cum geſta cuncta fuiſſe tantisper ſupponamus, prout illorum ſcriptores, in ſuae gentis laudem tam vehementer proni, illa exhibent; de iuſtitia autem & iniuſtitia, ex naturae, quas omnes admittunt, legibus decernamus. Iuuabit autem primo de cauſis bellorum, tum vero & de modo, quo ea geſſerunt, diſpicere. Contingere namque poteſt, vt, qui cauſam iuſtam habet arma alteri inferendi, in modo tamen multiplici ratione peccet. Id quod iam Hugoni Grotio, aliisque, obſeruatum eſt.

§. LXXXIII. De bellis, quae ſub regibus geſta ſunt, exiſtimare forte aliquis poſſet, iis, ſi cauſam ſpectes, iuſtitiam non defuiſſe. Non tantum quod Romani ſcriptores omnibus perſuaſum cupiant, ad defenſionem ſaltem ea fuiſſe geſta, ſed & quod ex ipſo ſtatu populi Romani, pariter ac ex aemulatione atque inuidia gentium vicinarum, idem probabili quadam ratione colligi poſſe videatur. Sed accuratius tamen cuncta penſitantes aliter forte pronunciabunt. Id quod vel eius belli, quod cum Albanis geſſerunt Romani, exemplo, comprobari poteſt. De Tullo Hoſtilio Liuius: (i) *Hic*

(i) *lib. I. cap. XXII.*

Digitized by Google

Hic non ſolum proximo regi diſſimilis, ſed ferocior etiam Romulo fuit: tum aetas, viresque, tum auita quoque gloria animum ſtimulabat. Seneſcere igitur ciuitatem otio ratus, vndique materiam excitandi belli quaerebat. En veram belli Albani cauſam! ambitionem regis, & ne ciuitas otio feneſceret. Nihil ineptius aut futilius cogitari poterat, quam quae ad haec diluenda congerit Albericus Gentilis. (k) Feciſſe eum, ait, ad quod natura omnes ducit: ideoque excuſandum. *Naturae paremus omnes: a natura non datas vires fruſtra, intelligimus omnes.* Scilicet hoc probandum erat, recte facere, qui naturae ad praua ducenti pareat. Viribus a natura conceſſis vtendum, non vt lubet, ſed vt licet. Sed accipe belli *πρόφασιν*. (l) Forte euenit, vt agreſtes Romani, ex Albano agro, Albani ex Romano, praedas inuicem agerent. Vtriusque legati fere ſub idem tempus ad res repetendas miſſi. Nihil aliud tum Tullus agebat, quam vt prius indicti Albanis belli gloriam referret. De reddendis, quae Albanorum erant, aut ſerio, quae Romanorum erant, repetendis, ne cogitabat quidem. Bellum ſaltem cupiebat: de cauſa, iuſtane, an iniuſta, parum ſollicitus.

§. LXXXIV. Pulſis ex vrbe regibus, prima pro libertate arma corripuit, Porſenna

(k) *lib. II, cap. III, p. 126.* (l) *vid. Liuius l. 6.*

namque Etruſcorum rex reducere Tarquinios, regnumque illis reſtituere, in animum induxerat. Tarquinii ſane, quas poterant, gentes contra Romanos excitabant: poteratque vicinis haec perquam opportuna videri occaſio, creſcentem Romanorum imminuendi poteſtatem. De hoc autem bello ſtatuendum ex iis omnino eſt, quae ſupra de Tarquiniorum expulſione diſputauimus. Praeter fas enim, ſi eos a Romanis eiectos dicas, licuit profecto vicinis gentibus, ad eos reducendos arma iungere. Nihil enim laudabilius, quam innocenti ſuppetias ferre, & iniquos populi aduerſus imperantes legitimos auſus coercere. Sin ſua culpa amiſerunt regnum Tarquinii, perperam quidem Etruſci ceterique illorum egerunt cauſam: Romanisque, quod vim vi repulerint, vitio verti non poteſt. Latini belli initio eadem cauſa fuit. *Latini quoque*, inquit Florus, (m) *Tarquinios aſſerebant aemulatione & inuidia, vt populus, qui foris dominabatur, ſaltem domi ſeruiret.* Pro Latinis dici poſſet, non aemulatione & inuidia, ſed iuſto metu, ne a Romanis opprimerentur, arma eos induiſſe. Quicquid huius ſit. Eadem hic, quae in priori, cum Etruscis, bello, recurrit ratio, idemque adeo & de huius belli pronunciandum eſt iuſtitia. Mutata tamen & deinde belli cau-

(m) *lib. I. cap. XI.*

Digitized by Google

cauſa eſt, Latinis contra iniuſtiſſimas Romanorum inuaſiones, ad ſui defenſionem, arma corripere coactis. Id quod non diſſimulat Florus. (n) *Hactenus*, inquit, *pro libertate, mox de finibus cum iisdem Latinis aſſidue & ſine intermiſſione pugnatum eſt.* Inſtituta ac indolem reipublicae Romanae plane ignoret neceſſe eſt, qui ſibi perſuaſerit, pro finibus defendendis Romanos pugnaſſe contra Latinos, & non potius his ſuorum finium defendendorum a Romanis impoſitam fuiſſe neceſſitatem.

§. LXXXV. De Aequis, Volſcisque, quos Latinorum peruicaciſſimi Romanis ſcriptoribus audiunt, ſpeciatim dicere nihil attinet. Pugnatum deinceps cum Veientibus, Faliſcis, Fidenatibus fuit. Caulam facile eandem cum ea, quae Latinos cum Romanis commiſit, ſuſpiceris. Etenim ſi vel maxime hi populi laceſſiuerunt Romanos, quod ex horum colligas hiſtoricis, modo laceſſiuerunt, praeſentiſſimo vt ſe eriperent ſeruitutis certiſſimae periculo, hoc eos feciſſe, vt credam, animum facile induco meum. Non equidem neſcio, metum ex vicina potentia ad defenſionem rite inſtituendam non ſufficere, idque recte docet Hugo Grotius, (o) ſed hoc de metu qualicunque & incerto intelligendum eſſe, cum aliis idem Grotius

(n) *l. c.* (o) *lib. II. cap. I. §. V.*

tius docet. (p) Cum contra, *si non tantum de potentia, sed & de animo constet, & quidem ita constet, vt certum id sit ea certitudine, quae in morali materia locum habet*, omnino fas sit, suae defensionis causa arma corripere. Atque ita quin res se plerumque habuerit in illis bellis, quae cum vicinis gesserunt Romani, ego nullus dubito.

§. LXXXVI. Bellum Gallicum sequitur, a Romanis pro sociorum defensione susceptum. Clusium obsidebant Galli. Pro sociis ac foederatis interuenit populus Romanus, missis ex more legatis. *Sed quod ius apud Barbaros? ferocius agunt; inde certamen.* Ita Florus. (q) Ex quo colligas, quod non statim Romanis obediuerint Galli, id vero his scriptoribus erat *ferociter agere*, ab illis arma fuisse correpta. Quicquid huius sit, sociorum causam armis tueri, honestum ac laudabile est. Satis hoc euicit Hugo Grotius. (r) Laudanda ergo hic Romanorum fuerint arma, si sociorum causa ea corripuerunt. Nec vertendum iis vitio, quod, clade grauissima accepta, deinceps pro salute dimicarunt contra Gallos. De Camilli autem facinore, qui, cum pace inita discederent Galli, subito a tergo eos adortus adeo caecidit, vt omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis

(p) *lib. II. cap. XXII. §. V.* (q) *lib. I. cap. XIII.*
(r) *lib. II. cap. XXVI.*

Digitized by Google

nis inundatione deleret, aliter eſt pronunciandum. Perfidia enim facto inerat manifeſta, quae nullis, quantumuis conquiſitis coloribus, tegi aut excuſari poteſt. Quae vero pro eo defendendo in medium affert Albericus Gentilis, (s) tam ieiuna, tam frigida ſunt, vt cordatioribus grauedinem moveant atque tuſſim. Florus (t) nimirum, vt ſpeciem iuſtitiae conciliaret huic facinori, Gallos, *addito ad iniqua pondera gladio, ſuperbe victis increpaſſe*, ait. Ex quo Albericus Gentilis colligit, primos foedus rupiſſe Gallos. Mea vero opinione foedus rumpit, qui non ſtat conditionibus foederis. At ſteterunt Galli. Militarem autem iſtam iactantiam & oſtentationem, quis ſtatim pro rupti foederis haberet argumento? Plane lepidum eſt, quod idem Gentilis porro addit, vt euincat, pacem a Romanis initam non pertinuiſſe ad Camillum: *Non hic decipiuntur Galli, non alii. Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis eius, aut ſibi imputet, inquit lex. Sibi Galli imputent, ſi obſidio ſuo iam fatigati receſſum ſic venditarunt, nec de qualitate emptorum quaeſiere.* Multa hic perperam congerit Albericus. Etenim cum ſumma rerum, adeoque & facultas paciſcendi penes populum Romanum fuerit, & Camillus vt

(s) *lib. II. cap. VI. pag. 163.* (t) *lib. I. cap. XIII.*

ciuis Romanus hic conſiderari debeat, manifeſtum eſt, tum reliquos ciues, tum ipſum etiam Camillum hoc foedere fuiſſe obſtrictum. Promiſſo enim ciuitatis, vel eorum, qui ciuitatem repraeſentant, omnes etiam ac ſingulos teneri ciues, quis dubitaret? Et qui aliter ſuſpicari poterant Galli? Hinc & non tenebantur in *qualitatem emptorum* vlterius inquirere, quia cum illis paciſcebantur, qui & gaudebant paciſcendi poteſtate, & eam prae ſe ferebant. Sin Romani paciſcendi poteſtatem finxerunt, qua tamen gauiſi non ſunt, quod tantisper ponere licet; Romanorum iterum, non Gallorum hoc crimen erit, nec liberari illi vlla ratione a perfidiae nota poterunt.

§. LXXXVII. Recruduere, deuictis & profligatis Gallis, bella cum vicinis. Horum quosdam calamitatibus Romanorum in ſpem depellendae a ceruicibus ſuis imminentis ſeruitutis erectos, arma cepiſſe, non negauero: nec tamen ideo iniuſte prorſus egiſſe cenſendi fuerint. Conſiderandae autem, in iuſtitia horum bellorum diiudicanda, omnes circumſtantiae fuerint, in primis Romanorum haud amplius obſcurum conſilium, per vicinarum gentium ruinam amplum condendi imperium, & harum rurſus gentium totfuneſtis documentis firmatus,

tus, iuſtiſſimusque adeo metus. Haec ſi quis probe expenderit, dubito, an ſubſcripturus ſit Alberici Gentilis, poſt enumerata haecce bella, ita pronunciantis, ſententiae. (u) *Inuenimus vero nihil, in quo non iuſtitia, & virtus omnis Romanorum eluceat.* Sed hisce nunc immorari animus non eſt, cum quae maius momentum trahant, ſe nobis offerant.

§. LXXXVIII. Cumprimis Samniticum bellum, & quidem primum, accuratiorem promeretur conſiderationem. Cauſam eius paucis complectitur Florus: (x) *Precibus deinde Campaniae motus* (populus Romanus) *non pro ſe, ſed, quod eſt ſpecioſius, pro ſociis Samnites inuadit. Erat foedus cum virisque percuſſum. Sed hoc Campani ſanctius & privs omnium ſuorum deditione fecerant.* Duabus hic videtur probare voluiſſe rationibus iuſtitiam armorum Romanorum contra Samnites, primo quidem, quod geſſerint bellum non pro ſe, ſed pro ſociis, deinde, cum & Samnites ſocii fuerint, propter deditionem Campanorum, hic illos recte fuiſſe poſtpoſitos. Sed reuera vna ſaltem eſt ratio, &, quod initio paucis dixerat, pro ſociis Romanos arma cepiſſe, diſtinctius deinde explicat. Nec vocem *ſpecioſius* eo accepe-

(u) *lib. II. cap. VII. p. 172.* (x) *lib. I. cap. XVI. add. Liuius lib. I. cap. XXX.*

rim, ac ſi ea hoc ſibi voluerit Florus, ſociorum defenſionem, προφασιν ſaltem Romanis augendae potentiae praebuiſſe: cum potius id ſignificauit, hunc belli titulum maiorem iuſtitiae ac aequitatis opinionem conciliare armis Romanorum potuiſſe, quam quoties ea pro ſe capere neceſſe habuerunt. Res ipſa tamen poſita eſt extra litem, Romanos ſaepius ideo ſociis tuliſſe ſuppetias, vt ſuum ſaltem, primo ſociorum hoſtibus, deinde ſociis ipſis, deuictis, amplificarent imperivm. Veriſſimeque, ſi quid aliud, Cicero dixit: *Noſter populus ſociis defendendis terrarum iam omnium potitus eſt.* Nec abnuo, in bello hoc Samnitico ita rem ſe habuiſſe, licet forte hoc verbo id non doceat Florus. Videtur tamen clarius deinde mentem Romanorum prodere. Cum enim felicitatem vbertatemque Campaniae deſcripſiſſet: *omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga eſt. Nil mollius coelo: denique bis floribus vernat: Nil uberius ſolo &c.* addit: *pro hac vrbe, iis regionibus, populus Romanus Samnites invaſit.* Quibus forte ſignificat, non tam Campanorum ſocietatem, quam agri Campani fertilitatem, Romanos, vt illis ſuppetias ferrent impuliſſe.

§. LXXXIX. Erant Campani Romanorum ſocii, erant & Samnites, & quidem antiquiores. Cur ergo his praeferebant Campanos, cum

cum contra prudentum ſcitum ſit, recentiorem ſocium cedere antiquiori? Cauſam affert Florus: (y) *foedus Campanorum propter deditionem fuiſſe ſanctius, & hinc eos Samnitibus recte praelatos.* Idem vrget Liuius: (z) *Tum iam fides agi viſa, deditos non prodi, nec facturum aequa Samnitium populum cenſebant, ſi agrum vrbemque, per deditionem factam populi Romani, oppugnarent.* Id ergo in quaeſtionem venit, an ob deditionem factam praeferendi Campani fuerint Samnitibus, licet antiquioribus ſociis.

§. XC. Sane quidem, cum antiquior ſocius recte praeferatur recentiori, eo quod recens contracta obligatio tantum eousque valeat, quousque antea exiſtens hoc permittit; rurſus ſi in poſteriori ſocio aliud & quidem arctius vinculum, per deditionem, accedat, hunc praeferendum illi eſſe, manifeſtum eſt. Ad ſubditos enim, vel qui illorum loco ſunt, potius defendendos nos obſtrictos eſſe, quam ſocios, ſi vtrosque non licet, nemo dubitauerit. Et ita omnino ſe res habet, ſi vtrique ſociorum cum aliis bellum intercedet, nec vtrique tamen ſuccurrere in noſtris poſitum ſit viribus. Immo & ſi ſocii inter ſe bellum gerant, modo cauſae iuſtitia hoc permittat, eum qui ante bellum exortum ſe nobis dedidit, defende-

re

(y) *lib. I. cap. XVI.* (z) *lib. VII. cap. XXXI.*

re contra ſocium, vtut antiquiorem, licet. Eadem enim id ratio ſuadet.

§. XCI. Sed quid ſi durante bello ſocius poſterior ſe nobis dedat? Id enimuero eſt, de quo hic disquiritur, cum Campanos id feciſſe conſtet. Hugonis Grotii (a) ſi ſequi decreta placeat, ex cauſae bellicae iuſtitia de toto hoc negotio pronunciandum fuerit. Quae ratio licet non probetur aliis, mihi tamen ſimpliciſſima, & in hisce quaeſtionibus recte procedere, videtur. Quod vero addit Grotius, *id ita verum eſſe, niſi conuenerit hoc quoque, ne aduerſus eum auxilia mittere liceat*, id ſuperuacaneum ego puto, immo rectius hoc omitti. Dubito enim, an quis ſe obſtringere aut velit aut poſſit, *quod aduerſus ſocium, qui alterum iniuſte oppugnat, auxilia mittere nolit*: ad haec enim cum iure naturae obſtricti ſimus, ſi noſtrarum rerum ſtatus hoc permittat, iniquum eſſet, pacto huic obligationi obuiam ire. Eſto ergo, reſpiciendum hic vnice ad cauſae iuſtitiam fuiſſe, videtur quidem pro Romanis hic pronunciandum eſſe, ſaltem ſi horum hiſtoricis credimus. Campanos enim bello aggreſſi erant Samnites, quod Sidicinos antea diu iiſſent. Sidicinis vero iniuſta arma intulerant Samnites, vt auctor eſt Liuius. Iniuſtum itaque etiam erat Samnitium

(a) *lib. II. cap. XV. §. XIII.*

tium aduerſus Campanos, Sidicinorum defenſores, bellum, cumprimis quod auide hanc occaſionem opprimendi Campanos arriperent, vt Campani quidem aſſerebant. Sed quod Campani hic aſſerunt, & Liuius refert, iniuſta fuiſſe Samnitium in Sidicinos arma, id nondum euictum eſt, niſi hominum in propria cauſa teſtimonium perhibentium ſtare velimus auctoritate. Deinde eſto, iniuſta fuiſſe haec arma, non tamen profecto iuſtitia fuit, quae a Romanis auxilia impetrauit. Ante deditionem haec diſerte negabant. Deditione vero facta, *fides agi viſa*. Immo vtilitas, & opportuna occaſio imperii fines proferendi, cui cuncta conſilia attemperabant Romani.

§. XCII. Haec licet ita ſe habeant, non tamen plane displicet mihi eorum ſententia, (b) qui poſteriori ſocio contra antiquiorem ſuppetias ferre, fas eſſe negant. Vtique hoc ex natura & indole ſocietatis fluit. Non enim de pacis, ſed ſocietatis foedere, hic ſermo eſt. Vnio nimirum ad certum finem, quam ſocietatis ratio iuſſit, non poteſt non per bellum turbari prorſus atque diſſolui: vnde qui alterius ſe profitetur ſocium, ſimul in id conſentit, non velle ſe aduerſus eum alteri auxilia mittere. Quae enim ce-

tero-

(b) *conf. Chriſtiani Thomaſii diſſert. de ſponſione Romanorum Caudina, §. XXIV.*

teroquin ſocietas? Multo magis itaque iniquum eſt, aliùm in ſocietatem recipere, ſaltem eum in finem, vt priori ſocio bellum indici queat. Atque hoc cum de quibusuis, tum etiam de illis, qui per deditionem recipiuntur, intelligendum eſt. Quamdiu enim antiquius illud foedus durat, tamdiu committendum nihil eſt, quo illud infringi aut violari queat. Ceterum ad ea, quae Albericus Gentilis pro iuſtitia belli Samnitici diſputat, (c) non neceſſe eſt, vt reſpondeamus; cum ex dictis dilui cuncta facile queant.

§. XCIII. Cum Etruſcis deinceps arma ceperunt Samnites. Cauſa non ſatis aperta. Violati foederis a Romanis acculati Samnites, quod cum Palaepolitanis multa hoſtilia aduerſus Romanos, agrum Campanum Falnerumque incolentes, fecerint, quodque populos Priuernatem, Fundanum, & Formianum haud ambigue ſollicitauerint. Sed nec deerant Samnitibus, quae ad haec regererent, Romanos rurſus iniuſtitiae acculantes: (d) *haud vllo publico conſilio auxilioue iuuari Graecos, nec Fundanum, Formianumue a ſe ſollicitatos. Ceterum non poſſe diſſimulare, aegre pati ciuitatem Samnitium, quod Fregellas ex Volſcis captas dirutasque ab ſe, reſtitueret Romanus populus,*

(c) *lib. II. cap. VII. p. 168. ſeqq.* (d) *vid. Liuius lib. VIII. cap. XXII. XXIII.*

Digitized by Google

lus, coloniamque in Samnitium agro impo-ſuerit, quam coloni eorum Fregellas appellant. Eam ſe contumeliam iniuriamque, ni ſibi ab iis, qui fecerint, dematur, ipſos omnino depulſuros eſſe, &c. Quae facile docebunt, nec in hoc bello Romanorum armorum iuſtitiam demonſtratam ſatis, atque euictam eſſe.

§. XCIV. Tarentinum bellum, vnum quidem titulo & nomine, ſed victoria, quam retulerunt Romani, multiplex. Campanos namque, Apulos, atque Lucanos, & quod caput belli, Tarentinos, id eſt, totam Italiam, & cum iſtis omnibus Pyrrhum, clariſſimum Graeciae regem; vna velut ruina pariter inuoluit. Ita Florus, (e) qui cauſam porro hoc modo enarrat: Imminet portui, (vrbis Tarentinae) ad proſpectum maris poſitum, maius theatrum: quod quidem cauſa miſerae ciuitati fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrarunt, cum adremigantem littori Romanorum claſſem inde vident: atque hoſtem rati, emicant, ſine discrimine inſultant. Qui enim, aut vnde Romani? Nec ſatis. Aderat ſine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque foede, per obſcoenam turpemque dictu contumeliam, violant. Et hinc bellum, quod cum aliis Pyrrhum regem inuoluit, qui ſemi-

(e) *lib. I. cap. XVIII.*

Digitized by Google

migraecam ex Lacedaemoniis conditoribus ciuitatem vindicaturus, aduolabat. Floro & ceteri Romanarum rerum ſcriptores ſuffragantur. Contumeliae genus, quo affecti legati, expreſſius deſignat Dionyſius. (f) Pullatos Liuius (g) ſcribit; Polybius (h) generatim ἀτελγειαν vocat.

§. XCV. Legatorum itaque ius violatum querebantur Romani, & hanc bello Tarentino obtendebant cauſam. De ſociorum enim armis, ex cauſa principe belli, pronunciandum. Hic equidem ſi probare vellem, ſanctos omni tempore ac inuiolabiles gentium moribus fuiſſe legatos, rem ſuſciperem prorſus ſuperuacaneam, cum id iam actum ſit abunde ab aliis. (i) Adeoque non videtur de iuſtitia armorum Romanorum contra Tarentinos, horumque ſocios, dubitandum, cum violatos ab his illorum legatos, in confeſſo ſit apud omnes. Nec hoc ad Romanorum cauſam agendam praetermittit Albericus Gentilis. (k) Nihiloſecius duo hic expendi accuratius, atque conſiderari vellem. Alterum, cauſam irritati populi

(f) *excerpt. Leg. IV.* (g) *epitome XII.* (h) *lib. I. cap VII. add. Valer. Maximus lib. II. cap. II.* (i) *vid. Paſchalius cap. XXVI. Frider. de Marſelaer diſſert. XIII. add. Tacitus hiſt. lib. III. cap. LXXX.* (k) *lib. II. cap. VII. p. 179.*

Digitized by Google

li Tarentini callide a Floro, forte & a ceteris, dissimulari. Adremigasse littori Tarentino classem Romanam, ait Florus. Causam non addit, cur ad littus accesserit classis, & annon ea id factum ratione, vt causam iustam suspicandi, hostili animo venire Romanos, habuerit populus Tarentinus, non indicat. Alterum, a plebe velut per tumultum, contumelioſe habitos legatos: vt dubium superſit, an conſenſerit aut magiſtratus, aut principes ciuitatis? Et rurſus, an Romani rite contumeliae retractationem poſtulauerint a Tarentinis, & quo minus amica compoſitione lis finiretur, nihil in ſe deſiderari paſſi ſint? Quantumuis enim graviter laeſus, recte tamen arma non induit, ſi vlla ratione penes eum ſteterit, ne alia, quam armis, ratione, controuerſia dirimatur.

§. XCVI. Miſſis vero reliquis, quae minoris momenti ſunt, ad punica nos conuertimus bella: cum, maxime illuſtria huius argumenti capita ſaltem conſectari, animus ſit. Et primi quidem punici belli iniuſtitia tam manifeſta eſt, vt nec ipſi Romanae hiſtoriae ſcriptores eam inficiari, aut diſſimulare, potuerint. Rem omnem planiſſime enarrat Polybius, (l) ex quo paucis, quae ad noſtrum inſtitutum faciunt, repetemus. Campani videlicet ſub Agathocle

(l) *lib. I. cap. X. ſeqq.*

merentes, Messenam vrbem callide in suam redegerunt potestatem. Subdole namque specie amicorum ingressi, vrbis potiti, ciues partim eiecerunt, partim iugulauerunt, & cuncta pro libidine, qua quisque ferebatur, designarunt. Hi Mamertini dicti, aliquandiu graues finitimis, a Syracusanis vero repressi, tandem in factiones scindebantur: pars Carthaginienses aduocabant, quibus etiam arcem dederunt, pars petebant a Romanis auxilia. Ceterum ad exemplum Campanorum etiam Romani, quo tempore Pyrrhus in Italiam traiiciebat, a Rheginis in auxilium vocati, horum vrbem sibi subiecerant, improbante tamen senatu populoque Romano, & grauiter deinceps in eos, qui Rhegium tenebant, animaduertente. Hinc cum Mamertini, quorum tamen non melior causa erat, quam illorum, qui Rhegium occupauerant, auxilium peterent, Romani, quid consilii caperent, perdiu ancipitibus animis dubitauerunt: *quippe auxilii ratio manifestam prae se ferebat absurditatem. Nam eos, qui paulo ante ciues suos, ob violatam erga Rheginos fidem, grauissimo supplicio affecissent, repente Mamertinis, qui similia patrassent, non solum erga Messaniorum vrbem, sed etiam Rheginorum ire auxiliatum, id vero cum eo delicto coniunctum erat, quod excusari difficulter posset. Neque sane haec ne sciebant Romani &c.* Causae itaque aequi

quitas, vel ipſis fatentibus Romanis, non erat, quae eos ad hoc bellum inducebat. Veram itaque cauſam ſubiungit Polybius: *ſed quod Poenos viderent non Africae regiones duntaxat, verum etiam in Hiſpania pleraque loca iuris ſui feciſſe, inſulis praeterea Sardei Etruſciquę maris omnibus potitos, anxii ſupra modum erant, ne, ſi hoc amplius Siciliae dominatum adipiſcerentur, valde ſibi graues, & formidabiles vicini forent, qui & circumdarent vndique populum Romanum, & omnibus Italiae portibus imminerent.* Ergo metus creſcentis nimis potentiae Punicae vera cauſa belli huius fuit, iuxta Polybium. Sed accuratius, ni fallor, rem tangit Florus, (m) qui non diſſimulat, veram & principem huius belli cauſam fuiſſe cupiditatem potiundae Siciliae. *Praedae huius* cupiditate *adeo exarſiſſe* populum Romanum, ait, vt *quatenus haec inſula nec mole iungi, nec pontibus poſſet, armis belloque iungendam, & ad continentem ſuum reuocandam bello* cenſuerint. Et iterum aperte, *ſpecie quidem ſocios iuuandi, re autem ſollicitante praeda,* eos bellum hoc ſuſcepiſſe pronunciat.

§. XCVII. A προφάσει itaque ſecernenda vera cauſa, ſi rite belli huius conſtare iuſtitia debet. Vera cauſa haud dubio ea fuit, quam Florus deſignat, cupiditas obtinendae Siciliae. Hanc palam iniquam fuiſſe,

(m) *lib. II. cap. II.*

nulla indiget demonſtratione. Eſto vero, eam fuiſſe veram cauſam, quam innuit Polybius, metum ob creſcentem nimis Carthaginienſium potentiam, tum quidem & Italiae populis non poterant vitio vertere, quod & ipſi creſcentem nimis Romanorum potentiam quouis infringere modo allaborarint. Immo licet pro quorundam Italiae populorum, contra Romanos, armis defendendis, vſurpari hoc argumentum queat, non tamen aeque pro Romanis contra Carthaginienſes procedit. Namque profecto quicquid Polybius dicat, nondum erat ea rerum facies, vt creare vltimam perniciem Romanis Carthaginienſes potuiſſent, ſi vel maxime voluiſſent. De Mamertinorum autem cauſa ita cenſeo, non poſſe certi quid de ea ſtatui. Namque vna pars aduocabat Carthaginienſes, altera Romanos. Aſt quam penes cauſae iuſtitia ſteterit, cum non conſtet, nec, cui prae altera ſuccurrere fas fuerit, definiri poteſt. Ex eo tamen, fateor, quod Mamertini fraude vrbe potiti ſint, & multa inique perpetrauerint, nihil confici poteſt, cum, & ſceleratiſſimis mortalium in cauſa iuſta ſuccurrere, non ſit nefas. Sed cum & Carthaginienſibus & Romanis longe aliud quid, quam ſalus ciuitatis conſtitutum fuerit, haec quidem in cenſum hic non veniunt: praeſertim cum ipſi

ipſi Romani crediderint, ſibi fas non eſſe, ſuccurrere Mamertinis.

§. XCVIII. Quae Albericus Gentilis (n) pro iuſtitia belli punici diſputat, tam ieiuna ſunt, tam inepta, vt vel referre ea pigeat. Speciminis ſaltem cauſa quaedam commemorabimus, vt ex vngue, quod aiunt, leonem cognoſcere liceat. Ad id, quod Florus ait, exarſiſſe Romanos cupiditate praedae opulentae, regerit: *exarſerunt cupiditate etiam praedae opulentae, ſed naturali alia adhuc cupiditate reſtituendi ſuo corpori auulſum membrum.* Egregie! Scilicet, quia Sicilia velut pars Italiae olim fuit, ideo Romanorum, quibus nec in Italiam, nec in Siciliam vllum ius fuit, cupiditas ea potiundi & imperio ſuo ſubiiciendi, *naturalis* fuit, ideo etiam iuſta. Quis iſtam vel in turpiſſimo ſophiſta ſtultitiam ferret? Sed pergit: *Sit iuſta adquirendi cauſa, voluntatem nemo vituperauerit.* Aſt an iuſta adquirendi cauſa fuerit, id vero eſt, de quo adhuc diſceptatur. Nec Florus hoc adſerit, dum dixit: *Sed ecce nec occaſio defuit.* Ergone occaſio & cauſa iuſta vnum idemque eſt? Voluntatem adquirendi non vituperandam, ethnici forſitan adprobauerint. Ab homine, chriſtianae diſciplinae alumnum ſe profitente, eiusmodi proficiſci vocem potuiſſe, merito miror. Id

(n) *lib. II. cap. VIII. p. 150. ſeqq.*

rurſus lepidum eſt, quod addit, Siciliam fuiſſe patriam Cyclopum, nutricem tyrannorum, captiuam ſeruorum, & quae reliqua ſunt: ergo recte eam potuiſſe occupari a Romanis. Ita cuncta conquirenda erant, ne color qualiscunque armis Romanis deeſſet. Sed ad caput cauſae accedamus. Quod Florus dixit, praedam ſollicitaſſe Romanos, auxilium ſociis ferendum ab illis obtentui ſumtum, ad hoc Albericus noſter: *de interiori animi ſenſu diſputandum tamen non eſt: aperta belli cauſa iuſta eſt.* Aſt apertam belli cauſam iuſtam fuiſſe, nondum eſt euictum. Saltem ipſi Romani, ſi non iniuſtam credebant, ſaltem de ea dubitabant, vt diſerte docet Polybius. De interiori vero animi ſenſu, ſi is documentis certis prodatur, cur non eſſet diſputandum? Scio, nonnullos inter bellum iuſtum, & quod iuſte geritur, diſcrimen conſtituere, ita quidem, vt ad illud cauſa iuſta ſufficiat, ad hoc inſuper recta animi intentio accedere debeat. Id tamen fatentur omnes, inique & perperam agere, qui ex cauſa iuſta licet, non tamen ob cauſam iuſtam arma corripit. Atque hoc cum vel Alberico fatente fecerint Romani, iniuſtitiae criminisque haud dubio rei ſunt. Et id vero eſt, quod demonſtrare voluimus. Mittimus cetera,

quae

quae more ſuo congerit atque miſcet, cum ex dictis facile diiudicari queant.

§. XCIX. Peracto primo bello punico, poſt breuem admodum quietem, cum Liguribus, Inſubribusque, Gallis & Illyriis, & cum his quidem ob legatos Romanos violatos, pugnatum eſt. Hi namque laceſſebant Romanos, ſi Floro credimus. (o) Ignobiliora haec nos non morabuntur bella, in tanta praeſertim circumſtantiarum obſcuritate, vt de illorum iuſtitia, praeter coniecturas, vix quicquam adferre liceat. Ad bellum ergo punicum ſecundum accedimus. In cauſa belli huius Saguntus deleta eſt, vetus Hiſpaniae ciuitas & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, ſed triſte monumentum: quam in libertatem communi foedere exceptam, Annibal cauſas nouorum motuum quaerens, & ſuis & ipſorum moribus euertit, vt Italiam ſibi rupto foedere aperiret. Ita Florus: (p) ſed paulo obſcurius. Res ita ſe habet. Cautum in foedere, facto inter populum Romanum & Carthaginienſem, poſt bellum de Sicilia, erat: *vtrumque populi ſocii ab vtroque populo tuti ſunto.* Poſt autem hocce foedus Saguntini ad ſocietatem populi Romani acceſſerant. Annibal itaque, Carthaginien-

(o) *lib. II. cap. III. ſeqq.* (p) *lib. II. cap. VI.*

ſium dux, cum bellum in Hiſpaniam transtuliſſet, Saguntum quoque vrbem oppugnavit, Romanorumque legatis non auditis, expugnauit tandem atque deleuit. Hanc ob cauſam legati Carthaginem miſſi ſunt, qui, ſi Annibalis factum ibi probaretur, ac defenderetur, bellum indicerent. Carthaginienſes ad bellum quidem parati, de cauſae tamen iuſtitia dicebant, non poſſe Romanos fracti foederis ſe inſimulare, cum in foedere inter vtrumque populum percuſſo, de ſociis, qui tum fuerint, non de iis, qui futuri eſſent, ſermo fuiſſet. *Nobis*, inquiunt, (q) *vobiscum foedus eſt a Luctatio conſule ictum, in quo cauetur vtrorumque ſociis: nihil de Saguntinis (nec dum erant ſocii veſtri) cautum eſt.* Et cum regerere poſſent Romani, in foedere, quod cum Asdrubale ictum, Saguntinorum mentionem fieri, in quo & cautum fuit, ne Iberum Carthaginienſes tranſirent, addunt, hoc foedere, ſine conſenſu quippe populi Carthaginienſis facto, ſe non teneri, ſimulque ad exemplum Romanorum prouocant: *Si vos non tenent veſtra foedera, niſi ex auctoritate & iuſſu veſtro icta, ne nos quidem Asdrubalis foedus, quod nobis inſciis icit, obligare potuit.* Legati quidem bellum denunciare, quam diſceptare de iure, magis ex dignitate populi Romani eſſe cenſuerunt.

(q) *apud Liuium lib. XXI. cap. XXI.*

runt. T. Liuius (r) tamen hanc disputationem ingreditur, & ad rationes Carthaginiensium respondet: discrimenque omnino inter foedus Luctatii & Asdrubalis interceſſiſſe contendit, cum in illius diserte additum esset: *ita id ratum fore, si populus censuisset*: in Asdrubalis autem foedere nec tale quid exceptum fuisse, & multorum insuper annorum silentio idem fuisse, comprobatum. Saguntinis autem satis cautum fuisse putat, sociis vtrorumque exceptis: *nam*, inquit, *neque additum erat, iis, qui tunc essent, nec, qui postea assumerentur: & cum assumere nouos liceret socios, quis aequum censeret, aut ob nulla quenquam merita in amicitiam recipi, aut receptos in fidem non defendi? tantum ne Carthaginiensium socii solicitarentur ad defectionem, aut sua sponte desciscentes, reciperentur.*

§. C. Cum ergo vox *socii* vtramque recipere significationem queat, vt & praesentes tantum, & futuros quoque designet, Hugo quidem Grotius (s) stricte eam hic interpretandam censet, vt tantum praesentes designet, *quia agitur de foedere rumpendo, quae odiosa est materia.* Licuisse tamen Romanis putat, defendere Saguntinos, non ex vi foederis, sed ex iure naturali, quod foedere non erat abdicatum. Ita vt Saguntini apud

(r) *lib. XXI. cap. XXII.* (s) *lib. II. cap. XVI, §. XIII.*

vtrosque eo essent loco, quasi nihil de sociis conueniissent. Quo casu, inquit, nec Carthaginienses contra foedus erant facturi, si in Saguntinos arma mouerent, quae iusta arbitrarentur, nec Romani, si eos defenderent. Verum notissimam illam Hugonis Grotii, aliorumque regulam, de odiosis stricte, & fauorabilibus late interpretandis, omni destitui fundamento, iam alibi ostensum est. Et sane, vti Carthaginiensibus *odiosum* videri poterat, abrumpere foedus, ita contra *fauorabile* & Romanis & Saguntinis erat, Saguntum conseruari, aut, postquam iam excisa erat, periculis Romanae reipublicae inde imminentibus occurrere. Planeque existimo, a naturali vocis significatione hic sine praegnanti causa non discedendum fuisse, qua socios qualescunque, praesentes & futuros denotat, id quod recte vrget. Ergo iusta fuerunt Romanorum arma, quae pro Saguntinis ceperunt; idque eo magis, quod haud obscure intelligatur, ad vlciscendam cladem, in priori bello acceptam, bellum a Carthaginiensibus, vel ab Annibale, intempestiuo & inconsulto impetu abrepto, conniuentibus Carthaginiensibus, fuisse motum. Id quod bene exprimit Florus: (t) *Vrebat nobilem populum ablatum mare, captae insulae, dare tributa, quae iubere*

(t) *lib. II. cap. VI.*

re conſueuerat. Hinc vltionem puer Annibal ad aram patri iurauerat, &c.

§. CI. Quis belli huius euentus fuerit, conſtat. Annibal a ſuis domum reuocatus, victus in Africa a Scipione eſt. Qua clade Poeni pacem, quanquam iterum duriorem, a Romanis accipere coacti ſunt. Poſt Carthaginem vinci neminem puduit, vt Florus ait. (u) Secutae ſunt ſtatim Africam gentes, Macedonia, Graecia, Syria, ceteraque omnia. Macedonico bello obtendebatur, Philippi regis cum Annibale ſocietas, pax infida aduerſus Aetolos, & iniuriae Athenienſibus illatae. Primam & vltimam cauſam adfert Florus: (x) *Cauſa coepit a foedere Philippi, quo rex iam pridem dominantem in Italia Annibalem ſibi ſociauerat: poſtea creuit, implorantibus Athenis auxilium contra regis iniurias, quum ille vltra ius victoriae in templa, aras, & ſepulcra ipſa ſaeuiret.* Mediam tangit Liuius. (y) Sunt vero haec eiusmodi, de quibus multa adhuc diſputari in vtramque partem poſſent. Foedus cum hoſte initum, niſi hoſtilem ſimul in nos animum arguat, nobisque defendendi nos, aut occupandi hoſtiles impetus, neceſſitatem imponat, nondum iuſtam belli cauſam praebet. De Aetolis pariter ac Athenienſibus diſpi-

(u) *lib. II. cap. VII.* (x) *l. c.* (y) *lib. XXXI. cap. I.*

ſpiciendum fuerat, qua cauſa inductus arma illis intulerat Philippus. Sane non defuiſſe Philippo cauſam iuſtam, vel ex Liuio probari poteſt. Nec iuſta ſemper & quaeuis arma ſunt, quae pro ſociis, iisque, qui noſtram implorant opem, expediuntur: neceſſe eſt, vt in cauſa iuſta verſentur, quorum in nos defenſionem ſuſcipimus. Quae adduntur, vltra ius victoriae in templa, aras, & ſepulchra ipſa a rege ſaeuitum, Graecanicam valde ſapiunt rhetoricam: ſi vera ſunt, inique regem egiſſe oſtendunt: belli cauſam iuſtam Romanis nondum praebent. Sed quales Aetoli fuerint, in quorum gratiam arma Romani arripuerunt, euentus docuit. Minus enim ſpe ſua, praemium in hoc bello adepti, Antiochum magnum Syriae regem aduerſus Romanos ſollicitant. Thoas enim, praetor Aetolorum in concilio Naupacti, conqueritur *iniurias Romanorum ſtatumque Aetoliae, quod omnium Graeciae gentium ciuitatumque inhonoratiſſimi poſt eam victoriam eſſent, cuius cauſa ipſi fuiſſent* (z) Hinc ergo bellum Syriacum. Lepide hac de re Florus. (a) *Macedoniam ſtatim, & regem Philippum Antiochus excepit, quodam caſu quaſi induſtria, ſic adgubernante fortuna, vt quemadmodum ab Africa in Europam ſic ab Europa in Aſiam, vtro ſe fug-*

(z) *vid. Liuius lib. XXXV. cap. XII.* (a) *lib. II. cap. VIII.*

ſuggerentibus cauſis, imperium procederet. Scilicet, cùm latrones vnam praedam poſt aliam inuadunt, vltro ſe ſuggerentibus cauſis, belle admodum illis res procedere videtur. Imprudentiae vtique notam non effugiet Antiochus, & quod Romanis, quibus multis modis inferior erat, bellum intulit, & cum inferre decreuiſſet, quod Annibalis non vſus eſt conſilio. Inique ſi quis eum egiſſe contendat, eum, quod oppreſſos, deque ſalute ſua ſollicitos, defendere ſuſceperit, grande Antiochum admiſiſſe facinus adfirmare neceſſe eſt, cui expiando inſigni eum regni ſui decedere parte oportuit. Saltem cum eadem, aut ſimilis prorſus Romanis arma capiendi, haud raro fuerit cauſa, aut tum inique egiſſe Romanos, aut Antiochum excuſandum, fatendum fuerit. Syriacum bellum Aetolos, Hiſtros, Gallograecos, poſt ſe traxit. Hiſce omnibus nihil aliud fraudi fuit, quam quod Antiochum adiuuerant. Facile enim intelligebant, & hoc deuicto, ſibi quoque ſeruitutis ſubeundum eſſe iugum. De bello Macedonico ſecundo, & tertio, nihil nunc dicam. Romani rebellionem interpretabantur, quam alii innatam omnibus recuperandae libertatis cupiditatem dixiſſent. Saltem conſtare Macedonibus de iuſto Romanorum in illos imperio debebat, ſi rebellionis iure eos voluerunt ar-

arguere Romani. Cauſa Andriſci, qui ſe Philippi filium mentitus eſt, peculiaris fuit, ob quam promeritas ille poenas dedit, ſed cum cauſa Macedonum, ſeu populi Macedonici, tamen non commiſcenda. Illyriis non licuit impune adiuuare Macedones. Non enim iuſtior Romanis ſeruitutis cauſa viſa eſt, quam ſocios adiuuando, ſeruitutem a ſe depellere.

§. CII. Quae Albericus Gentilis (b) de quibusdam horum bellorum, praeſertim eius, quod cum Antiocho geſtum eſt, pro Romanis diſputat, ne digna quidem ſunt, quae a nobis commemorentur. Adeo more ſuo ſophiſtam agit. Quare ad bellum punicum tertium accedimus, tempore exiguum, & in comparatione priorum, minimum labore, ſed plane maximum euentu. Vitio illis datum, quod contra foedus naues haberent, & Maſiniſſam ſocium regem armis infeſtarent. *Cauſa belli*, inquit Florus, (c) *quod contra foederis legem aduerſus Numidas quidem ſemel paraſſet claſſem & exercitum, frequens autem Maſiniſſae fines territabat.* Auide arreptam hanc qualemcunque προφασιν ex eo colligas, quod ſtatim de exſcindenda Carthagine in ſenatu deliberatum ſit, iis quidem rationibus, quae facile ſua-

(b) *lib. II. cap. IX. p. 200. ſeqq.* (c) *lib. II. cap. XIV.*

ſuadeant, de ſuis potius commodis, quam de belli iuſtitia, Romanos fuiſſe ſollicitos. Id iam ab Oroſio (d) obſeruatum, qui ita rationes ſubducit: alii volebant Carthaginem dirui ob ſecuritatem, alii ob virtutem acuendam ſeruari, igitur cauſa non ex iniuria Carthaginienſium erat. Quicquid huius ſit, nihil minus quam cauſae iuſtitiam Romanos ad bella, ſpeciatim Carthaginienſe hocce mouiſſe, longe eſt manifeſtiſſimum. Albericus Gentilis (e) cum fateatur, inuidia ad exſcindendam Carthaginem eſſe inductos Romanos, dixiſſe tamen aliquid ſibi videtur, dum addit: *non inuidia tantum, ſed & noxia eius temporis, quam oſtendi, & quae noxia iuſtam nobis fecit exſcindendi poteſtatem: ſicut fecit inuidia voluntatem. Fateor inuidiam, fateor: & illo vtor Caeſaris: Inuideo gloriae tuae, Cato, quoniam & tu inuidiſti meae. Inuidimus gloriae Carthaginis, quoniam & Carthago inuidit gloriae noſtrae.* Impudentem valde, & bonae mentis inopem eſſe oportet, cui haec fucum faciant. Nocere quo pacto hoc tempore Carthago Romanis potuerit, tot iam cladibus debilitata, vt hi illius excidio ſuae conſulere ſecuritati neceſſe habuerint, ego quidem non intelligo. Eſto, migrauerint Carthaginienſes foederis leges: facili poterant ne-

(d) *lib. IV. cap. XXII. XXIII.* (e) *lib. II. cap. VIII. p. 194.*

Digitized by Google

negotio in ordinem redigi, vt ſanctius eas inpoſterum obſeruarent. Caeſari, ethnico hominini condonandum, quod dixerat: *inuideo gloriae tuae, Cato, quoniam tu inuidiſti meae:* quanquam & grauiſſimos ethnicorum philoſophorum ſuffragantes ſibi habeant, qui prorſus negant, fas eſſe, prauo erga alium eſſe animo, quia is tali eſt erga nos. Quis autem in Alberico Gentili hoc ferat? Quorſum ruit coecus rerum Romanarum amor? Sed progredimur ad alia.

§. CIII. Carthaginis ruinam ſtatim Corinthus excepit, Achaiae caput, Graeciae decus. *Haec, facinus indignum! antea oppreſſa eſt, quam in numerum certorum hoſtium referretur.* Ita Florus. (f) Ergone de belli iniuſtitia adhuc dubitas? Ediſſerit cauſam idem: *Critolaus cauſa belli: qui libertate a Romanis data aduerſus ipſos vſus eſt: legatosque Romanos, dubium, an & manu, certe oratione violauit.* Sed vberius ex Iuſtino (g) rem totam enarrare iuuat. Poenis ac Macedonibus deuictis, Aetolorumque viribus debilitatis, ſoli adhuc ex Graecia vniverſa Achaei nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur, non propter ſingularum ciuitatum nimias opes, ſed propter conſpirationem vniuerſarum. Quaerentibus igitur Romanis cauſas

(f) *lib. II. cap. XVI.* (g) *lib. XXXIV. cap. I. ſeqq.*

Digitized by Google

ſas belli, tempeſtiue fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achaei propter mutuum odium populabantur. Spartanis a ſenatu reſponſum eſt, legatos ſe ad inſpiciendas res ſociorum, & ad iniuriam demendam, in Graeciam miſſuros: ſed legatis occulta mandata data ſunt, vt corpus Achaeorum diſſoluerent, ſingulasque vrbes proprii iuris facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur, & ſi quae vrbes contumaces eſſent, frangerentur. Igitur legati omnium ciuitatum, principibus Corinthum euocatis, decretum ſenatus recitant, quid conſilii habeant, aperiunt. Quod vbi omnibus innotuit, velut in furorem verſi vniuerſum peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipſos Romanorum violaſſent, niſi audito tumultu trepidi fugiſſent. Iam haec in ſummam colligamus. Belli cauſam quaerebant Romani, Achaeorum diſſoluere volebant ſocietatem, liberum populum ſuis cupiebant parere mandatis, & tamen iuſta eorum in Achaeos arma fuiſſe credis? Aſt aduocabantur a Spartanis. Non tamen Spartanorum cauſa veniebant. Hoc ergo nihil ad rem. Et ſi veniſſent, num Spartanorum cauſa iuſta erat? *Propter mutuum odium Spartanorum agros populabantur Achaei*, inquit Iuſtinus. Legati tamen violati ſunt. Non violati ſunt, ſi iuſtino

credimus, parum tamen abfuit, quin violarentur. Sed a quo? A furente plebe, incitatore Critolao. Ergone ſtatim exſcindenda Corinthus? Num principes hoc facinus adprobant? Num detrectabant ſatisfactionem? Hanc vero ne poſtularunt quidem Romani, vrbemque prius oppreſſerunt, quam in certorum hoſtium numerum referretur. Egregie hic ſe traducit Albericus Gentilis. (h) *Quaerebant*, inquit, *Romani cauſam: ſcilicet remedium, quo tutior ſuus & firmior ſtatus euadere poſſit.* Scilicet, aliis iniuſte oppreſſis, ſuum ſtatum tutiorem & firmiorem reddere licet. *Voluerunt corpus Achaeorum diſſoluere: quia Romanis libertas Graeciae curae cordique erat.* Nimirum vt lupo ſalus agni. Diſerte Iuſtinus, voluiſſe eos ideo hanc ſocietatem diſſoluere, quia Achaei hac ratione nimis potentes Romanis videbantur. Sed transeant reliqua.

§. CIV. Hiſpaniae ſubiugandae bella punica dedere occaſionem. Initio non cum Hiſpanis, ſed cum Poenis in Hispania pugnatum eſt, inde *contagio, & ſeries, cauſaque bellorum.* De iuſtitia deliberare ſuperuacaneum vilum. Vel Numantini belli exemplo hoc conſtat. Teſtem luculentum damus Florum: (i) *non temere ſi fateri licet, vllius*

(h) *lib. II. cap. I. pag. 101.* (i) *lib. II. cap. XVIII.*

lius belli cauſa iniuſtior. Nihil clarius dici poterat. Sed loquatur res ipſa.(k) Segulenſes, ſocios & conſanguineos, Romanorum manibus elapſos exceperant Numantini. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. Quum ſe ab omni bellorum contagione remouerent, in legitimi foederis pretium iuſſi arma deponere. Hoc vero erat illis abſcindere manus. Hinc ad arma ventum. Albericus Gentilis hic in omnem ſe vertit partem. (l) Mox Florum accuſat nimii erga patriam (Hiſpaniam) amoris: mox alias ex Appiano adfert cauſas: mox a Floro allatam defendit: *tu Hiſpane ſcriptor, quid popularibus tuis, quid blandiris?* Eſto, fuerit Hiſpanus Florus: non ſufficit dicere, eum aliquid patriae amori dediſſe, probandum erat. Praeſertim cum nimius potius erga imperium Romanum amor in toto hoc opere eluceat. Eſto, rhetorem quandoque potius agat, quam hiſtoricum, potuit rhetor & vera dicere. Sed alias audiamus cauſas. *Num rebellis non erat Numantia?* Iure debellatam priius probare oportebat, quam rebellis dicatur. *Num illic conſilium non eſt initum contra Romanos?* Vix credo de vrbe, quae omni ſtudio a bellorum contagione ſe re-

 mouet.

(k) *conf. de cauſa & iuſtitia belli Numantini Chriſtianus Thomaſius, in diſſert. de ſponſione Numantina, §. IV. ſeqq.* (l) *lib. II. cap. VIII. p. 192.*

mouet. *Sed iusta fuit causa belli, quia Romanorum hostes receperunt.* Ita non tantum Gentilis, sed & Freinshemius, (m) cui non adeo iniusta causa belli videtur, receptatores hostium inuadere: additque ex Iustino, (n) cum Thebis dirutis idem feciſſent Atheniensis, hoc admodum grauiter tuliſſe Alexandrum. Sed ordine hic procedendum, ne discernenda misceamus. Videndum, quinam recipiantur, socii & consanguinei, an peregrini, noxii, an innocentes. Quae barbaries! non permittere recipi, a quibus nullum amplius nobis periculum? Videndum, quomodo recipiantur. Numantini non id hostili fecerunt animo: sed quodam necessitudinis vinculo: hinc deprecatio, belli euitatio, foederis honestae oblatae conditiones. Nihil haec proficiunt, apud Romanos, fastu turgidos & ambitionis oestro percitos. Istud vero Scipionis, qui dedere se honestis conditionibus volentes, ideo recipere nolebat, quia *veram*, & *sine exceptione* cupiebat *victoriam*, quam iniquum, quam inhumanum, quanta cum crudelitate coniunctum! pereundum miseris fuit, ne Scipionis gloriae quicquam deesset. Forte hoc non probauit Romanus populus? Certe improbasse non legimus.

§. CV.

(m) *ad Florum lib. II. cap. XVIII.* (n) *lib. XI. cap. IV.*

§. CV. Cetera nunc vnico complectemur fasce. Etenim crescentibus cum imperio Romanorum vitiis, in bellis quoque, vt in reliquis negotiis omnibus, minus iustitiae habita est ratio. Auctor huius rei nobis ipse Florus est: (o) *Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus, & magnificus: reliqua seculi vt grandia aeque, ita vel magis turbida sunt & foeda: crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis.* Non ergo, vt diu his immoremur, necesse est. Asiaticum bellum ad vindicandam Attali regis hereditatem susceptum. (p) Multa hic quaeri possent: an testamento transferre Attalus regnum in populum Romanum potuerit? an Aristonicus regii sanguinis iuuenis recte a successione exclusus? quibus causis inductus testamentum hoc condiderit Attalus? Nondum puto haec ita prorsus expedita esse, vt de causae Romanae iustitia nullum superfit dubium. Bello Iugurthino causa, non diffitendum, non defuit. Certe per summum nefas, si vera sunt, quae Romani scriptores tradunt, Iugurtha, Micipsae Numidiae regis filius adoptiuus, eiusdem naturalibus Hiempsali & Adherbali praeferri voluit. Adoptiuos enim in successionibus postpo-

(o) *lib. II. cap. XIX.* (p) *vid. Iustinus lib. XXXVI. cap. IV. Plutarchus in Tiberio Graccho, Velleius Paterculus lib. II. cap. IV. &c.*

nendos esse naturalibus, constat. Per summum etiam nefas alterum occidit, alterum regno expulit. (q) Haec aliaque eiusdem scelera recte vlciscebantur Romani, in quorum tutela regnum erat. Cum Salyis, Allobrogibus, aliisque Germaniae Galliaeque populis pugnatum est, vt socios suos ab horum incursionibus tutos praestarent. Nihil honestius; modo quae πρόφασις fuit, eadem semper & causa censeri debet. Sed ni fallor, libertatis amor & metus seruitutis imminentis, quem Romanorum victoriae & mores haud paruum incutiebant, plerosque Galliae & Germaniae populos in Romanos armauit. Hoc vero illis vitio vertendum? Cimbrorum, sedes a Romanis postulantivm, haud aequa petitio: cum quae illis tribuerent Romanis non essent, nec tutum profecto satis, gentem bellicosissimam in sinum recipere. Thraces pro rebellibus habiti: recte, si iure antea victi. Mithridates querebatur, *attrectari terminos suos a Nicomede Bithynico*, cuius causam agebant Romani. (r) Esto, idem elatus animis ingentibus Asiae totius, & si posset, Europae cupiditate

(q) *vid. Sallustius in bello Iugurthinop. m. 53. seqq.*
(r) *Florus lib. III. cap. V. add. Appianus in Mithridaticis, Plutarchus in vitis Sullae, L. Luculli, Cn. Pompeii, &c.*

te flagrauerit. Nihil inde melior cauſa Romanorum. Eadem, immo maior & in illis cupiditas. Poteſt autem contingere, vt vterque prauo conſilio bellum gerat, adeoque & vterque peccet. De Cretico bello rurſus citra ambages Florus: (s)*Creticum bellum, ſi vera volumus noſcere, nos fecimus: ſola vincendi nobilem prouinciam cupiditate.* Cyprus deinde ſine bello recepta, inuitantibus, quibus abundabat, diuitiis, vt idem innuit. (t) Gallicum a Caeſare geſtum, vt hic ſuae litaret ambitioni, immenſae, & immodicae. Eandem ob cauſam & in Britanniam transfretatum. De Parthico bello iterum nos dubitare non ſinit Florus: (u)*nec de fortuna queri poſſumus: caret ſolatio clades, aduerſis & diis & hominibus, cupiditate conſulis Craſſi, dum Parthico inhiat auro &c.* De piratico autem, ſeruili, & ciuilibus bellis, nihil attinet dicere, cum, quid de iis cenſendum ſit, nemini obſcurum eſſe queat.

§. CVI. Et per haec quidem bella, maximam partem longe iniuſtiſſima, ad tantam magnitudinem creuit Romanum imperium, vt mole ſua rueret. Saltem poſtquam ad Imperatores rerum ſumma peruenit, ſimul ad faſtigium, fatorum legibus illi deſtinatum, peruenisſe videbatur, vnde, quae ſub

(s) *lib. III. cap. VII.* (t) *lib. III. cap. IX.* (u) *lib. III. cap. XI.*

Digitized by Google

iis gesta sunt bella, conseruando magis & propulsandis periculis, quam augendo, si pauca admodum, ex dictis fere diiudicanda, exceperis, fuere comparata. De causis ergo bellorum a Romanis gestorum cum satis dictum sit, nunc, quod alterum tractationis nostrae caput est, etiam de modo, sed paucis, dispiciemus. Ad hunc ergo quod attinet, primo quidem constat, bellum, etiam ex iusta causa susceptum, tam diu saltem continuari posse, donec laesus satisfactionem acceperit, simulque certus reddatur, se non amplius inposterum laesum iri. Tunc vero credas, hoc obseruasse Romanos? Ad casas illis redeundum fuisset. Tantum enim abest, vt restitutione impetrata, & securitatis futurae pignore, vt non temere arma posuerint, priusquam gentem ipsam, quacum dimicabant, imperio suo adiecissent. Eundo per singula bella hoc intelligere licet Praeterea in bello non quosuis promiscue interficere licet, sed eos saltem, quorum caedes ad finem belli obtinendum est necessaria. Hinc nec in bello iusto feminas, pueros, senes, & qui hosti resistere nequeunt, interficere fas est. Huius quidem legis haud raro obseruantes fuerunt Romani, sed quandoque etiam immemores. Capta Ilurgi Hispaniae vrbe, ἔκτειναν ὁμαλῶς καὶ παιδία καὶ γυναῖκας, *sine discrimine in-*

interemerunt etiam mulieres & pueros, vt auctor eſt Appianus. (x) Germanicum Caeſarem cum vicos Marſorum ferro flammisque vaſtaſſe, narraſſet Tacitus, (y) addit: *non ſexus, non aetas miſerationem attulit.* Titus Iudaeorum etiam pueros, & feminas, in ſpectaculo feris laniandos propoſuit: vt reliqua nunc taceam. Idem cenſendum eſt de rerum vaſtatione. Etenim ſi rerum vaſtatio hoſti ita noceat, vt ad victoriam & finem belli obtinendum aliquid conferat, in bello iuſto reprehendi nequit, ſiue res ſacrae ſint, ſiue profanae. Romani quidem & hic magnam pietatis & iuſtitiae prae ſe tulerunt ſpeciem: templa & ſacratas Numini aedes non deuaſtarunt, niſi Numine prius euocato: quemadmodum & vrbium genium prius euocabant, quam flammas eis iniicerent. (z) Haec ad fucum incautis faciendum ſpectabant. Ceteroquin quam parum & huius legis obſeruantes fuerint, vel Corinthus teſtatur. De rebus in bello captis conſtat, quod tantum capere liceat, quantum debiti ratio poſtulat. Atque id de ciuium quorumlibet etiam rebus cenſendum, eo quod bellum cum tota ciuitate, adeoque

(x) *apud Grotium de I. B. & P. lib. III. cap. IV. §. IX.* (y) *lib. I. Anual. cap. LI.* (z) *conf. exercitatio noſtra de iure belli circa res ſacras, §. IX.*

by Google

& cum ipsis ciuibus geratur. Romanos vero enormiter hic peccasse, facile probari potest. Etenim existimauerunt, tantum sibi licere bello capere, quantum capere poterant, id quod pluribus documentis euincit ipse Hugo Grotius. (a) Hominum eam hic conditionem esse, volunt naturalis iuris consulti, vt saltem illi non recte capiantur, quos capi ad finem belli parum interest. Vnde qui nec interfici iure possunt, nec capi queunt. Praeterea in captos non pro lubitu saeuiendum, sed humanitatis omnino habenda est ratio. Parum hic rursus cum rationis rectae scitis consentiebant mores Romanorum. Capiebant, quos poterant, quos volebant: in hos statuebant, quicquid lubitum erat. Id quod rursus vel ex iis patet, quae ipse hac de re affert Hugo Grotius. (b) Imperium denique tum demum acquiritur, cum nulla alia ratio supersit, aut restitutionem damni dati, aut securitatem futuram consequendi. Quis vero sibi persuadeat, omnium gentium, quas vicerunt Romani, hanc fuisse conditionem, vt horum iuribus & securitati non aliter, quam imperii cessione, subiectioneue, consuli potuerit? Sed plura addere, hoc vero esset in re non dubia vti argumentis non necessariis.

§. CVII.

(a) *lib. III. cap. VI. §. II.* (b) *lib. III. cap. VII. §. I. seqq.*

§. CVII. Et de bellis quidem Romanorum cum satis dictum sit, idque ea ratione, vt per illustria rerum eundo capita ad ea deducti simus tempora, quibus ob nimiam amplitudinem res Romana quodammodo ad insignem mutationem vergebat: nunc reliqua prosequamur, quae adhuc hinc inde se offerunt. Ambitio ciuium perniciem atque ruinam reipublicae haud dubio accelerauit. Inter hos haud postremus fuit Lucius Sylla, qui profligato Marii exercitu, non tantum vrbe potitus est, omnemque in eam furorem effudit, sed legem etiam tulit, per quam multi, qui cum Mario fecerant, proscribebantur, proscriptorum bona vendebantur, eorumque liberis omnis aditus ad honores, in republica, intercludebatur. Rem pluribus enarrant Cicero, (c) Plutarchus, (d) Appianus, (e) Seneca, (f) Orosivs (g) alii. (h)

§. CVIII. Hae leges, a Sylla latae, an seruandae fuerint? ipsi Romani scriptores disputant. Cicero apud Quintilianum (i) eas seruandas censuit, eo quod status ciuitatis iisdem contineretur. Nec abit hinc procul Flo-

(c) *lib. II. de offic. p. m. 136.* (d) *in Sylla* (e) *lib. I. Ciuil.* (f) *lib. V. de benefic. cap. XVI.* (g) *lib. V. cap. XXI.* (h) *Lucanus lib. I. Florus lib. III. cap. XXI. Augustinus lib. III. de C. D. cap. XXXVIII.*
(i) *lib. II. instit. orat. cap. I.*

Digitized by Google

Florus. (k) Lepidus enim, inquit, acta Syllae rescindere parabat, nec immerito, si tamen posset sine magna clade reipublicae. Mox tamen addit: *expediuisse sauciae reipublicae requiescere quomodocunque, ne vulnera a curatione ipsa rescinderentur.* Vt ergo, quid rationi conueniens sit, pateat, duo hic in censum veniunt: alterum, leges hasce latas fuisse ab eo, qui non habuit potestatem leges ferendi: alterum, leges istas in se quoque fuisse iniustas.

§. CIX. Quod ad primum attinet, in quaestionem deducitur, an leges, ab iniusto inuasore, aut vsurpatore reipublicae, latae, vim obligandi habeant? & rursus, an a successore, vel legitimo principe abrogari queant? De posteriori namque nullum est dubium. Cum enim quilibet princeps, summo imperio gaudens, antecessoris sui leges abrogare possit, multo magis iniustas, aut ab inuasore latas, abrogare poterit. De priori autem aliter sentiendum. Namque licet iniustus inuasor non habeat facultatem leges ferendi, obligant tamen leges ab eo latae ideo, quod probabile sit, eum, qui ius imperandi habet, malle interim rata esse, quae ab illo constituta sunt, quam legibus iudiciisque sublatis, summam induci confusionem. Recte id exprimit Henningius:

(k) *lib. III. cap. XXIII.*

vs: (l) inuaſorem hic ſaltem miniſtrum eſſe eius, quem penes de iure ſummum imperium eſſe debebat, adeoque ſuo iure nihil agere. De legibus autem iniuſtis, quales Syllae fuiſſe conſtat, ita cenſendum, illas per ſe nulla obligandi vi pollere. Tolerari tamen, quae per eas conſtituta ſunt, vtcunque poſſunt, ſi ciuitatis ſalus eiusmodi quid poſtulet, nec ſine grauiori reipublicae periculo mutari queant. Et id quidem eſt, quod Cicero, quod Florus, ſibi voluerunt.

§. CX. Quod Sylla, aliique fruſtra tentarunt, perfecit tandem Iulius Caeſar. Huius res geſtae ciuilium moraliumque rerum ſcriptoribus, non vnum differendi atque disceptandi argumentum praebent. Id vero, quod in eius hiſtoria praecipuum eſt, reipublicae Romanae inuaſio & oppreſſio, ciuiliaque bella ab eo concitata, adeo palam eum omni iuſtitia pugnant, vt nemini vlla dubitandi ratio ſupereſſe queat. His vero miſſis, de bello ſaltem, quod cum Ariouiſto, Germanorum rege, geſſit, aliquid monebimus. Huic namque, pariter ac Germanis, Caeſar, inſcio ſenatu populoque Romano, bellum intulit. Quod quo iure fecerit? quaeritur. Certe Cato Caeſarem perperam

(l) *ad Grotii lib. I. cap. IV. §. XV.*

ram egiſſe contendebat, hinc & eum Germanis dedi voluit. (m)

§. CXI. Factum id quidem haud ſemel eſt ab aliis belli ducibus. Id hiſtoriarum nos condocent monumenta. Ex ipſis Romanorum ducibus Cn. Manlius, iniuſſu populi Romani, bellum Gallo-graecis intulit. Aſt non exemplis, ſed regulis, haec cauſa diſceptanda. Discernendum vero hic ſtatim a bello, quo noſtra defendimus, illud eſt, quo iniuriam illatam reparamus. Illud cum interdum moram non patiatur, a magiſtratu inferiori recte geritur, etiam non conſulto ſummo imperante. Immo omnibus, quorum munus eſt, vigilare pro ſalute reipublicae, haec poteſtas a ſummo imperante, repellendi hoſtium inſultus, conceſſa intelligitur.

§. CXII. De eo vero, quod ad illatam iniuriam reparandam ſuſcipitur, aliter rurſus eſt pronunciandum. Hoc a nemine recte, niſi a ſummo imperante, ſuſcipitur. Nec temere talis neceſſitas hic oriri poteſt, ex qua rite colligatur, inferioribus magiſtratibus eam facultatem conceſſam. Acce-

(m) *Liuius Epitom. CIV. Caeſar de bello Gallico, lib. I. cap. VII. & XII. Plutarchus in Caeſare cap. VI. Oroſius lib. VI. cap. VII.*

cedit, quod noxium admodum foret, eiusmodi poteſtatem inferioribus magiſtratibus concedere, qua bellis, quorum incertus ſemper, dubiusque euentus eſt, inuoluere rempublicam, & hanc adeo in maxima coniicere pericula poſſent. Nec ſufficit coniectura voluntatis, ſi videlicet occaſio detur, illatas iniurias feliciter vindicandi. Cum enim longe maiora incommoda ex iſta facultate conſequi poſſent, nunquam hoc voluiſſe imperantem, recte colligitur.

§. CXIII. Populus Romanus, Caeſare & Pompeio trucidatis, rediiſſe in ſtatum priſtinae libertatis videbatur: & redierat, iudice Floro, (n) niſi aut Pompeius liberos, aut Caeſar haeredem reliquiſſet, vel, quod vtroque perniciоſius fuit, ſi non collega quondam, mox aemulus Caeſareae potentiae ſuperfuiſſet Antonius. His acceſſit Lepidus, quem diuitiarum cupido, quarum ſpes ex turbatione reipublicae, vt Antonium vltiones de his, qui ſe hoſtem iudicaſſent, Caeſarem inultus pater, & manibus eius graues Caſſius & Brutus, agitabant. In hoc velut foedus, pax inter tres duces componitur; apud Confluentes inter Peruſiam & Bononiam iungunt manus: & hinc

(n) *lib. IV. cap. III.*

hinc alter *ille triumuiratus*, exſurgit. (o)

§. CXIV. Hoc tempore quaenam Romanae reipublicae fuerit forma, dubitare, immo diſceptare viros doctos videas. Monarchicam non fuiſſe patet, cum non vnus, ſed tres ſumma rerum fuerint potiti, & quidem aequaliter diuiſa poteſtate. Ex quo etiam colligas, non potuiſſe eam ariſtocraticam eſſe, cum optimates in hac forma iunctim demum ſubiectum ſummae poteſtatis conſtituant, cum inter triumuiros quisque pro ſe imperare auſus ſit. Accedit, quod nec populus in triumviratum conſenſerit vnquam: vnde prorſus pro legitima poteſtate triumuiratus iſte haberi nequit. Sunt, qui triumuiros tres tyrannos dicunt, & eleganter Iuuenalis eos tres Syllae diſcipulos vocat. Dio (p) ſtatum eiusmodi fuiſſe putat, qui nec monarchicus, nec popularis, vocari poſſit. *Populus*, inquit, *amiſſo iam ſtatus popularis imperio, nondum tamen ſub vnius poteſtatem deuenerat, ſed Antonius & Caeſar aequata potentia rerum potiebantur.*

§. CXV.

(o) *Florus lib. IV. cap. VI.* (p) *lib. L ſub init. add. Iacobus Lampadius de republ. Romano-German. part. II. §. IX. & Conringius ad h. l.*

Digitized by Google

§. CXV. Poteſt autem res omnis ita expediri. Pono, tempore Iulii Caeſaris iam formam reipublicae Romanae ex democratica in monarchicam fuiſſe mutatam. Praeterea manifeſtum eſſe puto, penes triumuiros nondum reipſa fuiſſe ſummum imperium. Facto ipſo, non ex conſenſu populi, imperitabant, adeoque pro inuaſoribus potius, quam pro legitimis imperantibus habendi erant. Octauius vero poſt triumuiratum demum, accedente populi conſenſu, imperium adeptus eſt. Quae cum ita ſe habeant, dici poteſt, ipſam quidem formam fuiſſe monarchicam, ſed legitimo imperante deſtitutam; triumuiri autem iſti inuaſores erant, imperium, eiusque adminiſtrationem ſibi vindicabant quidem, iure nondum gaudebant.

§. CXVI. Auguſto nihil magis curae fuit, quam de certo ſucceſſore ſibi proſpicere, & ita res ſuas firmare. Tiberium itaque in filium adoptauit, cum ipſe mascula prole, quae ſuccedere in imperium poſſet, deſtitueretur. Adoptionis itaque iure ſucceſſio Tiberii nitebatur. (q) Nihil vtique ſolennius fuit Romanis, quam aliorum adoptione orbitatis ſuae ſolatium quaerere, quem morem qui de Romanis an-

(q) *vid. Tacitus Annal. lib. I. cap. III.*

tiquitatibus exponunt, (r) pluribus ediſſerunt. Auguſti vero exemplum alii deinceps ex imperatoribus imitati ſunt, vt per adoptionem promtiſſima ad imperium via pateret. Id quod quo iure factum, & an ſucceſſio in imperiis ad adoptiuos etiam filios pertineat? diſceptari ſolet.

§. CXVII. Exemplis ſi ſtandum, iam res confecta eſt. Sed videamus rationes. Adoptio, aeque ac arrogatio, mutuo conſenſu nititur, quo adoptans ſe parentis inſtar futurum pollicetur, qui autem adoptatur, filii partes in ſe ſuſcipit. Si ergo officia pariter ac iura adoptantis erga adoptatum ſpectes, haec eodem plane modo comparata erant, quo ſe habent officia & iura patris erga filium. Hoc ſaltem diſcriminis intercedit, quo pater naturalis & filius, ex lege naturae, adoptans autem & adoptatus, ex conſenſu obligentur. Hinc ſua ſponte etiam ſequitur, quod quae iura filiis naturalibus competunt, eadem & adoptiuis competant, cum inter hos & illos nullum intercedat diſcrimen, quam fundamentum officiorum, atque praeſtandorum, vtrobique diuerſum.

§. CXVIII. In iis itaque regnis, in quibus ſuccedendi ratio a voluntate & arbi-

trio

(r) *Faber in Semeſtribus, Barnabas Briſſonius de formulis, aliique.*

trio ſummi imperantis pendet, adoptivorum ſucceſſio dubio caret. Adoptans enim cum filii loco adoptiuum habeat, manifeſtum eſt, eum quoque voluiſſe, vt ſibi ſuccederet, quod eo magis patet, ſi eam ob cauſam, vt ſuccederet, eum adoptauit. Quod autem in regnis legitimis ſecus ſe res habet, id non tam diſcrimini, quod inter filios naturales & adoptivos intercedit, quam regnorum diuerſitati, eſt tribuendum. In his quippe cum ſuccedendi ratio dependeat a voluntate populi atque conſenſu, aut expreſſo, aut tacito, quoad filios naturales quidem haec ſemper adeſt, non autem quoad adoptiuos. Namque niſi populus diſerte circa horum ſucceſſionem mentem ſuam declarauerit, in eam conſenſiſſe credi nequit: cum adoptiui per naturam non ſint pars eius familiae, in quam regiam dignitatem contulit populus. Equidem, ſi ex eo, quod ſalutare reipublicae eſt, colligendam quis populi voluntatem cenſeat, expedire quandoque adoptionem fateor: rectiusque per eam reipublicae rebus conſuli, quam per natiuitatem. Adoptari enim optimus quisque poteſt, & de quo magna ſpes eſt, bene eum rempublicam adminiſtraturum. Exempla quaedam id teſtantur, & iudicium Plinii, in panegyrico Traiano imperatori

dicto, comprobat, (s) Galbaeque imperatoris apud Tacitum. (t) Nihilo secius & pessimos quandoque adoptatos, constat, non dicam studio, quanquam de ipso Augusto non desunt, qui hoc asserant: saltem communi omnibus iudicii imbecillitate, qua haud raro fallimur, optimosque fore credimus, qui omnium euadunt pessimi.

§. CXIX. Haec cum satis clara sint, non tamen aeque, quid de Romanorum imperatorum adoptionibus censendum, patet. Posset facile aliquis in eam ingredi sententiam, vel ex his ipsis adoptionibus recte colligi, fuisse imperium Romanum velut in patrimonio imperatorum. Accedit namque, quod, vi oppressa Romani populi libertate, cum ipso imperio, potestatem quoque de successione statuendi, ad se rapuerint. Sed non desunt, quae huic sententiae opponi queant. Saltem Tiberius non videri voluit, eo modo hoc imperium acquisiuisse, quo acquiri imperia patrimonialia solent. (u) Quicquid huius sit: si & pro legitimo habeatur imperium Romanum, locum tamen habere poterat in eo successio adoptiuorum: quia adoptiones in popu-

(s) *cap. V.* (t) *Hist. lib. I. cap. XV.* (u) *Tacitus Annal. lib. I. cap. VII.*

Digitized by Google

pulo Romano receptae erant, nec quisquam abnuebat, quin omnibus liberorum naturalium iuribus fruerentur adoptiui. Ergo si ponamus, populum adoptiuis eadem iura, quibus naturales gaudent, tribuere, recte inde concludimus, velle quoque eum, vt in imperium non minus adoptiui, quam naturales succedant. Tiberio quidem adoptionis titulus, ad cupiditates res novas molientium refraenandas, non satis firmus visus est. Sed hoc, puto, inde factum est, quod probe sciret, adoptionem eius non tam iudicio Augusti factam, quam Liuiae matris ambitu, & artibus, procuratam fuisse.

§. CXX. Ceterum non desunt, qui succedendi rationem, electione quadam temperatam, in Romano olim imperio obtinuisse, putant. Quod de primis tamen imperatoribus non aeque concesserо; apud quos haud dubio per successionem imperium ab vno ad alium transibat. Post Neronis tamen obitum inualuit licentia militum, Caesares constituendi. (x) Quantum malorum hinc in rempublicam Romanam redundauerit, praeter Tacitum atque Suetonium, Spartianus, Lampridius, Vopiscus, ceteri historiae augustae scriptores testantur. Nobis vero de iure electionis isti-

(x) *vid. Tacitus histor. lib. I. cap. I.*

vs, a legionibus factae, paucis dispicere animus est.

§. CXXI. Hugo Grotius (y) ius eligendi imperatorem ad populum pertinuisse putat, & aliquoties etiam a populo, aut per se aut per senatum, electionem factam esse: quae autem a legionibus modo his, modo illis factae sint, non fuisse ratas ex iure legionum, sed ex approbatione populi. Aſt fallitur haud dubio magnus ille Grotius, dum a populo electos imperatores adserit. Eius enim rei nullum proferre potuit exemplum. Tacitum imperatorem a senatu electum, sunt, qui perhibent, (z) quanquam nec illud dubio careat. Accedit, quod ad Neronem vsque successio in imperio Romano obtinuerit, post eum vero inualuisse militarem licentiam imperatorem constituendi, iam antea monuimus. (a) Ex hoc vero non colligendum, semper obtinuisse electionem, cum illud facti, non iuris sit, quod hanc potestatem sibi vindicauerint legiones: & praeterea, ex successiuo electiuum fieri regnum, non sit insolens.

§. CXXII. Miror equidem, Grotium, quod dixerat, exemplo Adriani, Pertinacis, Iuliani, Seueri, Macrini, Maximini, Balbini, Aureliani,

(y) *lib. II. cap. IIX. §. XI.* (z) *Flauius Vopiscus in Floriano cap. I.* (a) *couf. Conringius ad Lampadium part. II. §. X.*

Digitized by Google

ni, aliorumque probare auſum eſſe. Satis vtique incaute. Hosce enim omnes, quorum meminit, nec a populo Romano, nec a ſenatu electos fuiſſe, palam eſt. Vel vnicum Adriani hoc probat exemplum. Hunc namque, Aelius Spartianus auctor eſt, cum ad ſenatum ſcriberet, *veniam petiiſſe, quod de imperio ſuo iudicium ſenatui non dediſſet, ſalutatus ſcilicet praepropere a militibus imperator, quod eſſe respublica ſine imperatore non poſſet.* (b) Diſerte a militibus eum ſalutatum imperatorem dicit. Nec eſt, quod quem moueat excuſatio Adriani, & quod veniam petierit. Id namque fecere nonnulli imperatores, vt ſpeciem auctoritatis priſtinae ſenatui conſeruarent, non quod eligendi poteſtas penes ſenatum eſſet. Simulate potius quam vere hoc eos feciſſe, luculenter probat Iſaacus Caſaubonus. (c)

§. CXXIII. Quicquid huius ſit, an a legionibus ſalutatus, rite electus imperator cenſeri queat? id eſt, de quo quaeritur. Negare id videtur Grotius, affirmare Gronouius. (d) De legionibus enim hic ait: *Haec faciebant, ſuſtinebant, deſtituebant, deſtruebant, vbi libuiſſet, principem, ſi non iure, at quaſi iure: populum Romanum plorare iubebant, aut adulari.* Sed aliud eſt, an imperator a militibus conſtitutus ſummum habuerit imperium, ſiue iure, ſiue

(b) *Spartianus in Adriano cap. VI.* (c) *ad Spartiani l. c.* (d) *ad Grotii l. c.*

facto? aliud, an electioni vitium adhaeserit? Prius euincunt rationes a Gronouio adlatae: non autem posterius. Electionem enim istam a legionibus factam non caruisse vitio, prorsus arbitror. Constituebant, fateor, milites partem reipublicae: non tamen totam rempublicam. Esto, desinat successio: haud dubio facultas eligendi ad totum populum, qui tum rempublicam constituit, redit. Quae vero a parte populi, vt militibus, per vim peragitur electio, nec ab iis, a quibus fieri debebat, nec eo modo, quo eam fieri par erat, facta censeri debet. Equidem si militibus a republica haec facultas concessa fuisset, aliter esset pronunciandum, sed id frustra adseritur, cum idoneis documentis probari nequeat.

§. CXXIV. Hucusque itaque progredi animus fuit. Restat equidem vltima imperii Romani periodus, sub imperatoribus, & ea maxime tempora, quibus primo diuisum & laceratum, mox destructum penitus, atque euersum fuit Romanum imperium. Sed haec vt vitiorum, quam virtutum, fuere feraciora; ita non adeo multa nostrae disceptationi suppeditant argumenta. Nonnulla tamen, quod non abnuo, & hic occurrunt, accuratiori disquisitione non indigna: sed nobis specimen saltem dare iurisprudentiae historicae constitutum fuit: quod iam abunde nos praestitisse, arbitramur. Ergo vela contrahimus, & reliqua aliis discutienda relinquimus.

S. D. G. SE-

Digitized by Google

SERIES DISSERTATIONVM.

I.

Hiſtoria iuris naturae & gentium, aucta & continuata.

II.

De expeditionibus cruciatis, ſeu bellis, quae religionis propagandae cauſa geruntur.

III.

De ſucceſſionibus primogenitorum.

IV.

De pietate philoſophica, ſeu religione naturali.

V.

De iure belli circa res ſacras.

VI.

De cultura ingenii.

VII.

De officio imperantium circa conſcribendum militem.

VIII.

De teſtamentis ſummorum imperantium, ſpeciatim Caroli II. Hiſpaniae regis.

IX.

Vlterior disquiſitio de iure gentis Auſtriacae in regnum Hiſpaniae.

Digitized by Google

X.

De comparatione obligationum, quae ex diuerſis hominum ſtatibus oriuntur.

XI.

Iurisprudentiae hiſtoricae ſpecimen, ſeu controuerſiarum iuris naturae & gentium illuſtrium, ex hiſtoria Romana, conſpectus.

INDEX RERVM.

A

Abnegatio ſui in quo conſiſtat, 219
Achaici belli iniuſtitia, contra Alberi-cum Gentilem demonſtrata, 880
Adoptiui filii, an & quousque ſuccedere debeant? 899
Adoptiuorum cum filiis naturalibus comparatio, 898
de Adoptiuorum ſucceſſione in imperio Romano, quid cenſendum? 898. ſeq.
Adoratio Numinis quid? 216
ſpiritualis ex quo fonte fluat? 221
Adrianus imperator non a populo, nec a ſenatu electus, 903
Aequalitas, concordiae & omnis boni mater, 620
Aerarium principis augendi via breuiſſima. 488

Aetas

Aetas num ingenii culturam impediat, 349
tenera non in ludicris & friuolis rebus consumi debet, 350
Aetolici belli iniustitia, 875
Affectus etiam ingenii indices, 382
naturalis non extirpandus, 728
Affectuum moderatio ad veram & solidam eruditionem summe necessaria, 390. seq.
Albani belli iniustitia, 850. seq.
Alberti, (Valent.) ex statu integritatis ius naturae deriuantis, systema, 47. seq.
Alexandri III. R. P. sanctio, 360
Alexius Comnenus Imp. Constantinop. Europaeos principes ad bella sacra incitauit, 116
Imperator a quibusdam perfidiae arguitur, a quibusdam excusatur, 133
Aliena non curet artium cultor, 362
Allobrogici belli iniustitia, 886
Alphonsus ob nimium astrologiae studium reprehenditur, 355
Althusius a Conringio nimis duriter tractatus, 78
Amandi ordo qualis esse debeat, 728
Ambrosii labor in iure naturae, 16
Amicitiae natura, 720
Amicitia vera non nisi inter bonos est, 720
Amicorum comparatio, tum inter se, tum maxime cum cognatis, 722
in successionibus ab intestato nulla habetur ratio, 723. seq.

Amo-

Digitized by Google

Amoris officium ex voluntate Dei, non ex affectu metiendum, 227
Anglica inter Carolum I. & populum dissensio, 76
Animae immortalitas probatur, 240. seq.
Anna Ludouici XIII. R. G. coniux solenni ritu iuribus suis in regnum Hispaniae renunciauit, 574
Annibalis deditionem quo iure Romani a Prusia postulauerint? 839
iusiurandum, quo se ad hostilem erga Romanos animum obstrinxit, iniustum & irritum, 836
Ἀνθρωπομυντεία. 261
Anthropomorphitarum error explosus, 355
Antiatheistici scriptores, 250
in Antiquitatis studio delectus habendus est, 331
Apanagium quid? 172
Ἀπειροκαλεία, 352
in Aristotelem quidam sunt nimis iniurii, 28
Aristotelicorum de iure naturali doctrina, 24
Aristotelis mens a paucis ipsius interpretibus percepta, 29
philosophia moralis quo loco habenda, 29
Arnisaeus, Henninges, monarchomachicorum strennus impugnator, 75

Artes

Digitized by Google

Artes quaedam excolendae quidem sunt, sed vitandus in iis excessus, 327
Artis criticae vtilitas, 328
vanitas, 329. seq.
Asiatici belli iniustitia, 885
Astrologia a multis damnata, a quibusdam defensa, 316. seq.
quo loco habenda? 322. seq.
Asyla multarum gentium moribus fuere comprobata, 793
an recte exteris pateant? 794
an eiusdem reipublicae ciuibus? 794
Asylum a Romulo constitutum, 792
excusari non potest, 794
Athei an dentur? 249
pauciissimi in lucem prodeunt, 251
Atheismi nota non temere vlli inurenda, 252
Athenienssium idololatria, 253
Atheorum characteres, 251. seq.
historia vnde haurienda, 251
Ἀθεότητος crimen multis olim perperam inustum fuit, 250
Audire alios, quam necessarium sit, 408
Αὐτοδιδασκαλίας incommoda, 407
Αὐτοδίδακτοι, 408

B.

BEcmanni (Io. Christoph.) ad promouendum iuris naturae studium labor 89

cum

Digitized by Google

cum Masio controversia, 84
Belgarum caulam quinam egerint? 75
Belgici proceres, an prudenter faciant, quod praesenti bello se immiscent? 624
quo pacto suae possint consulere securitati? 623
Belgii foederati fata, 622
Belgium hispanicum hodienum ad imperivm pertinet, 614
& olim in obsequio fuit imperii, 613
Bella non nimis sint frequentia, 480
quousque licita sint? 446
repraesentatitia apud gentes non fuerunt infrequentia, 796
quibus rationibus a Grotio reiiciantur, 797
quando licita sint secundum Grotium, 801
Bella Romanorum fuerunt iniustissima, 447 849
Belli iniustitia non temere ignota esse potest & debet, 459
iusti quaenam causae sint, 104
in bellis iustitiae & humanitatis leges multis modis violantur, 447
multa iniusta creduntur, quae tamen non iniusta sunt, 272
Bellorum foeditas, 444
incommoda, seq.
quae Romani gesserunt cum vicinis, iustitia. 856. seq.

re-

Digitized by Google

repraesentatitiorum iniuſtitia demonſtratur, 799
in bello quantum rite acquiratur, 290
tantum licet, quantum eius finis permittit, 288
Bellum an ſuſcipere liceat pro iis, qui eadem nobiscum ſacra colunt, 115
offenſiuum quodnam dicatur, 109
punitiuum, merum eſt figmentum, 105
quando iuſte ſuſcipiatur, 110
Bernhardus tertiae expeditionis ſacrae auctor & ſuaſor fuit, 128
ideoque multis male audit, 128. ſeq.
Boekleri (Io. Henr.) in ius naturae merita, 37
Bonitas Dei inter omnia eius attributa eminet, 217
hominem ad ipſius amorem excitat, 218
itemque ad ſui abnegationem, & deuotionem, 219
de Bruto quid cenſendum. 814

C.

CAlliditas ſaepe prudentiae nomine venit, 132
Camilli perfidia fruſtra ab Alberico Gentili excuſata, 854. ſeq.
Campani, quo iure a Romanis praelati ſint Samnitibus, 859

Capti-

Captiuorum permutatio, an ſit rationi conueniens? 836
Carolus Audax a Caeſare petiit, ſe regem Belgii declarari, 613
Carolus II. R. H. teſtamentum condidit. 568. ſeq.
in quo tamen eius conſenſus defuit, 564
Carolus II. non potuit genti Auſtriacae ius quaeſitum per teſtamentum eripere, 571
Carolus V. Belgium ab imperio neutiquam ſeparauit, 614
Carthefii demonſtratio exiſtentiae Numinis quam vim habeat, 206
Carthefio quis finis reformandi philoſophiam fuerit? 401
Chriſtus temporale regnum recuſauit, 127
Cimbrici belli iniuſtitia, 886
Ciues an ad arma capienda cogi poſſint ab imperante, ſi bellum iniuſtum eſſe credant? 458. ſeq.
num cogi poſſint, ſi de iuſtitia belli dubitent? 460
quandoque ad militiam ſubeundam cogi poſſe, conceditur, 462
Ciuis principi ſuo inſidias ſtruens, excuſari non poteſt, 824
recte petitur a ciuitate. 840
Ciuium numerus quo pacto augeri poſſit, 477. ſeq.
Cloelia virgo, an recte ſe fuga ſubduxerit? 825

per-

perperam omnino egit, 827
Cocceii placita a Keſtnero expoſita, 64
Cocceiorum (Henr. & Sam.) in ius naturae merita, 64. ſeq.
Codicillorum nomine quid veniat, & cur introducti, 550
ex Cognationis iure Stoici officia hominis erga alios deriuabant, 750
Cognatio naturalis ex Scriptura ſacra, & eccleſiae doctoribus adſtruitur, 751. ſeq.
Cognationis ſpiritualis praë naturali praerogatiua ampliſſima demonſtratur, 754. ſeq.
natura & indoles vlterius illuſtratur, 761
vinculo coniunctorum comparatio inter ſe, 763
Cognatorum tum inter ſe, tum cum aliis hominibus comparatio, 712
huius comparationis vſus in ſucceſſionibus ab inteſtato declaratur, 713. ſeqq.
Collegarum iura, 739
cum reliquis ciuibus comparatio, 740
Commerciorum in republica maxima habenda ratio, 474
quod apud Romanos minus fiebat, 474
Comparationi officiorum & obligationum maxima ineſt difficultas, 680
quae tamen ab huius argumenti tractatione nos deterrere non debet, 681
Comparationis obligationum modus eminentior, 683

in reliquis obligationum modis ratio, 685
Comparationis obligationum quinam mentionem fecerint, 686
Verulamii de hac doctrina consilium proponitur, & Placcii in illud censura discutitur, 687
Comparatio officiorum erga alios, ex certo statu fluentium, quot modis institui queat, 692
non est inutilis, vt Placcius putat, 685. seq.
Comparationum fontes inter se distinguendi, 692
Coniugis in successione ab intestato praerogatiua, an & quousque per leges ciuiles circumscribi queat, 700. seq.
Coniunctio Galliae & Hispaniae per successionem ducis Andegauensis non impeditur, 601. seq.
quare eam voluerint impedire reges Hispaniae, 600. seq.
Confraternitatum vis, 557
Conscientiae errantis indoles, 461
contra Conscientiam dubiam nihil est agendum, 641
Consecrationem rebus physicam quandam impertire qualitatem, falsum est, 276
Consecratio templorum in ecclesia Romanensi vsitata, superstitione non caret, 276

Con-

Digitized by Google

Conſules Romani in ſponſione Caudina contra datam fidem egerunt, 844
Conuerſatio cum eruditis ſectanda, 409
Cretici belli iniuſtitia, 887
Cultui Dei externo, quae aduerſentur vitia, 267
diuino, an certum tempus conſecrandum, 233
diuino vt vnus ex hebdomade dies deſtinetur, ad leges poſitiuas diuin. vniuerſ. vt vero ſeptimus, ad leges poſitiuas particulares pertinet, 237
Cultus Dei externus quid? & an ab homine exigatur? 223
diuini ratio, ex attributis Dei intelligitur, 217
Curioſa non ſunt praeferenda quotidianis, 437
Curioſitas, num in vitijs ponenda? 402
Curioſitatis cauſa, 402
Curtii Marignolli ingenium in obſcoenis occupatur, 395
Cyprici belli iniuſtitia, 887

D.

DAuidis & Goliathi certamen, 803. ſeq.
Defenſio, quae religionis cauſa ſuſcipitur, quando locum inueniat, 109
Defunctorum voluntas religioſe cuſtodienda, 506

Delphinus, an gaudeat iure repraesentationis, 585
nec matris, nec auunculi sui heres, ratione Hispaniae dici potest, 591
Dei attributa & perfectiones, 212
existentia ex ratione constat, 204
quo pacto probetur, 208
quo pacto a posteriori demonstrari possit, 207
ex structura corporum optime euincitur, 208.
item ex consensu omnium gentium, 209
prouidentia ex ratione demonstratur, 211. seq.
vnitas aeque euidens est ac eius existentia, idque ex ratione intelligitur, 210
ipsis quoque ethnicis credita, 210. seq.
de Deo considerate loquendum, 226
Deo credendum, 222
nil nisi eximium praestandum, 229
Deum esse colendum, ratio dictitat, 217
placabilem, ratio dictitat, sed modum nescit, 222
Deuotio quid? 219
Deus adorandus, 221
etiam coram aliis venerandus & colendus. 229
inuocandus, 224
magis quam omnes cognati diligendus, 227

pro-

propter se ipsum amandus, 219
timendus, 221
Dictatores, an habuerint maiestatem? 817. 819.
etiam optima lege constituti non habuerunt maiestatem, 819
non fuerunt vnius generis, 818
Dictatoris in republ. Romana constitutio, 816
Dignitas, num ingenii culturam impediat, 353
Dissensio principum causa infelicis successus in Palaestina fuit, 139
Dissertationes doctorum virorum plurimi faciendae, 71
Doctrinae christianae indoles, 15
Dominii rerum necessitas, eiusque a Deo approbatio, 498
de Dominio eminenti controuersia, quomodo iuris naturae studium auxerit? 79
maris controuersia quid iurisprudentiae naturali profuerit? 87
Dominium eminens quid? 469
primum a Grotio assertum. 79
nimis extensum a Io. Fried. Hornio, 80
Dominorum & cognatorum comparatio, ratione seruorum, 729
Duci bellico, in bello defensiuo, licet, inscio imperante, arma capere, 894
non autem in bello offensiuo, ibid.
in Ducibus eligendis probitatis quoque ha-

habenda ratio, 488
Ducum multitudo felicibus expeditionum ſacrarum ſucceſſibus obſtitit, 138
Duella, quae pro exploranda iuſtitiae cauſa olim apud Germanos ſuſcipiebantur. 799

E.

EBraei doctores de iure naturae non male meriti, 33
fana & lucos gentilium ex praecepto Dei deſtruebant, 282
Eccleſia non eſt ſocietas quaedam ciuilis, 279
Educatio liberorum hodie corrupta, 428
quo pacto inſtitui debeat, ibid.
Ekkii principia iuris naturalis, 58
Electiones Imperat. Rom. a militibus factae non caruerunt vitio, 409
Emanuelis imperatoris ſceleſta perfidia, 134. ſeq.
Ἐνθουσιασμὸς poëticus 311
Epiſcureismus quid? eius aſſertores, 256
a multis confectus, 257
Errorum ſcaturigo, 389
Eruditionis pars vna praeſtantior altera, 332
Eruditi titulum quis promereatur, pauci conueniunt, 388
Eruditio quid? & quibus partibus abſoluatur? 308

qui-

quibus mediis comparetur? 406
Eruditorum vitia, 394
Ethnicorum libri num voluendi christianis? 423. seqq.
sunt caute legendi, 424
Etrusci belli iniustitia, 852
Exempla non habent vim legis, 165
Exercitationes corporis a milite non negligendae sunt, 483
Expeditiones cruciatae a multis ex animi levitate susceptae, 121
ab aliis ex vana superstitione, 122
etiam quoad modum gerendi iniustae fuerunt, 124
imprudenter fuerunt susceptae, quod Graecorum imperatorum fidem sibi polliceri non potuerunt, 132
inepte a quibusdam editis miraculis a Deo adprobatae creduntur, 129
non possunt defendi, quod religionis causa sint susceptae, 114
pontificibus vtiles fuerunt, 136
pontificum Romanorum instinctu sunt susceptae, 101
religionis, vt dicebant, propagandae & conseruandae causa, 103. seq.
Expeditionibus sacris Rom. pontifices ad firmandam suam potentiam sunt vsi, 188

Expeditionum ſacrarum infelices euentus, 140. ſeq.
Εὐσεβείας voce quid Graeci innuerint. 201

F.

FAbulae veterum, an ſint culpandae? 14
Romanenſes damnantur, 419
Facultates animi in quantum aequales dici poſſint, 370
Fati nomen a quibusdam in mitiorem ſententiam detorquetur, 208
Fatum Stoicum quid? 258
in prouidentiam diuinam eſt iniurium, 258
Feciale ius quid ſignificet? 806
Fecialia iura quando inſtituta? 806
Federum a ſponſionibus diſcrimen, 842
Feldeni contra Grotium conatus, 35
Felicitas hominis ſumma, in quo conſiſtat, 239
non ſolo rationis ductu obtinetur, 241
poſt hanc vitam demum plene obtinetur, 240
Felicitas reipublicae externa quaenam ſit? 618
Feminae, an ad ingenii culturam aptae ſint? 346. ſeq.
non prorſus a ſucceſſionibus excludendae, 435

Feu-

igitized by Google

Feuda nonnunquam ad feminas etiam transmitti poſſunt, 610
Feudum hereditarium per teſtamentum poteſt abalienari, 523
Fidelitas ſacra, 228
Fiducia in Deum, ex quo fonte fluat? 220
Filia ex filio, an ſit praeferenda filio ex filia? 188
Fluminis ſabbathici commentum vnde? 236
Forditudinis verae fundamentum, 467
Foertſchii (Michaëlis) in doctrina de officiorum comparatione conatus, 690
Förtſchio (Michaëli) quid ius naturae debeat, 69
Frater natu maior in ſuccedendo iure praefertur reliquis, 178
Fraternitas chriſtiana, 745
ex antiquis eccleſiae doctoribus declaratur, 746
Friedericus I. imp. expeditionem IV. in Palaeſtinam ſuſcipit, 142
Turcas fugat, ſed victoriae fructu orbatur, 143
Fridericus II. pontificis iram placaturus in Palaeſtinam proficiſcitur, 144
ſed odio pontificis reuerti cogitur, 145

G.

GAllia maximis bellis, ex diuiſione ortis, vexata, 175

Digitized by Google

Gallici belli a Romanis gesti iustitia, 854
Gallos de iure suo in Hispaniam dubitasse, probabile est, 564
Gentes ad religionem quandam amplectendam vi cogi non possunt, 110. seq.
non eodem omnes pollent ingenio, 344
Gentium ius peculiare non datur, 164
mores & instituta non euincunt, aliquid iure naturae sancitum esse, 161
Genua flectere precantem decet, 226
Geometriae nimia commendatio, 340
Gloriae cupiditas pessime a quibusdam, tanquam eruditionis comparandae medivm, commendatur, 400
Graeci a locis sacris in bello abstinuerunt, 280
Graswinkelii (Theod.) pro Grotio conatus, 36
vindiciae maris liberi, 88
Gratiae Deo sunt agendae, 224
Gratiarum actio quid? 223
Groeningii (Io.) bibliotheca iuris gentivm, 73
Gregorii pontificis acerbum in Fridericum II. imp. odium, 145. seq.
Gronouii in Hugonem Grotium merita, 51
Grotiani operis fata, 32
Grotii (Guilielmi) Enchiridion, & in illud commentationes, 40

Digitized by Google

in Grotii (Hug.) libris quaedam reprehenduntur, 30
Grotii commentatores, 70
opus in linguam Gallicam verſum a Curtino, 52
quodnam habuerit inſtitutum in ſuis de B. & P. iure opere, 31. 72
Grotius enucleatus Dethleui Marci Frieſii, 61
Grotius (Hugo) iuris naturalis reſtaurator feliciſſimus, 30
ſualu Peireſcii opus ſuum compoſuit, 31

H.

HAdriani imperatoris litterarum amor, 353
Henricus VI. imp. expeditionem in Palaeſtinam ſuſcipit, 143
ſed ob militaris diſciplinae neglectum pauca memoratu digna gerit, 144
Heredis conſenſus, an requiratur ad obligationem teſtamenti, 498
Heres legitimus, an per teſtamentum regis a ſucceſſione excludi poſſit? 594
Hertii (Io. Nic.) in ius naturae merita, 71
Hieronymus ob aſſiduam Ciceronis lectionem caelitus arguitur, 423
quod tamen a quibusdam pro fabula habetur, 424

Hiero-

Digitized by Google

Hierosolyma cur a militibus cruciatis facile
sit occupata, 140
cur rursus iis a Turcis erepta? 141
Mahummedanis subiecta, 98
Hispania cur adeo incolis sit exhausta? 479
intempestiuis diuisionibus magnopere adflicta, 175
sitne regnum legitimum, an patrimoniale, 535
in Hispania obtinere successionem linealem cognaticam, conceditur, 571
Hispaniae regna pleraque olim fusse hereditaria, vult Cabotius, 536
regnum quando legitimum factum, 540
Hispanicarum ditionum diuisio ab Anglis, Batauis, & Gallorum rege facta, 563
Hispanorum causa in controuersia Belgica, a quibus acta, 76
Histrici belli iniustitia, 877
Hobbesius (Thom.) in quibusdam laudatus, in multis vituperatus, 34
Hominum, quae ex religione oritur, diuersitas, 745
Homo ad aliorum commoda promouenda natus est, 296
ideo ad animum bonis artibus excolendum

Digitized by Google

dum obligatur, 297. seqq.
Horatiorum & Curiatiorum certamen, 796
Hornii (Io. Fried.) de dominio supereminenti cum Lysero controuersia, 80
politica architectonica, 74
Hospitalitatis non minor hodie necessitas, quam olim fuit, 734
Hospitum comparatio cum cognatis, 735
& cum clientibus ex mente veterum, 737. seq.
quae sit ratio? 733
erga hostem, an dolis & stratagematibus vti liceat? 791
Hostis ad poenam expeti non potest, 840
Huberi (Vlrici) ius ciuitatis, 75
Hugonis de Roy in ius naturae merita, 70. seq.
Humilitati studendum 247

I.

IAcobi (A. R.) monitum ad filium, 356
Idea entis perfectissimi, an natura nobis insit, 207
Idololatria quid? 260
Idololatriae varii modi, 261
Ἱεροσκοπία, ibid.
Iesuitarum quorundam doctrina, iuri natur. multum nocuit, 28
Imaginatio cohibenda, 440
Imperio eminenti num locus sit in coactione

ne ciuium ad militiam, 476. seq.
Imperium eminens quid? 469
Impietas quid? 248
Impietatis variae species, 248. seqq.
Improbi sibi ipsis eruditione sua nocent, 393
Imaginum cultus aut idololatricus, aut saltem superstitiosus est, 262. seqq.
Inaequalitas non semper pugnat cum iure naturae. 171
Indictio bellica, an & quousque iuris naturalis sit, 808
speciatim de indictione secundum mores Romanorum, & secundum mores nostros, 808. seq.
Infideles ad religionem christianam cogi posse, quidam Romanenses arbitrantur, 112
quod ab aliis diserte negatur, 113
Ingenii cultura, in quo consistat, 307
Ingenii cultura omnibus hominibus est iuncta, 298
circa Ingenii culturam multiplici ratione erratur, 302
ad Ingenii culturam quinam apti sint? 343 seqq.
Ingenii exploratio summe necessaria, 377. seqq.
quo pacto instituenda? 379
variae acceptiones, 302

Digitized by Google

Ingeniorum capacium diuerſitas, ſecundum Huartum, 367. ſeq.
ſecundum noſtram hypotheſin, 369
mutatio apud integras gentes vnde? 345
varietas vnde? 374. ſeqq.
Ingenio qui plane deſtituuntur, an a litteris arcendi, 366
Ingenioſi ceteris ad vitia ſunt procliuiores, 397
Ingenium quid? 304
ex aëris circumfuſi conditione varie temperatur, 344
num cultura indigeat? 305
qui non excolit, in alios iniurius eſt, 300
Innocentius III. anathematis fulmen vibrat in eos, qui crucem ſumere recuſant, 101
Inſtitutionis multiplex fructus, 406. ſeq.
quae viua voce peragitur, commoda, 408
Intaphernis vxoris optio iniquiſſima fuit, 718. ſeq.
Ioannis Brandenburgici modeſtia, 189. ſeq.
Italorum ingenia maximopere mutata, 345
principum quae ſit vera ratio ſtatus, 621
Iudicium magis excolendum, quam vis imaginandi, 439
Iugurthini belli iuſtitia, 885
Iulius Caeſar per ſummam iniquitatem rempublicam Romanam oppreſſit, 393
quo iure, inſcio ſenatu populoque Romano, Ariouiſto bellum intulerit? 893

Iurisprudentia, an theologo neceſſaria? 362
Iurisprudentiae naturalis facies hodierna, 90
naturalis reſtauratio per Hugonem Grotium, 30
Ius gratiae, an quandoque dandum ſit? 829
hereditarium bonorum ciuilium Israëlitici populi, chriſtianis non competit, 126
imperfectum, & virtus, num vnum idemque ſint, 684
nondum natorum quodnam ſit, 588. ſeq.
perfectum & imperfectum quid? & vnde? 684
principum quo pacto ſit perpetuum? 644
quaeſitum nonniſi per conſenſum alterius acquiritur, 588
Iusiurandum caute concipiendum, & ſancte ſeruandum, 227. ſeq.
Hannibalis illicitum fuit atque irritum, 838
nouam obligationem non producit, 837
multo minus duplicem, 838
ſeruare aliquando turpius eſt, quam violare: quid tum factu opus? 837
Ius naturae cum ipſis hominibus natum, 7
a parentibus & imperantibus olim inculcatum, 7. 8. 9.

a phi-

Digitized by Google

a philosophis neglectum, 22
differt a disciplina christiana, 88
dupliciter sumitur, 68
insigniter auctum per controuersias illustres, 74
nemini concedit facultatem de re aliena disponendi, 503
per theologiam christianam purgatum & restitutum fuit, 14. seq.
quare recentiori demum aetate digne excoli coeperit, 11
seculis barbaris a scholasticis obscuratum & corruptum, 17
a recentioribus scholasticis erroribus auctum 17. 18
theologiae & iuri ciuili fuit immixtum, 10. 11. 12
etiam theologiae corruptae gentilivm, 13
Ιχθυομαντεία, 261

K.

Κακοζηλία gentilium cum perfectione Numinis pugnat, 255
Kulpisii (Io. Georg.) in Grotium merita, 52

L.

LAbem originalem ignorat ratio sibi relicta, 243

Digitized by Google

Langii conceptus iuris vniuerſalis, 7
Lapſus protoplaſtorum non niſi ex ſacris litteris nobis innoteſcit, 242
Latinae linguae dignitas, vſus & voluptas, 333. ſeq.
neceſſitas quanta? 334
Latini belli cauſa, 880
Latinitas non ex ſcriptis obſcoenis haurienda, 416
Latinitatis ſtudium, quo loco habendum, 333. ſeq.
Latronum coetus a iuſta ciuitate, quo pacto differat? 783
an in ciuitatem eualeſcere mutatis moribus queat? 784
Lectio nimia ſine meditatione multum nocet, 430. ſeq.
Leges ab iniuſto inuaſore aut vſurpatore reipublicae latae, an habeant vim obligandi? 892
praeſertim ſi iniuſtae ſint, 893
ciuiles & naturales inter ſe permixtas rite ſecernere, admodum eſt difficile, pag. 10. 11.
gentium luculenta iuris nat. veſtigia continent, 9
militares diuinae, aequitatis & ſapientiae plenae, 468
accurate ab Iſraëlitis obſeruatae, 465 ſeq.
po-

positiuae vniuerſ. qua occaſione in ſcenam ſint productae, 55
Legibus diuinis obſequi tenemur, 230
Legum ciuilium origo, 8
positiuarum vniuerſ. promulgatio incerta, 57
Lex de colendo numine triplici modo violatur, 259
Liberi an omnes ſemper eodem loco ſint habendi? 758
Liber optimus, rerum natura, 368
Liberorum aequalitati non obſtat, quod in ſucceſſionibus primogeniti praeferantur, 710
comparatio inter ſe, 70
praerogatiua prae parentibus certis circumſcribitur limitibus, 698
Libri boni quinam habendi? 414
magici & ſceptici iure damnantur, 420 ſeq.
obſcoeni ex orbe litterarum proſcribendi, 414
num ob ſermonis nitorem legendi 416
Librorum inopia, an aliquem arcere a ſtudiis debeat, 365
lectio litterarum cultori neceſſaria, 410
a quibusdam damnatur, 411
reiectio etiam Luthero per calumniam

obiicitur, 412
ſelectus inſtituendus, 413
Litterarum ſtudia perpetuis circulis quaſi circumaguntur, 43.ſeqq.
Lotus quo iure hoſpites filiabus ſuis praetulerit, 736
eius facinus non eſt imitandum, 737
Luciani lepidum commentum de nimia ſubtilitate, 207
Ludouici Pii infauſta regni diuiſio, 174
Ludouicus XII. Gall. rex ducatum Mediolanenſem vi ſibi ſubiecit, 607
Luſitanica controuerſia a quibus acta, 76

M.

MAcedonici belli primi, & ſecundi, iniuſtitia, 875.877
Magia diuinatoria, 260
praeſtigiatoria execranda, 621
Magiae ſuſpicionem nonnulli innocentes ſubeunt, 421
Mahummedani, imperii potius, quam religionis cauſa, inuaſerunt Palaeſtinam, 109
Palaeſtinam occupant, 98
quo argumento milites in chriſtianos arment, 123
Mahummedis figmenta reuelationum diuinarum titulo plane indigna ſunt, 246
Maioratus quid? 246

Maio-

Digitized by Google

Maioratus Hiſpaniae poſſeſſori, quid in mutandis inſtitutionis conditionibus liceat, 651
qua conditione deferatur, 648
non admittit repraeſentationem, 648. ſeq.
a Maiorum noſtrorum fortitudine, quantum deſciuerimus, 188
M. Manlii fata, 451
Manlius, an criminis, cuius poſtulatus, reus fuerit? 827
an, ſi reus fuit, poena ob maxima eius merita ei non fuerit remittenda, 228
Mares in ſucceſſione praeferendi feminis, 177
Maria Thereſia, Gall. regina, an iura ſua intellexerit? 483. ſeq.
ita renunciauit iuri ſuo in Hiſpaniam, vt nulli cauillationi locus eſſe poſſit, 578 ſeqq.
Mariae Thereſiae quaenam in renunciatione ſua fuerit intentio, 580. ſeq.
Martyrio ornati ſunt, qui in expeditionibus cruciatis occubuerunt, 103
Maſii (Hect. Gottfried.) cum Huberto Moſano controuerſia, 84
Matheſeos vtilitas, 339. ſeq.
Matheſis a quibusdam vltra, quam par eſt, extenditur, 340
Matrimoniorum libertas, an & quousque aliis concedenda? 787

quo iure Romanis a vicinis gentibus denegata? 788
Matrimonium politicum quid? 596
Matris praerogatiua prae patre, ex sententia Hobbesii, 695
quae refellitur, 696
Medicinae peritia, an theologo sit necessaria? 362
Mediolanensem ducatum esse feudum imperii, probatur, 606
Mediolanensis ducatus quo pacto ad Hispanos deuenerit? 610
sua natura ad ea feuda referri potest, quae feminas admittunt, 611
Meditationis necessitas & vsus, 429
Mercaturam exercere, Romani turpe putabant, 474
Methodus breuissima non semper optima, 435
Metus non omnis tollit libertatem voluntatis, 547
Meuii (Dauid.) Prodromus iurisprudentiae communis, 40
Michaëlis (Henr.) vinculum iuris vniuersalis, 71
Miles bonus non est, nisi virtuti deditus, 452
Milites omnium criminum rei peraguntur, 272
quo pacto facultatem imperatorem constitu-

ſtituendi in imperio Rom. ſibi adle-
ruerint? 901
Militia lecta num praeferenda mercena-
riae? 472
Militiae mercenariae incommoda, 472
lectae incommoda, 473
Militum coactionem hodiernam, & huma-
nitati & prudentiae aduerſari, 463
conſcriptio cur adeo difficulter proce-
dat? 450
conſcriptio non ad vltimum neceſſitatis
articulum differenda, 479
conſcriptio plerumque crudelitatis & in-
iuſtitiae plena, 448
quo pacto eius incommoda tolli pos-
ſint? 454
ſalutis aeternae parum habetur ratio, 456
Miniſtris eccleſiae ex quo fundamento ve-
neratio exhibeatur, 708
Miraculorum magna feracitas fuit ſeculis
barbaris, 130
Mithridatici belli iniuſtitia, 886
Modeſtia rara auis in eruditis, 394
Monarchomachi, 77
Monarchomachicorum dicta, quare quibus-
dam adeo displiceant? 78
Mores gentium in bello non conueniunt,
280
quid circa teſtamenta probent? 61
Muelenii (Guil.) opus in Grotium, 38

Digitized by Google

Mülleri (Io. Phil.) Tabulae Grotianae, 38
Müllerus (Io. Iac.) Grotii vestigiis insistit, 73
Mundum a Deo esse conditum, ratio docet, 213
id quod plurimi inficiati sunt, 255. seq.
Musaei (Sim. Henr.) Ius Paradisiacum, 58
Mutius Scaeuola per insidias Porsennam aggreditur, 822
ideo a multis laudatur, ibid.
an recte percussoris in se susceperit partes? 823

N.

NEapolitanum regnum est feudum Rom. pontificis, 615
eius inuestitura Ferdinando Cath. a Iulio II. Pontif. est collata, 615
hodie ad domum Austriacam de iure pertinet, 616
Nationes integrae, an ab ingenii cultura remouendae? 343
Naugerii (Andr.) in scripta Martialis odium, 415
Νεκρομαντεία, 261
Nepos ex filio priori num posteriori filio recte praeferatur? 715. seqq.
Nepotis in successione potior est conditio, quam patrui, 181. seq.

Neronis matricidium an excusari possit? 742
Nobiles num litteris animum imbuere debeant? 356
quibus disciplinis erudiendi sint? 338
Notitia Dei insita, qua ratione nobis insit, 205
a quibusdam negatur, 205
Numantini belli iniustitia, contra Albericum Gentilem demonstrata, 882. seqq.

O.

OBedientia sacra externa, 230
Obligatio quid? & vnde? 682
an comparationem admittat? 683
ad pietatem & reuerentiam erga parentes quousque se extendat, 593
Obligationis diuersitas in voluntate imperantis non arguit inconstantiam, aut mutabilitatem, 683
perfectae & minus perfectae origo, 683
de obligationum gradibus sententia veterum, 693
Obrechti (Vlrici) in ius naturae merita, 63
Obscuris non est inhaerendum, 436
Obsequiositas sacra, 230
Obsides, an recte fugam arripiant? 826
Officia hominis erga Deum pietatis nomine insigniuntur, 198

Officia hominum multiplici ratione inter se comparari possunt, 690
Opalenii libri de officiis, 71
Opes litterarum cultori contemnendae, 393
Ὀψιμαθία, 352
Ordinis in successione ab intestato fundamentum, 699
Ὀργιθομαντεία, 433
Oliandri (Io. Adami) Commentarius in Grotium, 41. seq.
Ostentatio omnis euitanda in precibus, 225
Otium litterarium num sit culpandum? 403. seq.
viri sapientis, 405

P.

PActa per se rata per testamentum irrita fieri non possunt, 557
successionis quando valida sint? 515
Palaestina a Muhammedanis occupatur, 98
Palaestinae fata, 97
Parentum comparatio inter se, 694
cum liberis comparatio, 697
& cognatorum naturalium, cum fidei consortibus comparatio, 759
& coniugum comparatio, 700

Pa-

Parentum & praeceptorum comparatio ex ſententia illorum, qui hos illis praeferunt, 702
prae praeceptoribus praerogatiua, 708 ſeq.
Pater patratus quis dictus, 806
Parthici belli iniuſtitia, 887
Patres eccleſiae theologiam & ius naturae non ſatis diſtinxerunt, 16
Patriae & parentum, reliquorumque ciuium comparatio, 740
Patria haud raro προφάσιν praebet hominum cupiditatibus, 743
Patruus, an in ſucceſſione praeferri debeat nepoti? 180.184
Pattolorynchitae inſigne ſuperſtitionis praebent exemplum, 180.184
Pauperes, an ad litterarum ſacra admittendi? 363. ſeqq.
Paupertas artium magiſtra, 364
Peccati philoſophici auctores atque defenſores, 21. ſeq.
Peccatorum venia iis impertita, qui crucem ſumſerunt, 102
Peregrinus inſidias principi aut regi ſtruens, in bello iniuſto peccat, 824
φιλαδελφία ab Apoſtolo discernitur ab ἀγάπη, 746
Philippi III. Hiſp. R. liberi, 574
IV. H. R. liberi, 573

Philippi Melanchthonis auſus in iure nat. Grotiano inſtituto multum cedit, 51
Philippus V. non eſt legitimus heres Hiſpaniae, 640
Philoſophiae moralis origo a Socrate repetitur, 22. ſeq.
praecepta auſtera, poëtica iucunditate temperabant veteres, 314
Philoſophia moralis etiam de officiis hominis erga Deum praecipit, 198
ſcholaſtica merito ceu friuola reiicitur, 325
Pietas ceremonialis, 238
nonnunquam ſumitur pro propenſione erga clericos, 202
varie apud auctores accipitur, 199. ſeq.
Pietati, an in caſtris locus eſſe poſſit? 457
quae aduerſentur vitia, ſummatim indicantur, 265. ſeq.
Pietatis adminicula, 247. ſeq.
cognomen vnde acceperint reges & principes? 16
finis primarius eſt ſumma hominis felicitas, 239
finis ſecundarius, 246
profeſſio, 230
reſtrictio, ad ſuperſtitionem pertinet, 265
ſpecies, 216
Plato cur teſtamenta prorſus reiecerit? 544

Platonicorum de iure naturali doctrina, 23. seq.
Platonis & Pythagorae philosophia praeferenda philosophiae Stoicorum, 28
philosophiam non multum a christiana religione distare, quidam putarunt, 425
philosophiae abusus plurimas peperit haereses, 425
Poena, an quandoque remitti possit? 829
Poëseos elogium Agrippae, 310
de Poësi quid censendum? 311
effatum M. Aur. Antonini, 313
Poesis quantum obsit verae philosophiae, 312
si caute exerceatur, non reiicienda prorsus, 315
veterum qualis fuerit? ibid.
Politico quaenam studia tractanda? 359
Polygamia a quibus defensa? 56
Πολυμαθείας studium, quo loco habendum? 385. seq.
Polytheismus gentilium, 253
ab ipsis sanioribus inter gentiles reiectus, ibid.
Πολυπραγμοσύνης vitium, 403
Pontificis Rom. an sit, defendere religionem christianam? 108
Populi voluntas de successione vel aperta est, vel tacita, 529

Portocarrerus Cardinalis ad teſtamentum Carolo II. eliciendum multum conferre potuit, 569
Poſteris delicta maiorum imputari nequeunt, adeoque nulla ex his ad eos redundat infamia, 785
Poſthumii (Sp.) facinus a multis perperam laudatum, 812
Poſthumius perfidiae crimen fruſtra in Samnites transferre voluit, 845
Praeceptoribus, an debeamus obſequium aeque ac parentibus? 706
an omnino ſimus obligati? 703
ſub Praeceptoribus, an etiam verbi diuini miniſtri comprehendantur? 707
Praeceptoris titulo quinam dignus ſit, vnde cognoſci queat? 705
Praeceptorum nomine qui indigni ſunt, quid his debeatur, 704
Praeceptorum, qui munere ſuo recte funguntur, discrimen, 708
Praeiudiciorum fons, 390
Praſchii cum Chriſt. Thomaſio controuerſia, 54
Praſchius in naturam iuris gentium inquiſivit, 73
Precatio quid denotet? 223
Preces, quo pacto comparatae eſſe debeant? 225
Precum formulis caute vtendum, 225

Pri-

Digitized by Google

Primogeniti num ante legem a Mose latam praerogatiua quadam gauisi sint? 159
Primogenitorum apud Ebraeos praerogatiua, in sacerdotio & priuata hereditate, 157. 159.
non nititur iure naturali, 160. seq.
magna apud plerasque gentes fuit dignitas, 153
quoad successiones in regna ἐξοχὴ an certo nitatur fundamento? 163
non fluit ex iure gentium, 164
nec ex iure diuino positiuo, 164
Primogenituræ ius in regnis patrimonialibus, 632
ius in Hispania omnino per renuneiationem tolli potest, 646. 650.
quo pacto perpetuum sit in regnis? 647
venditio cur in sacris litteris adeo reprehendatur? 646
Primogenitus quandoque iuri suo renunciare, 189
immo eodem inuitus priuari potest, 190
Princeps, an possit exheredare filium? 555
Principes, an & quousque pactis & testamentis antecessorum suorum teneantur, 578. seq.
an excusari queant, quod Pontificis auctoritatem sint secuti in expeditionibus

bus cruciatis? 121
Principes, an imbui litterarum ſtudiis debeant? 383. ſeq.
in eundem cum Tarquinio cenſum referendi, recte eiiciuntur, 813
Principiorum iuris nat. multitudo non arguit ipſius incertitudinem, 67
Principis & parentum cognatorumque comparatio, 743
Principium iuris nat. Cocceianum, 65
varium, 67
Principum auctoritas vindicata ſub Lud. Bauaro, & Lutheri opera reſtituta, 82
nomine quinam nobis veniant? 516
poteſtas circa ſacra quousque ſe extendat, acriter diſceptatum, 81. ſeq.
teſtandi poteſtas quousque ſe extendat? 523
Probabilismi adſertores, 19
Probabilismus ab ipſis Romanenſibus ſanioribus reiicitur, 19
Promethei furtum, an lapſum protoplaſtorum deſignet? 243
Prouida Dei cura in nobis excitat aduerſorum tolerantiam, 222
Prouidentiam Dei plurimi aut prorſus negarunt, 256
aut ſaltem non ad res minimas ſe extendere putarunt, 257

Pru-

Digitized by Google

Pruſias ad Hannibalem dedendum fuit obligatus, 840
Pueri ad ſtudia litterarum prae ceteris apti, 349
Pufendorfianae doctrinae fata, 49. ſeq.
Pufendorfii, in doctrina de comparatione officiorum, conatus, 690
doctrina defenditur & accuratius explicatur a Chriſt. Thomaſio, 53
Pufendorfius (Sam.) alter poſt H. Grotium iuris nat. reſtaurator, 42
Pufendorfius a theologis ſcholaſticam diſciplinam ſecutis, acriter impugnatus, 45
de ipſius controuerſiis ἐπιχειρισις, 46. ſeq.
Punici belli tertii iniuſtitia contra Alber. Gentilem euicta, 878
Punicum bellum primum, 865. ſeq.
iniuſtiſſime fuit ſuſceptum, 867. ſeq.
ab Alber. Gentili perperam defenditur, 869. ſeq.
bellum ſecundum, 871
ex parte Romanorum non fuit prorſus iniuſtum, 873
Πυρρονία, 261
Pythagorae methodus explorandi ingenia, 380
accuratius conſideratur, 381

Q.

Quaeſtionibus otioſis nobis ſedulo temperemus, 438

R.

RAchelii (Sam.) dissertationes de I. N. & G. 51
Rationis imbecillitatem & prauitatem vbique agnoscamus, 438
ad rationis lumen Christus ipse & apostoli prouocarunt, 204
Ratio quaedam de Numine eiusque cultu intelligit, ibid.
Rebus sacris magis parcendum quam ceteris, 287
Rechenbergius (Adamus) Pufendorfiana placita in iure naturae secutus, 50
Regia dignitas apud Ebraeos tantum ad primogenitos pertinebat, 154. seq.
Regna Europaea pleraque sunt legitima, 534
legitima sine consensu populi abalienari non possunt, 514
non omnia sunt legitima, nec omnia patrimonialia, 530
patrimonialia, an & quousque testamenta admittant? 527
patrimonialia & legitima quomodo differant, quoad modum transferendi in alios? 531
huius differentiae vsus in controuersiis, 532
Regnorum diuersitas vnde? 525
patrimonialium & legitimorum exempla, 533. seq.

Re-

Digitized by Google

Regnum ſitne legitimum, an patrimoniale, vnde intelligi queat? 528. ſeqq.
Regulae de ratione in ſtudiis feliciter proficiendi, 434. ſeqq.
M. Reguli (Attilii) fata, 832
Regulus, an recte liberationem ex captiuitate reſpuerit? 834
fidem Carthaginenſibus datam recte ſeruauit, 832. ſeq.
iniuſto ab iisdem ſupplicio affectus, 835. ſeqq.
Reipublicae expedit, vt vnus ſuccedat, 176
non expedit, vt diuidatur in partes, 174
Religio quid? 203
Religio eruditorum, 396
de religione naturali doctrina, quem hodie vſum habeat, 204
Religio naturalis ad reuelationem veram inueniendam nos manuducit, 244. ſeq.
Religionis cauſa qui inuaditur, ad ſui defenſionem recte arma capeſſit, 106
cauſa ſe defendere, & religionem defendere, diſtincta ſunt, 107
libertas ad media ciuium numerum augendi, pertinet, 478
naturalis imperfectio, 241
neglectus multos deterret a militia, 487
praerogatiua, an ad integras gentes etiam pertineat? 764
pertinet in quantum doctrinae com-

Digitized by Google

munioni innititur, 766
praerogatiua non in aliorum iniuriam & detrimentum debet cedere, 769
officiorum omnium eſt fundamentum & ſocietatis vinculum, 246
Religio vi & armis non poteſt gentibus obtrudi, 111
Remonſtrantes ſtrenui adſertores poteſtatis principis circa ſacra, 82
Renunciatio filiae, an deſcendentibus noceat? 591. ſeq.
Renunciationes iure naturae ſunt validae, 575
nec iis obſtat ius ciuile, 577
in renunciationibus ad mentem potius quam verba renunciantis eſſe reſpiciendum, conceditur, 582
Renunciationis Mariae Thereſiae, quae fuerit cauſa? 597
ea hodie non ceſſat, 598
Repraeſentationi ius naturae fauet, 183
Repraeſentationis non alia indoles eſt, quam ipſius ſucceſſionis, 585
Repraeſentationis ius quando introductum, 586
an per renunciationem parentum tolli poſſit? 587
Rerum ſacrarum dominium, an & quousque ad victorem tranſeat? 290. ſeq.
violatores quare ſaepius vltrices Dei poenas experti ſint? 288
Respublicae militares raro ſunt diuturnae, 423
Res-

Digitized by Google

Respublica Romana ad belli gloriam saltem
fuit comparata, 474
Res sacrae ab iis, qui diuinitatem illis inesse
per errorem credunt, neutiquam sunt
violandae, 287
christianorum, an pontificis dominio sint
subiectae? 277
ecclesiasticae & religiosae quid? 273
in dominio sunt imperantis, 284
necessitate vrgente aliis vsibus dicari pos-
sunt, 284
hinc quicquid in res ciuitatis licet,
in eas quoque licet, 285
adeoque & vastari possunt, si belli
ratio hoc exigat, 289
Ritus Romanorum in bello indicendo, 807
ad speciem bellis, quantumuis iniustis,
conciliandam fuerunt comparati, 807
sacri quo pacto comparati esse debeant, 238
sunt indifferentes, 238
Romanae reipublicae exprobratum, quod ex
latronum coetu originem duxerit, 782
Romani, an & quousque mores mutauerint,
vt iustam constituere ciuitatem censeri queant, 784
ex quo capite sint culpandi, quod Sabino-
rum raptum commiserint, 791
Romanorum bella pleraque, etiam quoad
modum gerendi, fuerunt iniusta, 887. seq.
Ruben auctoritate patris regno excidit, 191
Rysselii de Iure N. & G. liber, 58

S.

SAbbathi celebrationem esse iuris naturalis, perperam ex consuetudine gentium colligitur, 234. seq.
nec ea ex numeri septenarii mysterio aut flumine Sabbathico probari potest, 235. seq.
Sabinarum raptus, 786
a multis vituperatur, a quibusdam excusatur, 786. seq.
an ex iure belli & necessitatis defendi possit? 789
Sabini peccauerunt, si bona fide egit Tarpeia virgo, 792
Sacerdotalis dignitas apud Ebraeos tantum ad primogenitos pertinebat, 154. seq.
a quo more tamen quandoque discessum fuit, 156
Sacerdotum origo & officium apud veteres 12. seq.
Sacrificia, an sint iuris naturae? 230. seq.
cur sine macula esse debuerint? 229
Sacrificiorum finis, 232
Salmasii (Claudii) censura in Grotium 36
Salomon cur sit praelatus Adoniae, definire non licet, 191
Samnitici belli iniustitia, 860
Samnitici belli primi causa tum impulsiua, tum iustifica, 857
Samniticum bellum secundum, 862
Sapientia cum diuitiis consistere potest, 366

Sca-

Digitized by Google

Scaligeri ſolertia in pernoſcendis ingeniis, 381
Scepticismus, ſentina omnium malorum, 422
quibusdam falſo exprobratur, ibid.
Scharrokii in doctrina de comparatione officiorum conatus, 689
Schefferus (Io.) Grotii Epitomaſtes, laudatus, 61
Scholarum commune vitium, 358
Scholaſticorum opera araneorum telis ſimilia, 326
Sciendi cupiditas, an vituperanda? 402
Scientiae quaenam fugiendae, & quaenam amplectendae, 340
Seckendorfius aculeos Pufendorfii expertus eſt, 48
Seldeni labor in iure naturae quanti aeſtimandus? 32. ſeq.
Senioratus ius a ICtis Hiſpanicis defenſum, 189
Septimus dies plerisque gentibus ſacer fuit, 383
Sermo quo pacto ingenium prodat? 322
Siderum magna vis eſt, ibid.
ſed ea non plane nobis eſt perſpecta, 323
Silentii Pythagorici finis, 380
Simonis (Io. Georg.) notae in Hug. Grotium, 50
Socialitas ſaltem officia erga alios nos docet, 67
Socii religionis & fidei reliquis ſunt praeferendi, 748

non obſtante naturalis cognationis vinculo, 749
Socio poſteriori contra antiquiores ſuppetias ferre, non ſemper eſt nefas, 861
Sociorum religionis praerogatiua in bello prae aliis ſociis, 767
eorundem praerogatiua in foederibus, 768
antiquior praeferendus recentiori, 859
Socius poſterior, ſi ſe durante bello nobis dedat, ex belli iuſtitia res definienda, 860
Socrates boni militis exemplum praebet, 450
Spinozae impietas, 259
Spiritus familiares, 261
Sponſio Caudina, 841
perperam a Poſthumio irrita facta, 842
recte conſulibus Romanis imputari potuit, 843
Sponſione Caudina, an & quousque fuerit obligatus populus Romanus, & quo iure ab ea receſſerit, 845. ſeq.
Sponſio Numantina, 874
Statui imp. ſi cum ciue ſuo, aut alio ſtatu, de teſtamento res ſit, quid exiſtimandum? 519
Status imp. Germ. non niſi pactis & conuentionibus obligantur, 517
Statuum concordia ſola Germaniam ſeruare poteſt, 625
Stipendia accurate militibus ſunt ſoluenda, 485. ſeq.
Stipendiorum denegatio quot mala apud mi-

Digitized by Google

milites progignat, 485
Stoicorum de iure naturae doctrina, 25.26.
Studia floribus comparantur, 396
non nisi ab emendatae voluntatis homine rite tractari possunt, 389
non perfunctorie sunt tractanda, 391
Studiorum finis quis esse debeat? 398
Subditi iusta educatione ad belli molestias perferendas sunt praeparandi, 452
Succedendi modus in regnis iure naturae is praecipitur, qui conseruationi reipublicae, populique saluti quam maxime est accommodatus, 173
ordo, & ius in regnum, lege fundamentali stabilitum, an mutari queat? 666. seq
Successio linealis cognatica ab Hispanis non semper est obseruata, 572
expedit reipublicae, 179
in bona parentum est saltem iuris naturalis permissiui, 576
iuxta Successionem linealem cognaticam successio in Hispaniam debetur genti Austriacae, 573
de Successionibus illustribus controuersiae, quantum iurisprud. naturali profuerint? 88
Successionis linealis cognaticae natura, 573. 574
linealis requisita, 639
Successionis ordo in monarchiam Hispaniae, per leges fundamentales stabili-

tus, an alia lege, vel teſtamento principis mutari queat? 655
negatiuam Molina defendit, exemplo ex Mariana, 655
Succeſſio primogenitorum, an nitatur conſeruatione regnorum? 165
an iure hereditario? 167
an iure ſanguinis? 168
an tacita quadam electione? 169
iure naturae nec eſt praecepta, nec prohibita, 170
ſed tantum mediate & hypothetice ad illud pertinet, 173
Summa poteſtas, an debet eſſe perpetua? 820
Summi boni titulum ſolus Deus promeretur, 239
Summorum imperantium controuerſiae quantum incrementum iurisprudentiae naturali dederit? 87
Superſtitio quid? 263
Superſtitionis plurima genera, 263. ſeq.
quinam rei ſint? 263
Syllae leges, quibus proſcribebantur, qui cum Mario faciebant, an ſeruandae fuerint? 891. ſeq.
Syriaci belli iniuſtitia, 876

T.

TArentinum bellum, 363
quam ob cauſam ſuſceptum, 364
Tarpeiae virginis fata, 790
quae eam ad hoc facinus induxerit cauſa,

Digitized by Google

ſa, 790
Tarquinii ſuperbi exemplo caute vtendum, 813
de Tarquinio ſuperbo ſententia Io. Marianae, 811
quae accuratius discutitur, 812
Tarquinius ſuperbus ob mala facinora a Romanis eiectus, 809
Templorum apud chriſtianos origo, 274
Tesmarus (Io.) quid ad ius nat. promouendum contulerit? 62
Teſtamenta, an apud Germanos in vſu fuerint? 510
condere apud omnes fere gentes moris fuit, 508. ſeq.
minus ſolennia, an etiam obligent in conſcientia? 104. ſeq.
minus ſolennia naturaliter obligant, 502
quod negat Vasquius, 503
prohiberi a principe poſſunt, 501
quoad ſubſtantiam iuris naturae ſunt, non quoad formam, 498
quousque moribus gentium debeant originem? 500
ſolemnia ſunt praeferenda codicillis, 550
ſummorum imperantium non ſunt irrita, 312
licet exempla in contrarium afferantur, 513
Teſtamenti nomine quandoque & vitae morumque regulae veniunt, 509

Teſtamentorum executores, cur a quibusdam regibus conſtituti ſint? 515
norma inter principes eſt ius naturae, 496
ſolennitates dependent a iure ciuili, 500
ſolennitates quare adhibeantur? 549
Teſtamentum Caroli II. eſt noxium ipſis Hiſpanis, 617. ſeq.
& Hiſpanorum etiam vicinis, 620
ſpeciatim Italis, 621
& Belgio foederato, 622
imperio denique Germanico & aliis Europae regnis, 625. ſeq.
fuit minus ſolenne, 570
ipſi Galli non poſſunt habere pro valido, ex pacto cum Britannis Batauisque inito, 563
ipſorum Gallorum teſtimonio irritum eſſe probatur, 594. ſeq.
non poteſt eſſe legitimum, ſiue formam ſiue materiam ſpectes, 567
irritum eſt ex eo, quod teſtamento Philippi IV. repugnat, 603
itemque legibus regni Hiſpanici, 604
Teſtamentum eſt modus transferendi dominium, 497
per Teſtamentum heredi omnino ius enaſcitur, 499
Teſtamentum morte teſtatoris demum fit actus perfectus, 499
Noachi, 509
principis non debet alterius ius quaeſitum euer-

Digitized by Google

euertere, 554
principis non debet repugnare legibus diuinis, 552
nec legibus fundamentalibus regni, 552
principis ſaluti gentis aduerſum, eſt irritum, 553
ad teſtamentum ſummi imperantis quaenam iure naturae requirantur? 542
Teſtamentum ſuſpectum a moribundo conditum, auctoritatem amittit, 664
vtut minus ſolenne, non infirmare, generoſi animi eſt, 506
Teſtatoris conſenſus ad teſtamentum neceſſarius, 543
debet eſſe plenus, 547
impeditur tum ratione intellectus, 544
tum ratione voluntatis, 545
vnde nobis innoteſcat? 548
quae ſit vera voluntas, vnde conſtet, 545 ſeqq.
Theodatus philoſophi nomen mentitus, 354
Theologiae cultores, an aliis quoque ſtudiis operari debeant? 360
Theologiae ſcholaſticae cenſura, 327
Theologia naturalis haud raro cum iure naturae confunditur, 16

Digitized by Google

Thomaſii (Chriſt.) in ius naturae merita, 53. ſeq.
cum Io. Ben. Carpzouio controuerſiae 83
itemque cum Praſchio, 54
Timoleontis fratricidium, an excuſari poſſit? 742
Toloſanum bellum, ex qua cauſa ſuſceptum, 119
Tranſitus per aliorum ditiones ſi expetitur, admodum circumſpecte agendum eſt, 135. ſeq.
Trinitas in Deo ex ratione demonſtrari nequit, 211
Triumuiratus Octauii, Antonii, Lepidi, 895
tempore, quaenam reipubl. Rom. fuerit forma, dubitatur, 896
fuit monarchica, ſed legitimo imperante deſtituta, 897
Triumuiri fuerunt tres inuaſores, 897
Turcas coniunctis viribus religionis cauſa inuadere, iniuſtum eſſe, 771
Tyranno liberaſſe patriam, olim maximam attulit gloriam, 870
Tyrannus quis dici debeat, non aeque ſemper patet, 811

V.

VAſalli num valide teſtari queant de feudo ſuo? 521. ſeq.

Velthe-

Velthemii (Valent.) in libros Grotii introductio, 51
Veritatis amor litterarum cultori neceſſarius, 389
Vicinorum cum reliquis ciuibus comparatio, 730
Virtus etiam ad officia hominis imperfecta ſe extendit, 685
Vitriarius (Phil. Reinhard.) Grotii Epitomaſtes laudatus, 60
Volateranus Cardinalis Pontifici ſuadet, vt contra Lutherum expeditiones cruciatas inſtituat, 119
Voluntas Dei eſt principium eſſendi iuris naturalis, 66
vnde colligi quam optime poſſit? 66
Voluntatis emendatio litterarum cultori ante omnia neceſſaria, 388. ſeqq.
a Voluntatis emendatione ordiendum eſt in ſtudiis, 434
Voluptas non debet eſſe ſtudiorum finis, 402. ſeq.
Vota, quo pacto nuncupanda? 228
religioſe ſeruanda, 228
Votorum finis quis eſſe debeat? 228
Vtile nihil eſt, niſi honeſtum, 616
Vtilia ſaltem ſunt addiſcenda, 341

W. Wal-

Digitized by Google

W.

WAldenſes ab Innocentio Pontif. oppreſſi, 119
Werlhofii (Io.) in I. N. merita, 71
Winkleri (Benedicti) auſus in iure naturae Grotiano inſtituto multum cedit, 31

Z.

ZEntgrafio (Io. Ioach.) quid ius naturae debeat? 69
Zieglerus (Caſp.) Grotii commentator, 39
eius tractatus de iuribus maieſtaticis, 76.
Zouchaei iuris & iudicii fecialis explicatio, 73

ANT 13172 q1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google